THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Bononienſem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

TOMUS VI. IN PRIMAM PARTEM
De Homine, & ejus Statibus.

BONONIÆ M.D.CC.XXIX.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Sextus Tomus in Primam Partem complectitur.

TRACTATUS DE HOMINE, ET EJUS STATIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

De formatione Hominis.

DUBIUM PRIMUM.

De formatione primi Hominis quoad Corpus, & Animam.

DUBIUM SECUNDUM.

De formatione Hominis quoad Animam.

DUBIUM TERTIUM.

An Anima humana sit de substantia Dei?

DUBIUM QUARTUM.

An Anima sit Spiritualis, & Immortalis?

DUBIUM QUINTUM.

An Anima rationalis facta fuerit per Creationem?

DUBIUM SEXTUM.

In quo Homo sit factus ad Imaginem, & Similitudinem Dei.

DUBIUM SEPTIMUM.

An quæ narrantur de Productione Mulieris parabolica sint?

DUBIUM OCTAVUM.

An Adam verè dormierit: & quomodo ex illa Costa potuerit Mulier formari?

DUBIUM NONUM.

An Adam fuerit omnium Hominum ſimpliciter primus; an verò fuerint alii Homines ante ipſum?

QUÆSTIO SECUNDA.

De Paradiſo Terreſtri.

DUBIUM PRIMUM.

An Paradiſus fuerit aliquis locus corporeus, & ſpecialis?

DUBIUM SECUNDUM.

De Regione, & Situ Paradiſi Terreſtris.

DUBIUM TERTIUM.

De Arboribus Paradiſi Terreſtris.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

Utrum Paradisus Terrestris etiamnum supersit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Statu Hominis Innocentis quoad Animam.

DUBIUM PRIMUM.

Quali, & quantâ Scientiâ donatus fuerit Homo Innocens circa Deum, & Angelos.

DUBIUM SECUNDUM.

Qualis, & quanta fuerit Hominis cognitio quoad alia.

DUBIUM TERTIUM.

An primus Homo creatus fuerit in Gratia Sanctificante?

DUBIUM QUARTUM.

An primus Homo fuerit conditus in Justitia Originali?

DUBIUM QUINTUM.

An in Statu Innocentiæ transfusa fuisset Justitia Originalis in Posteros, & simul Gratia, ut Sanctificans; & an in Gratia fuissent confirmati?

DUBIUM SEXTUM.

An in Statu Innocentiæ Homines nati fuissent in Scientia perfecti, & in perfecto usu rationis?

QUÆSTIO QUARTA.

De statu Hominis Innocentis quoad Corpus.

DUBIUM PRIMUM.

An Homo in statu Innocentiæ fuisset Immortalis; & unde hoc proveniret?

DUBIUM SECUNDUM.

An in Statu Innocentiæ Homo fuiſſet Paſſibilis; & an indiguiſſet cibis?

DUBIUM TERTIUM.

An in Statu Innocentiæ fuiſſet Generatio, & quomodo?

DUBIUM QUARTUM.

De Conditione Prolis generandæ quantùm ad Corpus.

DUBIUM QUINTUM.

De Dominio Hominis Innocentis in Animalia, & cæteras creaturas.

DUBIUM SEXTUM.

De Dominio Hominis Innocentis in alios Homines.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De Tentatione, & Lapſu primorum Parentum.

DUBIUM PRIMUM.

De Convenientia, Modo, & Ordine Tentationis.

DUBIUM SECUNDUM.

An Heva ſeducta fuerit à Diabolo veri Serpentis organo utente?

DUBIUM TERTIUM.

De Lapſu Adami.

DUBIUM QUARTUM.

De Cauſa Præcepti impoſiti Adamo, & Hevæ.

DUBIUM QUINTUM.

Quale fuerit primum Peccatum primorum Parentum.

DUBIUM SEXTUM.

De Gravitate peccati primorum Parentum.

DUBIUM SEPTIMUM.

An primus Homo in statu Innocentiæ peccare potuisset venialiter?

QUÆSTIO SEXTA.

De Pœna, & Pœnitentia primorum Parentum.

DUBIUM PRIMUM.

De Pœna inflicta Serpenti, Hevæ, & Adamo.

DU-

DUBIUM SECUNDUM.

De Pœnis Adamo, & Hevæ communibus, & præcipuè de Morte.

DUBIUM TERTIUM.

De iis, quæ primis Parentibus contigerunt post Divinam in eos animadversionem.

DUBIUM QUARTUM.

An Adam, & Heva salutem consecuti sint?

DUBIUM QUINTUM.

Utrum Anni, quibus leguntur vixisse Adam, aliique ante diluvium, sint Anni communes pares nostris.

DUBIUM SEXTUM.

Quibus Cibis Antediluviani Homines uterentur, an solis terræ oleribus, arborumque fructibus, an verò etiam carnibus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Peccati Originalis Existentia.

DUBIUM PRIMUM.

An omnes Homines de facto contrahant Originale peccatum?

DUBIUM SECUNDUM.

Quomodo Peccatum Originale per generationem traducatur in Posteros Adæ.

§. II.

DUBIUM TERTIUM.

An Peccatum Originale sit verum, ac propriè dictum peccatum, & unicuique proprium?

DUBIUM QUARTUM.

Quodnam sit Adæ Peccatum, quòd in ejus Posteros traducitur.

DUBIUM QUINTUM.

Varia examinantur circa Originalis Peccati Traductionem.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Peccato Originali quantùm ad suam Essentiam.

DUBIUM PRIMUM.

An Peccatum Originis sit ipsa Substantia Animæ?

DUBIUM SECUNDUM.

An Peccatum Originale sit formaliter ipsa Concupiscentia?

DUBIUM TERTIUM.

An Peccatum Originale sit ipsum Adami peccatum moraliter perseverans in Posteris, eisque imputatum?

DUBIUM QUARTUM.

In quo revera statuendum sit Peccatum Originale.

§. IV.

QUÆSTIO NONA.

De Subjecto Peccati Originalis.

DUBIUM PRIMUM.

An Peccatum Originale magis sit in Carne, quàm in Anima?

DUBIUM SECUNDUM.

An Peccatum Originale per priùs sit in essentia Animæ, quàm in Potentiis?

DUBIUM TERTIUM.

Quas Potentias per priùs, & magis inficiat Peccatum Originale.

QUÆSTIO DECIMA.

De Effectibus Peccati Originalis.

DUBIUM PRIMUM.

De Infirmitate in Intellectu.

DU-

DUBIUM SECUNDUM.

De Infirmitate in Voluntate, & Appetitu sensitivo, & Partibus inferioribus hominis.

DUBIUM TERTIUM.

De Pœna Peccato Originali debita post hanc vitam.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De Statu Naturæ Puræ.

DUBIUM PRIMUM.

An Status Naturæ Puræ sit possibilis?

DUBIUM SECUNDUM.

Examinantur Fundamenta Jansenii.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De Angelis comparatè ad Homines.

DUBIUM PRIMUM.

Quot sint Hierarchiæ, & Ordines Angelorum?

DUBIUM SECUNDUM.

De Actione Angelorum in Homines.

DUBIUM TERTIUM.

De Missione Angelorum ad Homines.

DUBIUM QUARTUM.

De Custodia Angelorum erga Homines.



Vidit

Vidit D. Augustinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Episcopo Albanensi, Archiepiscopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 22. Aprilis 1728.

IMPRIMATUR.

Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus Inquisitor Generalis Sancti Officii Bononiæ.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE HOMINE, ET EJUS STATIBUS.

Homo substantia, & natura quædam est in confinio rerum spiritualium, & corporalium constituta, constans nempè ex spiritu, & corpore. Quare Concil. Lateranense IV. Cap. Firmiter, ait: *Firmiter credimus, & confitemur....* quòd Deus *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi comunem ex spiritu, & corpore constitutam*. Hac ratione S. Augustinus Epist. 3. modò 137. ad Volusianum cap. 3. *Persona* (inquit) *hominis, mixtura est animæ, & corporis; Persona autem Christi, mixtura est Dei, & hominis*. Et D. Gregorius lib. 6. Moral. c. 16. aliàs 8. *Universitatis* nomine, & *omnis creaturæ* hominem appellat, dicens: *omnem creaturam solum intelligi hominem voluit, cui commune aliquid cum omnibus creavit*. Et Damascenus Libro de duabus Voluntatibus ait: *Homo itaque Mundus minor est.... est enim cùm visibilis, tùm invisibilis, sive sentientis & intelligentis creaturæ vinculum*. Proindeque in opere creationis decuit, ut postremus esset homo, tanquam omnium creatarum rerum epilogus, & compendium. De homine sermonem aggredientes, ejus conditionem, seu formationem, ac formationis circumstantias, statum in quo formatus fuit, lapsum ab illo statu, & mala quæ inde contraxit, in toto hoc Tractatu examinabimus cum D. Thoma 1. *p. à q.* 90. usque *ad* 101. aliqua pro coronide dicturi cum eodem D. Thom. 1. *p. à q.* 111. *ad* 114. de eodem comparatè ad Angelos, sive bonos, sive malos.

QUÆSTIO I.

De formatione Hominis.

Creatis unà cum terra Cœlis, hisque suis luminaribus ornatis, divisis, & congregatis aquis, terrâ plantis vestitâ, animalibus productis, absolutis omnibus ad rerum creationem, ac Mundi opificium spectantibus, sexta die hominis formationem narrat Moyses *Gen.* 1. *v.* 26. *&c.* eamque describit *c.* 2. *à v.* 7. ut domo jam constructâ, esset, qui eam habitaret, eique præesset. Unde Nazianzenus Orat. 43. *Construendum enim* (inquit) *priùs, tanquam Regi, palatium erat, atque ita Rex introducendus omni jam suo satellitio stipatus*. Hæc ergo erit hujus quæstionis argumentum;

DUBIUM I.

De formatione primi Hominis quoad corpus, & Animam.

§. I.

Formatio corporis primi Hominis.

I. Agens de formatione corporis primi hominis Moyses *Gen.* 2. *v.* 7. ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.*

Formavit; inquam, ideſt inſtar figuli plaſmavit, ſeu *finxit*, ut Auguſtinus exponit *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 24. Unde Job 10. v. 8. *Manus tuę* (inquit) *fecerunt me, & plaſmaverunt me*. Hinc primus homo vulgò *Protoplaſtus*, ideſt primus plaſmatus. *Hominem* hìc per Synecdochen ponit, totum pro parte, hominem pro corpore: *Hominem autem memento carnem propriè dici, quæ prior vocabulum hominis occupavit*, monet Tertullianus *lib. de Reſurrect. carnis c.* 5. Additur autem *Dominus Deus*, ut Manichæis os obſtruatur, qui carnem, & corpus hominis à malo principio eſſe dicebant.

Subjungitur: *de limo terræ*; ideſt, ut exponit Aug. loco citato, de pulvere humecto, & ex humore, terrâque concreto, hoc enim propriè ſignificat limus. Porrò *terra* hebraicè dicitur *Rubra*, ut carnem humanam quodammodo colore referat. Quibus etiam Manichæi refutantur, qui ponentes quinque elementa, ex quibus omnia facta fuerunt, nempè fumum, tenebras, ignem, aquam, & ventum; cenſebant, de fumo nata animalia bipedia, & inter iſta homines. Ita refert S. Aug. *lib. de Hæreſ. c.* 45. Refutantur, inquam, dùm homo, non ex fumo, ſed ex limo terræ formatus dicitur.

II. Quare autem, cùm corpus humanum ſit corpus mixtum ex quatuor elementis, dicatur formatum ex limo, nempe ex terra, & aqua; rationem tradit D. Thom. 1. *p. q.* 91. *a.* 1. Quia in corpore humano terreæ, & aqueæ partes magis abundant ſecundùm quantitatem. Si enim ignis, & aer, quæ ſunt majoris virtutis in agendo, abundarent ſecundùm quantitatem in corpore humano; omnino ad ſe traherent alia, & non haberetur æqualitas complexionis. Hinc eſt, quòd homo frequenter, vel comparatur luto, vel vocatur lutum, ut Iſaiæ 45. v. 9. *Væ qui contradicit fictori ſuo teſta de ſamiis terræ. Numquid dicet lutum figulo ſuo: quid facis &c.* Cap. 64. v. 8. *Domine, pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu &c.* Et Jerem. 18. v. 6. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.*

§. I I.

Quæ obſtare videntur, ſolvuntur.

III. Sed dices. Eidem formæ debetur idem perfectibile: ſed forma humani corporis, quia ſpiritualis, convenit cum forma ſeparata, quæ movet corpus Cœli, nempe Angelo; ergo ſimile corpus, naturæ ſcilicet cœleſtis, congruentiùs ei debuiſſet aſſignari: eò vel maximè, quia homo corporibus Cœleſtibus nobilitate præſtat.

IV. Reſpondet D. Tho. 1. *p. q.* 91. *a.* 1. *ad* 2. & *in* 2. *Sent. diſt.* 17. *q.* 3. *a.* 1. *in corp.* Quorumdam opinionem fuiſſe, aliquid de natura corporis Cœleſtis venire in compoſitionem humani corporis eſſentialiter, quaſi concilians elementa; & hoc dicunt eſſe lucem, quam dicunt, corpus eſſe. Sed hoc improbat D. Thomas. Tùm quia falſum eſt, lucem eſſe corpus. Tùm quia, etſi corpus eſſet, non poſſet elementis permiſceri, & dividi propter corporis Cœleſtis impaſſibilitatem. Unde non venit in compoſitionem corporum mixtorum, niſi per effectum virtutis ſuæ; eò quòd corpus Cœli eſt primum alterans, cujus virtute omnes alterationes ad ſuos fines diriguntur.

V. Aliter ergo S. D. diſtinguit maj. Perfectibile, conveniens tamen ad operationes, quas in eo exercere debet, co. maj. Aliter, nego maj. Ait ergo 1. *p. q.* 91. *a.* 1. *ad.* 2. quod *quamvis corpus Cœleſte ſit ſimpliciter nobilius terreſtri corpore; tamen quantùm ad actus animæ rationalis eſt minùs conveniens. Nam anima rationalis accipit notitiam veritatis quodammodo per ſenſus, quorum organa formari non poſſunt ex corpore Cœleſti, cùm ſit impaſſibile.* Et *art.* 3. ejuſdem quæſtionis, ait, Deum in

a for-

formatione rerum se habuisse velut artificem. *Quilibet autem artifex intendit suo operi dispositionem optimam inducere non simpliciter, sed per comparationem ad finem. Et si talis dispositio habet secum adjunctum aliquem defectum, artifex non curat: sicut artifex, qui facit serram ad secandum, facit eam ex ferro, ut sit idonea ad secandum, nec curat eam facere ex vitro, quæ est pulchrior materia; quia talis pulcritudo esset impedimentum finis ... finis autem proximus humani corporis est anima rationalis, & operationes ipsius &c.*

VI. Perfectissimum ergo corpus, quale conveniebat fini, ad quem formabatur, fuit illud, quod in primo homine Deus formavit. Imò in statu & dispositione perfectissima, ut statim posset operari, generare, filios educare, Mundo præsidere. Id clarè indicat Scrip. *Gen. 2. v. 15.* quæ de Adamo vix formato dicit: *Et posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Masculo pariter, & feminæ vix creatis *c. 1. v. 28.* dictum legimus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris &c.* Deinde cùm *cap. 2. v. 25.* dicatur: *Erat autem uterque nudus: Adam scilicet, & uxor ejus, & non erubescebant;* clarum testimonium est, eos fuisse in ætate virili: nam in infantili, mira non esset non erubescentia illa. Et hoc confirmatur: quia post peccatum c. 3. v. 7. *cùm cognovissent se esse nudos*, erubuerunt. Addo quòd si cætera omnia, plantæ, animalia in statu perfecto à Deo prodiere, idem de homine dicendum est.

VII. Ne tamen quis putet, morâ temporis formatum fuisse ex limo corpus illud, quin potius in unico instanti. Nam hoc decet summam Dei plasmatoris majestatem, qui, si in instanti aquam in vinum convertit in Canæ nuptiis, & in cœna vinum transubstantiavit in suum sanguinem: quidni credamus, momento quoque ex limo fecisse corpus hominis, imò totum hominem animâ, & corpore constantem? Quare sit

DUBIUM II.

De formatione Hominis quoad Animam.

§. I.

An corpus priùs factum fuerit, quàm Anima!

I. Moyses postquam dixit Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terra*, subjunxit: *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Hoc modo loquendi existimarunt aliqui (ait D Th. 1. p. q. 91. a. 4. ad 3.) *corpus hominis priùs tempore formatum, & postmodum Deum formato jam corpori animam infudisse.*

Sed hoc improbat S. D. Nam *contra rationem perfectionis primæ institutionis rerum est, quòd Deus vel corpus sine anima, vel animam sine corpore fecerit; cùm utrumque sit pars humanæ naturæ. Et hoc etiam est magis inconveniens de corpore, quod dependet ex anima, non è converso.*

Et ideò ad hoc excludendum, quidam posuerunt, quòd cum dicitur: formavit Deus hominem, *intelligitur productio corporis simul cum anima. Quod autem additur:* Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, *intelligitur de Spiritu Sancto, sicut & Dominus insufflavit in Apostolos, dicens:* Accipite Spiritum Sanctum *Jo. 20. v. 22.*

Hanc tamen intelligentiam S. D. non admittit, dicens: *Sed hæc expositio, ut dicit Augustinus in lib. 13. de Civ. Dei* (cap. 24.) *excluditur per verba Scripturæ. Nam subditur ad prædicta:* Et factus est homo in animam viventem, *quod Apostolus 1. ad Cor 15. non ad vitam spiritualem, sed ad vitam animalem refert.*

Per spiraculum ergo vitæ intelligitur anima: ut sic, quod dicitur: Inspiravit

in faciem ejus spiraculum vitæ, *sit quasi expositio ejus, quod præmiserat; nam anima est corporis forma*. Quasi diceret: homo, quem Deus formavit ex limo, fuit corpore, & spiraculo vitæ constans, et corpus, seu homo vivens.

§. II.

An Anima priùs facta fuerit, quàm corpus?

II. AN verò primi hominis anima fuerit ante corpus priùs tempore producta. Respondet S. Thomas 1. *p. q.* 90. *a.* 4. quod Origenes (*lib.* 1. *Periarchon c.* 7. *&* 8.) posuit, non solùm animam primi hominis, sed animas omnium hominum ante corpora simul cum Angelis creatas ab initio. Putavit enim, omnes spirituales substantias, tàm animas, quàm Angelos æquales esse secundùm naturæ conditionem, & solùm merito distare; ideòque illæ, quæ meruerunt, in sui puritate secundùm diversos ordines remansisse; quæ verò demeruerunt, fuisse corporibus alligatas, veluti carceri: & has esse animas hominum, vel cœlestium corporum, quæ secundùm quòd graviùs peccaverunt, vel minus graviter, in magis vel minus nobile corpus detrusæ fuerunt.

III. Sed hanc opinionem reprobat S. Doct. 1. *p. q.* 47. *a.* 2. Nam secundùm hoc universitas, & distinctio creaturarum non esset propter bonitatem Dei communicandam, sed ad puniendum peccatum. Quod est contra illud, quod dicitur Genesis 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valdè bona*. Eam irridet S. Augustinus (à D. Thom. relatus) *l.* 11. *de Civit. Dei c.* 23. Nam si hoc esset verum, Dæmones, qui graviùs peccaverunt, debuissent non in aeria detrudi corpora, sed in terrena, & viliora potiùs, quàm homines malos. Deinde si anima, quæ posita est in corpore solari, sic posita est in eo, quia ita peccavit, ut in corpore solari potiùs, quàm alio, ut in carcere poni meruerit; ergo si centum animæ eodem modo peccassent, centum Soles haberemus. *Quid autem stultius dici potest, quàm per istum Solem, ut in uno Mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potiùs evenisse, quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si contigisset, ut non una, sed duæ; imò non duæ, sed decem, vel centum similiter, æqualiterque peccassent, centum Soles haberet hic Mundus. Quod ut non fieret, non Opificis provisione mirabili ad rerum corporalium salutem, decoremque consultum est; sed contigit potiùs tantâ unius animæ progressione peccantis, ut sola corpus tale mereretur.*

IV. Hanc opinionem propterea tanquam fabulam exsibilat S. Leo *Epist.* 93. *c.* 10. docens, opinionem Priscillianistarum paria cum Origene sentientium, esse impietatis fabulam; quodque omnes ejus assertores Catholica fides à corpore suæ veritatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum, priusquàm suis inspirarentur corporibus, non fuere. Ratio autem ea esse potest: quia omnis res quæ à Deo producitur, producitur in suo statu naturali perfecto: sed anima rationalis (quæ secundùm se, & essentialiter est forma corporis, ut in Conc. Viennen. definitum est) non habet suum statum perfectum, nisi in corpore; ergo non est creata, nisi in corpore. Videri potest S. Cyrillus *l.* 1. *in Joann. c.* 9. Theophylus Alexandr. *lib.* 2. *Paschale* apud D. Hieron. & D. Tho. *q.* 3. *de Pot. a.* 10. ubi solvit argumenta, quæ in contrarium possent afferri, & *lib.* 2. *Contrag. c.* 84.

Attamen Origenistis favere videtur illud Sap. c. 8. v. 19 & 20. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

V. Sed immeritò. Nam secundùm Origenem, animæ, quæ extra corpus bonæ

bonæ fuerunt, non venerunt ad corpus, sed extra corpus manserunt. Verba ergo illa de Salomone intelligenda sunt, & faciunt sensum: cùm fortius essem Dei munere puer animam ad bonum propensam, & virtutis exercitatione magis in bono proficerem, ad hoc progressus sum, seu ad hoc veni, ut corporis quoque munditiem, & castitatem dono Dei comparaverim.

VI. Alia opinio (ait S. Thomas *q.* 90. 1. *p. a.* 4. *citato*) fuit S. Aug. qui *in* 7. super Gen. *ad litt. c.* 24. dicit: *quòd anima primi hominis ante corpus cum Angelis est creata ob aliam rationem: quia scilicet ponit, quod corpus hominis in illis operibus sex dierum non fuit productum in actu, sed solùm secundùm causales rationes, quod non potest de anima dici.... Et ideò videtur, quòd ipsamet anima in operibus sex dierum, in quibus omnia facta fuerunt, simul cum Angelis fuerit creata; & quòd postmodum propriâ voluntate inclinata fuit ad corpus administrandum.* Ita S. Thomas. Qui tamen addit: *Sed hoc non dicit asserendo, ut ejus verba demonstrant; dicit enim* (loco citato) Credatur, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit. Quemadmodum de aliis pluribus, quæ in præfatis libris super Genesim dixerat, se expressit lib. 2. *Retract. c.* 24. *Et lib.* 12. *de Civit. Dei c.* 23 in nostram, & communem sententiam se venisse ostendit, dùm ait. *Et cùm virum terreno formasset ex pulvere, eique animam qualem dixi, sive quam jam fecerat, sufflando indidisset, sive potiùs sufflando fecisset, eumque flatum, quem sufflando fecit (nam quid est aliud sufflare, quàm flatum facere?) animam hominis esse voluisset &c.* En ergo quomodo si aliquando Augustinus animam creatam dixit priusquam corpori uniretur; non asserendo, sed purè opinando dixit.

DUBIUM III.

An Anima humana sit de substantia Dei?

§. I.

Veritas Catholica.

I. ANimam humanam factam fuisse de substantia Dei existimarunt Ethnici non pauci. Quorum error, ut docet D. Thomas hâc 1. *p. q.* 90. *a.* 1. ex eo procedebat; quòd, vel putabant, Deum esse corpus omnium aliorum principium, & de natura hujus principii esse animam: vel etsi Deum incorporeum apprehenderent, non tamen cogitabant, esse à corpore separatum, sed corporis formam. Unde Varro dixit, quòd Deus est *anima Mundum intuitu, vel motu & ratione gubernans*, ut Augustinus narrat 7. *de Civit. Dei c.* 6

Ex hæreticis autem, Gnostici animam humanam esse de substantia Dei dogmatizarunt, teste August. *l. de Heres. c.* 6. & Manichæi *c.* 46. & post eos Priscillianistæ misera Gnosticorum, & Manichæorum proles *c.* 70.

II. Verùm fides Catholica docet, animam non esse de substantia Dei, nec partem aliquam substantiæ ejus: sed esse substantiam creatam, à Deo factam. Probatur. De anima humana in Scripturis multa dicuntur, quæ substantiæ Dei impropria, imò indigna sunt, nempè quod sit tristis, & conturbet. Psalm. 41. v. 5. *Quare tristis es anima mea? Et quare conturbas me?* Quòd speret in Deo: *spera in Deo*. Quòd conturbetur, ibi v. 7. *Anima mea conturbata est*. Quòd peccet & moriatur Ezech. 18. v. 4. *Anima, quæ peccaverit ipsa morietur*. Quòd perdatur, Joann. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam*. Quòd sanetur, Psalm. 40. v. 5. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Quòd salvetur, Jacobi 1. v. 21. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*.

III. Propterea S. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos c. 8. *Sic ergo* (ait) *debemus intelligere hunc locum, ut non quia dictum est*, Insufflavit in eum spiritum vitæ, & factus est homo in animam viventem, *credamus, illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, & cogamur dicere, naturam Dei esse mutabilem: in quo errore maximè istos Manichæos veritas premit. Sicut enim mater est omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere, quòd natura Dei sit anima. Et hinc urgentur à nobis, cum eis dicimus; ergo natura Dei errat, & misera est, & vitiorum labe corrumpitur, & peccat, aut etiam, ut vos dicitis, natura contraria sordibus inquinatur: & cætera talia, quæ de natura Dei nefas est credere.*

Nam factam esse animam ab Omnipotente Deo, & ideò non illam esse partem Dei, vel naturam Dei, manifestè alio loco scriptum est, dicente Propheta (Psal. 32. v. 15.) Et qui finxit spiritum hominis, ipse fecit omnia. *Et alio loco:* (Zachar. 12. 1.) Qui finxit spiritum hominis in ipso. *Ergo factum esse spiritum hominis manifestè his testimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, quâ distat à pecoribus, & eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apostolus* (1. Cor. 2. v. 11.) Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. *Ne fortè si probaretur his testimoniis, animam factam esse, non deessent qui dicerent, spiritum hominis non esse factum, & ipsum arbitrarentur esse naturam Dei, & in ipsum dicerent partem Dei esse conversam, cùm illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina similiter respuit; quia & ipse spiritus hominis, cum aliquando errat, & aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat; quod nullo modo de natura Dei fas est credere. Non autem potest majus signum esse superbiæ, quàm ut dicat, se humana anima hoc esse quod Deus est, cùm adhuc sub tantis vitiorum, & miseriarum molibus gemat.* Sic Manichæos arguebat Augustinus. Anima, nimirùm hominis, mutabilis est, errat, misera est, vitiorum labe corrumpitur, peccat, contrariæ naturæ sordibus inquinatur: demum etiam nomine *spiritus hominis* significata, à Deo facta est; ergo de substantia Dei eam esse, nefas est credere.

IV. Hunc inter alios errorem reprehendit, & confutat adversùs Vincentium Victorem illum afferentem, idem S. Augustinus lib. 3. *de Anima & ejus origine c.* 3. *& c.* 15. repetens ejusdem Vincentii asserta undecim; quorum primum erat, quòd *animam non ex nihilo, sed de ipso Deum fecisse* diceret; vocat ea *multùm, apertèque perversa, & fidei Catholicæ adversa*.

V. Jure igitur hunc errorem damnavit Catholica Ecclesia. Concilium Toletanum I. anno 400. in professione fidei Can. 11. sic definit. *Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit*. Et Bracarense I. anno 561. Can. 5. *Si quis* (inquit) *animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit*. Quibus adde S. Leonem *Epist.* 93. *cap.* 3. ubi varios errores referens, ait: *Quinto Capitulo refertur, quòd animam hominis divinæ asserant esse substantiæ, nec à natura Creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex Philosophorum quorumdam, & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat.*

VI. Probat Catholicam veritatem D. Thom 1. *p. q.* 90. *a.* 1. sic. Anima humana est quandoque intelligens in potentia, & scientiam quodammodo à rebus acquirit, & habet diversas potentias: sed hæc omnia aliena sunt à Dei natura, qui est actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in se diversitatem habens; ergo &c. Unde August. *Ep.* 28. modò 166. *ad Hieron. c.* 2. ait: *non est pars Dei*

Dei anima. Si enim hoc esset, omni modo incommutabilis, atque incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid *in semetipsa, vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantùm ad ejus ipsius affectiones pertinet. Quàm verò aliter se habeat, non opus est extrinsecùs testimonio; quisquis seipsum advertit, agnoscit.*

§. I I.

Manichæorum momenta.

VII. Sed quia dicebant, hanc mutationem, cæterasque infirmitates non ex ipsa illi esse, sed ex corpore.

Respondet S. Aug. ibi, parùm referre, unde anima mutetur; cùm, si esset substantia Dei, nec à se, nec ab alio mutari posset. *Quid interest, unde ægrotet, quæ si esset incommutabilis, undelibet ægrotare non posset? Nam quod verè incommutabile, & incorruptibile est, nullius rei accessu commutari, vel corrumpi potest. Alioquin non Achillea tantùm, sicut fabula ferunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliquâ causâ, aliquâ parte mutabilis est. Deum autem nefas est, nisi verè, summèque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei.*

VIII. Sed dicent. Lumen rationale, quod est anima rationalis, est quædam participatio divini luminis: sed participare est partem capere; ergo anima est pars, & portio divini luminis. Unde Manichæi teste D. Thom. hoc a. 1. *Deum esse quandam lucem corpoream existimantes, quandam partem illius lucis animam esse posuerunt corpori alligatam.*

IX. Sed hæc instantia probaret, omnia creata esse partem substantiæ Dei; quia omnia participant aliquid à Deo, saltem *esse*. Aliud ergo est participare aliquid à Deo, aliud participare aliquid de Deo; sicut aliud est fieri à Deo, aliud fieri de Deo. Primum dicit, Deum esse primam causam efficientem, à qua omnia quæ sunt, habent esse: & hoc modo anima humana est participatio divini luminis; quia lumen, quod in ea est, est exemplatum quoddam imperfectum imitans divinæ intelligentiæ lumen, sicut imago imitatur suum prototypum. Secundum verò dicit, Deum esse causam materialem, ex qua divisa in partes fiant res, & inter cæteras ex portione ejus facta fuerit anima hominis. Quod, etsi dicerent Manichæi, impiè loquebantur; quia Deum corporeum, & divisibilem faciebant.

X. Hanc deceptionem, ut à Vincentio Victore averteret S. August. *lib.* 3. *de Anima & ejus origine c.* 3. sic eum monebat. *Quâ impietate ut careas, ita oportet, ut dicas, animam Auctorem Deum, ut ab illo facta sit, non de illo. Quod enim de illo est, sicut Unigenitus Filius, ejusdem naturæ, cujus & ille, est. Ut anima ejusdem naturæ non sit, cujus est ille, facta est quidem ab illo, sed non de illo.*

XI. Reponebant. De formatione animæ dicitur *Gen.* 2. *v.* 7. quòd Deus *inspiravit in faciem ejus* (Adæ) *spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem:* sed ille, qui spirat, aliquid de se emittit; ergo anima, quâ homo vivit, est aliquid de substantia Dei.

XII. Sed respondet S. Thomas hâc q. 90. a. 1. ad. 1. quòd *inspirare non est accipiendum corporaliter. Sed idem est, Deum inspirare, quod spiritum facere. Quamvis & homo corporaliter spirans, non emittat aliquid de suâ substantia, sed de natura extranea.* Utramque responsionem dederat Vincentio S. August. laudato loco. *Quid est quod dicis*, eam particulam esse quandam halitus naturæ Dei? *Nunquidnam ipsum halitum naturæ Dei, cujus halitus est ista particula, negas ejusdem cujus Deus est, esse naturæ? Si negas;*

ergo

ergo de nihilo, & istum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis esse particulam. Aut si non de nihilo, dic, unde illum fecerit Deus? Si de seipso; ergo ipse est, quod absit, materies operis sui. Deinde ostendens, & nos, cùm halitum emittimus, non de nostra substantia, sed de extranea emittere, ait: *Deum quippe dicis incorporeum, non de nihilo à se factam, sed de seipso animam sufflare corpoream: cùm flatum nos, licèt corporeum, subtiliorem tamen emittamus, quàm nostra sunt corpora; nec eum de anima nostra, sed de hoc aere per viscera corporis exhalemus. Pulmones quippe anima, cujus nutu moventur etiam cætera corporis membra, ad hunc aerium spiritum ducendum, atque reddendum, sicut folles movet.* Sicut ergo halitus hominis non est de substantia hominis, sic nec halitus Dei erit de substantia Dei; ergo si anima est halitus Dei, non erit de substantia Dei. Vide quoque eundem *l. 7. Genes. ad litt. c. 2. & 3. & D. Thom. in 2. Sent. dist. 17. q. 1. a. 2. ad 1.*

XIII. Nec obstat, quòd *Act. 17. v. 28. & 29.* dicatur, nos esse *genus Dei*. Nam respondet D. Thom. loco ex 2. Sent. citato ad 2. *Quòd dicimur nos esse genus Dei quantùm ad animam, non ità quòd anima sit de divina essentia; sed quia participat naturam intellectualem, quæ etiam in Deo est, secundùm quod etiam dicitur ad imaginem Dei.* Unde *qu. 1. de Verit. a. 4. ad 8.* dicit, genus largo modo sumi, *accipiendo genus secundùm quòd omnia intelligibilia, vel incorporalia unius generis esse dicuntur, per modum quo dicitur Act. 17. Ipsius enim Dei, & nos genus sumus.*

Dici etiam potest, Paulum sumsisse ibi *genus* pro *genitura*, & dixisse nos esse genus Dei, idest *progeniem*; ut significaret, Deum non solùm esse Opificem nostri, ut est rerum, quamvis inanimatarum, sed etiam esse Parentem; ideòque cognatione quâdam nos homines illi esse conjunctos, utpote ejus, nedum opus, sed progeniem; quia ita ab illo conditos, ut similitudine naturæ ipsum referamus, utpotè mente, & arbitrio (quibus ipse inprimis pollet) ab eo donati.

DUBIUM IV.

An Anima sit spiritualis, & immortalis?

§. I.

Anima hominis est spiritualis.

I. Statuto, Animam, seu *spiraculum vitæ* à Deo primo homini inspiratum, non fuisse portionem substantiæ Dei, relinquitur ut sit aliquid à Deo in homine factum. Nunc de modo, quo factum fuit, agemus, cum D. Thoma *q. 90.* citatâ *a. 2. & 3.* an scilicet per creationem, & an ab ipso immediatè.

Priusquàm tamen ad resolutionem Dubii deveniamus duo existimo stabilienda. Primùm: animam humanam esse substantiam omnino spiritualem, & materiæ expertem. Et secundùm: eam esse incorruptibilem, & immortalem. Primum præsenti §. resolvetur, secundum verò in sequenti; quibus parabitur via ad resolutionem principalem. Breviter tamen hìc procedemus, cùm de hoc Philosophi fusè agere soleant in octavo Physicorum.

II. Circa igitur animæ substantiam non solùm errarunt Gentiles Philosophi, qui eam corporeum quid affirmabant. *Nam* [referente Sancto Justino Mart. Cohortat. ad Græcos, pag. 8.] *quidam eorum animam ignem esse asseverant: quidam alii aerem, alii mentem, alii motionem, alii exhalationem; nonnulli verò vim ab astris defluentem; quidam numerum movendi potestatem obtinentem: alii aquam genitalem.* Verùm etiam ex Christianis erravit Tertullianus, ut constat ex pluribus ejus locis, maximè tamen *lib. de Anima à cap. 5.*

cap. 5. usque ad 11. &c. & hoc probare conatus fuit, non solùm philosophicis rationibus, sed etiam Scripturis; & præsertim *cap.* 7. exemplo animarum Divitis in Inferno positi, & Lazari in sinu Abrahæ existentis *Lucæ* 16. de quo infra dicemus. Ad hunc autem errorem tuendum etiam inductus fuit ex nimia credulitate falsæ cujusdam mulieris revelationi, quam refert eodem *lib. de Anima c.* 9. asserentis, se visu prophetico à sensibus alienatam, animam vidisse tanquam aerii, & lucidi coloris: quæ tamen mulier esto foret, & ipsa Montanisticæ Sectæ [ut observat Pamelius *in Antidoto ad Tertulliani Paradoxa nu.* 7.] non fuit Priscilla, aut Maximilla, quæ jamdudum antea suspendio perierant, sed cujusdam earum Discipulæ. Hoc errore Tertullianum notat S. Augustinus *lib. de Hæres. c.* 85. & *lib.* 10. *de Genes. ad litt. c.* 25. *&* 26. quibus tamen in locis eum excusare conatur, dicens: *Corpus esse animam credidit, non ob aliud, nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit; & ideò timuit, ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere.* Mirum ergo non est, qui nequivit cogitare Deum, nisi corporeum, animam nisi corpoream cogitare valuisse.

III. Dico tamen. Anima primo homini infusa, & quæ omnibus hominibus infunditur, est in se prorsùs spiritualis, & corporis, seu materiæ omnino expers. Est de fide. Et probatur ex Scriptura, quæ eam vocat spiritum. Ecclesiastis 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Unde Augustinus *lib.* 12. *de Gen. ad litt. c.* 32. ait: *Jam utrum habeat aliquod corpus, cùm de hoc corpore exierit, ostendat, qui potest, ego autem non puto: spiritalem enim arbitror esse, non corporalem.* Rursùs 1. *Cor. cap.* 2. *v.* 11. ait Paulus: *Quis enim hominum scit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ità & quę Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Sed spiritus Dei est verè corporis expers; ergo & spiritus hominis. Animam enim esse spiritum, & Deum esse spiritum, adeò conjuncta sunt; ut Augustinus *l.* 10. *de Gen. ad litt. c.* 24. dixerit: *nihil vicinius, aut fortasse nihil tàm consequens, quàm, ut eredito, quòd anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur.* Et rationem reddit; quia scilicet *ad ipsius imaginem facta est.* Hanc tanquam Catholicam veritatem profitetur, & statuit Concilium Lateranense IV. *c. Firmiter*, dùm creaturam humanam pronunciat *ex corpore, & spiritu constitutam.*

IV. Adest quoque ratio, quam tradit D. Thomas 1. *p. q.* 75. *a.* 2. Anima rationalis est principium intellectualis operationis; ergo anima non est corpus, sed spiritus. Conseq. prob. hoc discursu: *Homo per intellectum cognoscere potest naturas omnium corporum: quod autem potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua natura, quia illud, quod inesset ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum: sicut videmus, quòd lingua infirmi, quę infecta est cholerico, & amaro humore, non potest percipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei amara. Si igitur principium intellectuale haberet in se naturam alicujus corporis, non posset omnia corpora cognoscere: omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impossibile est igitur, quòd principium intellectuale sit corpus. Et similiter impossibile est, quòd intelligat per organum corporeum: quia natura determinata illius organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum: sicut si aliquis determinatus color sit non solùm in pupilla, sed etiam in vase vitreo, liquor infusus ejusdem coloris videtur.* Ita S. Thomas.

V. Neque sequitur, quòd si habeat naturam spiritualem, hæc natura, quam in se habet, impediat cognitionem aliorum spiritualium, sed potiùs juvet: quia immaterialitas reddit naturam capacem specierum omnium intelligibilium; non verò eam coarctat

ad unum, ſicut facit materialitas, & corporeitas. Unde ex immaterialitate probavimus cognoſcitivitatem cum D. Thom. 1. *p. q.* 14. *a.* 1.

VI. Probatur ſecundò. Anima rationalis intelligit res univerſales, itemque Deum, & Angelos; ergo non eſt corporea: ſi enim eſſet corporea, non poſſet niſi corpora, & ſingularia cognoſcere. Hanc rationem expendit, & confirmat Caſſiodorus *lib. de Anima. cap.* 4.

VII. Ulteriùs. Operationes indicant naturam ſui principii: ſed intelligere, & velle, quæ ſunt operationes propriæ animæ rationalis, non exercentur per organa corporalia; imò in ſtatu ſeparationis ab omni corpore meliùs exercentur, ut dùm anima eſt à corpore ſeparata; & in Angelis, in quibus, quia abſolutis ab omni ordine ad corpus, perfectiori modo dictæ operationes inveniuntur; ergo &c.

VIII Ex dictis conſequitur, animam rationalem eſſe ſubſiſtentem. Quod enim per ſe poteſt eſſe, & operari eſt ſubſiſtens: ſed anima humana poteſt per ſe eſſe, & operari, ut cùm eſt à corpore ſeparata. Eſto enim dùm eſt corpori conjuncta, egeat ope phantaſmatum, & ſenſuum ad cognoſcendum, hoc accidit ei, quia corpori conjuncta, & in eo quaſi clauſa, non per ſeipſam poteſt immediatè ad ſe trahere objecta, ſed eget miniſterio ſenſuum. Cæterùm à corpore ſoluta, rejectis ſenſibus, & phantaſmatibus, per ſeipſam cuicumque intelligibili, etiam Deo, coniungi poteſt.

IX. Sed objicies cum Tertulliano, Scripturam nobis proponere animam habentem oculos, linguam, digitos in illo Divite, & Mendico, de quibus Lucas *cap.* 16. ait enim lib. de Anima c. 7. *Corporalitas animæ in ipſo Evangelio relucebit. Dolet apud Inferos anima cujuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ felicioris implorat ſolatium roris.*

Idem conatur oſtendere ex animabus Patriarcharum apud Inferos detentis, & à Chriſto ſolutis. Et concludit: *Igitur ſi quid tormenti ſive ſolatii anima percepit in carcere, ſeu diverſorio inferûm, in igne, vel in ſinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati poſſit, aut ſi habet, hoc erit corpus.*

X. Reſpondeo, de hâc Chriſti narratione ſive hiſtoricâ, ſive parabolicâ Divitis damnati, & Lazari locutos nos fuiſſe ſuperiùs, agentes de pœna ignis; ubi diximus animabus Divitis, & Lazari, oculos, linguam, & digitos per metaphoram à Chriſto accommodari. Cùm enim narrationem inchoaſſet à tempore, quo uterque cum vivis agebat, de iis etiam poſt mortem, ac ſi viverent, ſermonem proſecutus fuit; ut turbæ, quæ audiebant, meliùs caperent unius tormentum, & alterius ſolatium. Sed audiendus eſt S. Auguſtinus *lib.* 4. *de Anima, & ejus origine cap.* 16. qui Vincentium Victorem ex præfata Evangelica narratione animam colligentem eſſe corpoream, cùm tamen Deum corporeum eſſe negaret, ita redarguit. *Quid igitur cauſa eſt, cur nomina iſta membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An verò quando de creatura hæc dicuntur, propriè accipienda ſunt, quando autem de Creatore, tropicè, atque translatè? Pennas itaque corporeas daturus es nobis, quoniam non Creator, ſed creatura, ideſt homo, dicit:* Si aſſumſero pennas meas ſicut Columba. (Pſalm. 138. 9.) *Porrò autem, ſi propterea linguam habebat Dives ille corpoream, quoniam dicit, refrigeret linguam meam: in nobis quoque adhuc in carne viventibus, manus habet ipſa lingua corporeas, quia ſcriptum eſt:* mors, & vita in manibus linguæ. (Proverb. 18. 21.) *Puto etiam non tibi videri, vel eſſe creaturam, vel corpus eſſe peccatum: cur ergo habet faciem? An non audis in Pſalmo*, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum? [*Pſalm.* 37. 4.]

XI.

XI. Quomodo autem anima, etsi incorporea, possit à loco corporeo detineri, pati dolere, cruciari, superiùs dictum est, explicando modum, quo Dæmones igni corporeo alligentur, & ex eo pœnam, & cruciatum accipiant, non corporali modo, sed intellectuali. Sed ut hæc percipiantur, oportet supra imaginationem ascendere. Nam ut benè notat D. Thomas 1. *p. q.* 75. *a.* 1. antiqui Philosophi immaginationem transcendere non valentes, sola corpora res esse dicebant; ita ut, quod non est corpus nihil esset, & propterea animam dicebant esse corpoream, & aliqui etiam ipsum Deum.

XII. Neque ex quo insomniis, aut in ecstasi aliquando animæ tanquam corpora apparuerint, arguere poterat Tertullianus, eas esse corpora. Nam aliàs, cùm sub formâ corporis apparuerint Angeli, imò etiam Deus, deduci posset, Angelum, & Deum esse corporeos; sed solùm sub similitudine corporis oculis nostris, aut phantasiæ se præsentasse. Imò, ut acutè discurrit Augustinus citato loco *cap.* 17. si ea, quæ vigilantes, aut dormientes tanquam corpora concipimus, Cœlum, Solem, Montes &c. reverà corpora essent, & non solùm corporum similitudines, nec ea posset mens in seipsa capere, nec memoria continere. Ex quibus Augustinus ita discurrit: si anima corpus esset, tam magnas, & multas corporum imagines capere, & continere cogitando non posset: sed eas cogitando capit, & intra se cogitando revolvit; ergo nec corporea, nec corpus est. Videatur S. August. loco laudato.

XIII. Objicies secundò. Omnis cognitio fit per aliquam similitudinem: sed corporis, ad rem incorpoream non potest esse similitudo; ergo si anima non esset corpus, non posset res corporeas cognoscere.

Respondeo cum D. Tho. 1. *p. q.* 75. *a.* 1. *ad* 2. dist. maj. per aliquam similitudinem, quæ actu sit in natura cognoscentis, nego majorem. Ad quam habendam cognoscens sit in potentia, conc. maj. Ad cognitionem ergo non petitur, ut similitudo rei cognitæ actu sit in natura cognoscentis; ita ut cognoscens talis naturæ sit, qualis est res cognita: sed sat est, ut similitudo rei cognitæ sit in cognoscente in potentia tantùm, *sicut color non est actu in pupilla, sed in potentia tantùm. Unde non oportet, quòd in natura anima sit similitudo rerum corporearum in actu, sed quòd sit in potentia ad hujusmodi similitudines.* Imò ut dicebamus cum S. Tho. Si in animæ natura esset actu similitudo alicujus corporis, illud tantùm posset cognoscere, & non alia.

XIV. Objicies tertiò. Moventis ad motum oportet esse aliquem contactum: contactus autem non est, nisi corporum; cùm igitur anima moveat corpus, anima erit corpus.

Confirmatur ex Tertulliano lib. citato *de Anima c.* 5. Corporalium, & incorporalium passiones invicem non communicant: sed anima compatitur corpori, *cui læso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit; & corpus animæ, cui afflictæ curâ, angore, amore cohærescit per detrimentum proprii vigoris, cujus pudorem, & pavorem rubore, atque pallore testetur. Igitur anima corpus* (est) *ex corporalium passionum communione.*

XV. Respondetur ex D. Tho. loco superiùs citato ad 3. *quòd est duplex contactus, quantitatis, & virtutis. Primo modo corpus non tangitur nisi à corpore. Secundo modo corpus potest tangi à re incorporea, quæ movet corpus.*

XVI. Ad confirm. dico, res incorporeas non communicare quidem in passionibus corporeis quantùm ad entitatem, & effectum, in se tales passiones habendo; communicare tamen quantùm ad conjunctionem, & affectum, & maximè animam humanam. Hæc enim cùm, etsi incorporea, sit tamen forma corporis, & ei conjungatur, tanquam comparti, cum qua

 homi-

hominem constituit, necesse, est ut mutua fiat passionum communicatio quantùm ad affectum; ut corpore dolente, anima tristetur, non quidem corporei doloris susceptione, sed affectu, quo suam compartem, corpus nempe, prosequitur; & è converso quia corpus ab anima movetur, necesse est, ut in corpore variarum animæ affectionum signa resultent, atque appareant.

§. I I.

Anima hominis est incoruptibilis, & immortalis

XVII. Contra hanc veritatem multi erraverunt. Prætereo Philosophos Paganos, quorum plerique cum Epicuro de animæ immortalitate male senserunt. Venio ad hæreticos. Animæ ergo inmortalitatem negarunt primò Dositeus antea religione Judęus, hâc ratione negans futurum judicium, teste Philastrio de *Hęres. c.* 4. Secundò Sadducæi à Saddoc Dosithei discipulo, teste eodem *c.* 5. Epicuream dementiam potiùs, quàm Deum sectantes, contra quos Christus prædicavit. Tertiò Samaritani à Samario Rege ita nuncupati, vel à filio Canaam, qui hoc nomine Samarius vocabatur. Isti [inquit Philastrius c. 7.] quatuor tantùm priores libros Moysi recipientes, judicium futurum non expectantes, resurrectionem negantes, Christum Messiam esse in Lege promissum non credentes, animam etiam immortalem hominem habere inficiebantur.

Seculo autem tertio ineunte, nimirum anno post Christum circiter 207. Severi Imperatoris temporibus, & Zephyrini Pontificis, surrexerunt quidam ex Arabia dicti propterea Arabici, de quibus Eusebius *lib. 6. Hist. c.* 26. & S. Augustinus *de Hæres. c.* 83. asserentes *animas hominum unà cum corporibus extingui, sed postmodum in resurrectione simul cum corporibus surrecturas*. Horum temporibus cùm viveret Origenes, [auctore Eusebio] hujus allocutionibus, ac disputationibus eorum non pauci resipuerunt. Istorum meminit S. Thomas 2. *Contrag. c.* 79. his verbis; *dicitur in lib. de Ecclesiast. dogmat.* [c. 15.] *solum hominem credimus habere animam substantivam, qua exuta corpore vivit... neque cum corpore moritur, sicut* Arabs *asserit*. Contra istos, duos libros composuit S. Jo. Chrysostomus.

Hunc errorem seculo decimo evulgavit per Occitaniam hæreticus quidam Walfredus nomine. Eundem seculo 15. desinente excitavit Hermanus Risuich, quem Haga ignibus absumsit ann. 1510. sed quid moror antiquos ac præteritos errores perscrutando? Sociniani moderni, in quorum sectam Calvinismus sensim ruit, veri Athei, repudiatis omnibus Christianæ Religionis Articulis fundamentalibus, ut latam viam sternant libertati, hanc inter alias blasphemiam latis ulnis à Fausto Socino suscepere: animas à morte non superesse, resurrectionemque futuram nullam esse. Contra omnes istos stat Catholica veritas, pro qua

XVIII. Dico. Animam hominis esse incorruptibilem, & immortalem. Nimius essem, si omnia Scripturarum, & Patrum loca eam adtestantia congerere vellem. Aliqua afferam. 1. *Exodi* 3. *v.* 6. plurimis annis post mortem corporalem Abrahæ, Isaac, & Jacob Dominus Deus dicit: *ego sum Deus Patris tui Deus, Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Quem locum adferens Christus *Matth.* 22. *v.* 32. contra Sadducæos, ita subsumit: *non est Deus mortuorum, sed viventium*; ergo cùm præfati Patriarchæ non viverent secundùm corpus, indicavit, eos adhuc vivere secundùm animas. Unde Chrysostomus *Hom.* 71. *in Matth.* ait: *Non enim dixit* eram, *sed* sum, *eorum scilicet, qui sunt, & vivunt*.

Secundò. Ecclesiastæ 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Tertiò. *Sapientia* 3. *v.* 1. 2. 3. dicitur;

citur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori.... illi autem sunt in pace.* Et c. 5. v. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.*

XIX. Eidem veritati fidem facit Christus Matth. 10. v. 28. *Nolite* (inquit) *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Certè si anima cum corpore interiret, qui corpus occideret, & animam occideret. Nec insuper dixit timete eum, qui potest animam, & corpus *occidere*, sed *perdere in gehennam*, idest mittere in perditionem æternam, juxta ea, quæ dixit Matth. 25. v. 41. *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

XX. Ne autem dicerent hæretici, hæc non indicare, animam cum corpore non interire, sed solùm non interire in æternum, cum tandem simul cum corpore sit surrectura: propterea *Luca* 16. animas pereunte corpore non perire, ostendit exemplo Divitis, & Lazari, quorum corporibus morte incineratis, animæ tamen adhuc vivebant, Divitis quidem inter cruciatus Inferni, Lazari verò inter refrigeria in Abrahæ sinu. Quod & Joannes in *Apocal.* testatur, dum ait c. 6. v. 9. 10. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei ..... Et clamabant voce magna dicentes.* Si ergo animæ interfectorum clamabant; ergo vivebant etiam corporibus interfectis.

XXI. In hanc veritatem conspirarunt Patres omnes. Justinus *Apol. 2. pro Christianis*, & *Dialogo cum Triphone*. Irenæus *l. 2. c. 33. & lib. 5. c. 4.* quamvis eam corpoream suspicentur, immortalem tamen naturâ prædicant. Imò & Tertulianus ipse lib. de Anima c. 22. *Definimus* (inquit) *animam Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, substantiam simplicem, de suo patientem, variè procedentem, liberam arbitrii, accidentis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem, ex una redundantem.* Athanasius Orat. contra gentes num. 33. *si enim* (inquit) *in corpore adhuc vincta, vitam, quæ extra corpus est* (anima) *vivit, multò magis post mortem corporis vivet, nec vivere desinet ... Idcircò enim immortalia, & æterna cogitat, & sapit, quia immortalis est. Namque ut mortalis corporis sensus nihil, nisi mortale percipiunt: sic animam res mortales contemplantem & meditantem, immortalem quoque esse, & semper vivere necesse est.* Hæc Athanasius. Ex quibus hæc formari potest ratio. Anima rationalis cognoscit nedum mortalia, & temporanea, sed immortalia, & æterna: imò ad hæc cognoscenda ordinata est; ergo est immortalis. Consequentia prob. Quia enim sensus non nisi mortalia cognoscunt, mortales propterea sunt; ergo quia anima rationalis etiam immortalia cognoscit, immortalis idcircò est.

Idem sentiunt Ambrosius *de Bono mortis c. 9. Lib. 2. de Fide c. 3. Lib. de Fide Resurrect.* paulò post initium. *Lib. 2. de Caim c. 10.* Hieronymus *in c. 22. Matth. In c. 51. Isaia.* August. *libro integro de Immortalit. animę. L. 1. de Trinit c. 1. Tract. 23. in Joannem.* Chrysost. *hom. 4. de Providentia.* Nazianzenus *Orat. 1.* Uno verbo omnes Patres.

XXII. Quapropter Ecclesia Catholica in Concilio Lateranensi V. sub Leone X. Sess. 8. hanc veritatem definivit, dicens: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse.* Et rationem reddens, subjungit: *Aliàs Incarnatio, & alia Christi Mysteria nobis minimè profuissent; nec Resurrectio expectanda foret, ac Sancti, & Justi miserabiliores essent, juxta Apostolum, cunctis hominibus.*

XXIII. Nec desunt naturales rationes, quarum plures Studiosus videre poterit apud D. Thom. *l. 2. Contrag. c. 79.*

c. 79. 80. & 81. *Q. unica de Anima a.* 14. Eas adducam, quas affert 1. *p. q.* 75. *a.* 6. Prima procedit, supposito, quòd sit spiritualis, hoc pacto. Anima rationalis neque potest corrumpi per se, nec per accidens; ergo nullo modo. Non per se: quia cùm sit spiritualis est per se subsistens; ideòque esse est naturaliter ab ea inseparabile, cùm ei per se conveniat, ut superiùs de immortalitate Angelorum ostendimus. Non etiam per accidens: quoniam illa corrumpuntur per accidens, quæ ad corruptionem alterius corrumpuntur, sicut animæ brutorum corruptis corporibus corrumpuntur; hoc autem modo ea sola corrumpuntur, quæ non subsistunt per se.

Secunda procedit (dato, quòd esset corporea, ut multi Veterum voluerunt) sic. Non invenitur corruptio, nisi ubi est contrarietas; Cœli namque etsi corporei, sunt incorruptibiles, quia in eis materia nulli contrarietati subjecta est: sed in anima intellectiva nulla potest esse contrarietas; quæ enim in ea recipiuntur, quamvis inter se contraria sint, nullam tamen in ea contrarietatem exercent: sunt enim in ea secundùm esse intelligibile, secundùm quod conveniunt potiùs, quàm contrarientur, cùm sit una scientia contrariorum.

Tertia procedit à signo. Anima humana naturaliter desiderat semper esse: sed naturale desiderium non potest esse inane; ergo anima humana naturaliter petit semper esse; ergo incorruptibilis est.

XXIV. Supersunt etiam rationes morales. Nam si anima est mortalis, vel Dei Providentia non est; vel iniqua dispensatrix est: cùm enim in hâc vita probi sepè affligantur, & impii prosperentur; si non esset post hanc alia vita, in qua impii pœnam, & justi præmium reciperent, æqua certè, & justa Providentia non esset.

Rursus: Damnandi essent tanquam insani, qui pro Patriæ, vel Parentum, vel etiam ipsius Dei causâ tuendâ præclaram mortem elegerunt; si nihil post hanc vitam sperandum illis fuisset, & maximum malum, mortem scilicet, prætulissent maximo bono nempæ vitæ.

Quid insuper virtutem colimus, quid Deum veneramur, qui & nullis donat præmiis eos, qui seipsos, ipsamque vitam pro eo tradidere; eorumque occisores viros omnibus vitiis sordidatos, impunitos, ac de suis sceleribus gloriantes abire permittit? Certè si anima cum corpore interiret, nullus Dei esset Cultus, nulla Religio, nullus Dei timor, nullus Deus, sed solis locus vitiis, solis cupiditatibus; nullius enim utilitatis esset virtutem tanto labore comparare: quin imò meliùs esset impiè ac luxuriosè vivere, ac dicere Sap. 2. v. 2. *Ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus tanquam non fuerimus &c.* v. 8. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant &c.* Quare S. August. *lib.* 6. *Confess. c.* 16. de seipso fatebatur: *Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem, post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.*

XXV. Hæc sapientiores ex Philosophis ad animarum immortalitatem profitendam moverunt, ut Cicero lib. de Amicitia dixerit: *Plus apud me Antiquorum valet auctoritas, vel Majorum nostrorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent, si judicassent, animam simul corpore interire.* Ac propterea Melchiori Cano libentiùs subscribo, qui *lib.* 12. *de Locis Theologicis c.* 15. *preposit* 3. & 4. tanquam erroneum pronunciat dicere, animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse: quando & D. August. Serm. 139. de tempore, nunc 140. *Philosophi* (inquit) *seculi hujus, qui magni fuerunt, & docti, & cæteris meliores, animam humanam immortalem esse senserunt: nec solùm senserunt, sed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipsas defen-*

fensiones sunt conscriptas Posteris reliquerunt.

XXVI. Sed dices in contrarium primò. *Ecclesiasta* 3. *v.* 19. dicitur: *unus interitus est hominis, & jumentorum, & aqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius*; ergo cùm jumentorum animæ mortales sint, eadem ratione mortalis erit anima hominis. Unde *Psalm.* 145. *v.* 4. dicitur: *Exibit spiritus ejus* (hominis) *& revertetur in terram suam.*

XXVII. Respondetur primò ex D. Thom. 1. *p. q.* 75. *a.* 6. *ad* 1. quod *Salomon inducit rationem illam ex persona insipientium, ut exprimitur Sapientiæ* 2. Observat autem S. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. c.* 4. quod *liber ille Ecclesiastes appellatus est. Ecclesiastes autem propriè Concionator dicitur.... Hic igitur liber idcircò Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turba suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias, quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit. Sed concionator verax velut extensâ manu omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cùm in ejusdem libri termino ait* (c. 12. v. 13.) finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.

XXVIII. Respondeo secundò cum eodem D. Thom. citato, verbis illis induci similitudinem inter homines, & jumenta solùm *quantùm ad corpus. Similiter enim de terra facta sunt omnia animalia; non autem quantùm ad animam. Nam anima brutorum producitur ex virtute aliqua corporea, anima verò humana à Deo. Et ad hoc significandum dicitur Gen.* 1. Producat terra animam viventem. *Quantùm verò ad hominem dicitur, quòd* inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. *Et ideò concluditur Ecclesiastæ ultimo:* Revertatur pulvis in terram suam unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Similiter processus vitę est similis quantùm ad corpus, ad quod pertinet quod dicitur Ecclesiastæ* 3. Similiter spirant omnia: *& similiter Sap.* 2. fumus, & flatus est in naribus nostris. *Sed non est similis processus quantùm ad animam, quia homo intelligit, non autem animalia bruta. Unde falsum est, quod dicitur:* Nihil habet homo jumento amplius. *Et ideò similis est interitus quantùm ad corpus, sed non quantùm ad animam.*

In idem redit responsio ejusdem S. Doctoris q. un. de Anima a. 14. ad 1. *quod unus dicitur esse interitus hominum, & jumentorum, quantùm ad corruptionem compositi, quæ utrobique est per separationem animæ à corpore; licèt post separationem anima humana remaneat, non autem anima jumentorum.* Ita quoque S. Hieronymus in hunc locum, nimirùm: *quum etiam inter pecudes, & hominem secundùm corporis vilitatem nihil differre videatur, & sit eadem nascendi conditio, sors una moriendi, similiter procedamus ad lucem, æquè dissolvamur in pulverem,* loquitur Salomon de initio, progressu, & fine vitæ præsentis.

Ad ea, quæ adducuntur ex Psalmis, responsio patet ex sensu versus allati, qui talis est: *Exibit spiritus ejus,* scilicet hominis; & tunc ipse homo dissolvetur, & corpus ejus revertetur in terram suam, idest unde prodierat. Qui sensus convenit cum laudata ejusdem Ecclesiastæ sententiâ c. 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

XXIX. Dices secundò. I. ad Timoth. 6. v. 16. de Deo dicit Paulus: *qui solus habet immortalitatem,* nempè naturâ. Unde in Synodo *sexta Actione* 11. animæ dicuntur esse immortales, sed per gratiam.

Huic instantiæ responsum est, dùm ageremus de incorruptibilitate Angelorum. Videantur ibi dicta. Ad præsens dico, solum Deum habere immor-

mortalitatem, quia solus & caret principio intrinseco corruptionis, nec ab ullo extrinseco corrumpi, seu destrui potest. At anima habet quidem immortalitatem primo modo, non tamen secundo; quia Divinâ potentia, quâ ex nihilo facta fuit, posset quoque in nihilum redigi: & hoc modo dicitur immortalis ex gratia, quia naturam à Deo sortita est, cui nunquam accidet corruptio.

XXX. Dices tertiò. Quæcumque conveniunt ad unum esse, ita se habent, ut corrupto uno corrumpatur aliud: sed anima & corpus conveniunt ad unum esse; ergo corrupto corpore corrumpitur anima.

Si dicatur, majorem veram esse, quando quæ conveniunt ad idem esse, invicem pendent in esse; non sic autem se habent anima, & corpus. Nam corpus pendet quidem in suo esse ab anima, quæ illi esse suum, in quo subsistit, communicat: at anima non pendet in suo esse à corpore; & ideò remoto corpore adhuc remanet anima.

XXXI. Replicabis. Quod à corpore dependet in operari, ab eo dependet quoque in esse: sed anima rationalis dependet in operari à corpore: Tùm quia propria operatio animæ est intelligere cum phantasmate, & cum dependentia à corporeis organis; quare experientiâ videmus, interceptis spirituum animalium meatibus, ut fit in syncope & apoplexia, repente hominem omni usu rationis destitui; quod signum est, rationis usum à spiritibus, & cerebri affectu pendere.

Tùm quia destructo composito, animæ cogitationes pereunt: unde Psalm. 145. v. 4. dicitur: *In illa die* [mortis] *peribunt omnes cogitationes eorum*. Et Ecclesiastæ 9. v. 5. *mortui nihil noverunt*.

XXXII. Respondeo, dist. min. in operari apsolutè, nego min. In operari, ut est in corpore, subdistinguo: à corpore, ut organo per quod immediatè intelligat, nego min. Ut ministrante, & deferente species, co. min. Operatio enim propria animæ, quæ est intelligere non exercetur per organum corporale, sicut videre, vel audire; sed per principium spirituale immediatè perficitur. Quia tamen dùm est in corpore, non potest immediatè se convertere ad intelligibilia, ab eis sumendo species, sed eget sensuum ministerio; ideò pro statu unionis nequit intelligere, nisi & phantasmatibus hauriat species; separata tamen habebit alium modum, & quidem perfectiorem intelligendi. Hinc ad primam min. probat. respondeo cum D. Tho. 1. p. q. 75. a. 6. ad. 3. *quòd intelligere cum phantasmate est propria operatio animæ secundùm quòd corpori est unita: separata autem à corpore habebit alium modum intelligendi similem aliis substantiis à corpore separatis*. Quia verò dùm est unita corpori non potest sine phantasmate, & sensibus intelligere, fit, ut per syncopem seu apoplexiam ligatis sensibus, & per amentiam phantasmatibus perturbatis, nequeat rationis usum explicare; sed hoc convenit ei ratione status, non ratione substantiæ.

Ad aliam probat. Ex Script. dico, non fieri sensum, animam à corpore separatam nullam cogitationem habituram, sed perituras illas cogitationes de rebus, & negotiis temporalibus, de quibus soliciti erant homines dùm viverent. Et in eodem sensu dicitur, quòd mortui nihil noverunt, nempe de his, quæ contingunt circa nos, quæ ad statum ipsorum non spectant. Sed de his alibi.

DU-

DUBIUM V.

An Anima rationalis facta fuerit per creationem?

§. I.

Opiniones, seu errores.

I. Cum jam ostensum sit, animam humanam non quidem de Deo, seu Dei substantiâ, sed à Deo esse factam; de modo, quo facta fuit, nunc sermo erit. Primò quidem de anima primi hominis, deinde de animabus aliorum ab eo descendentium. Cùmque supponamus jam probatum, animas humanas non fuisse ante corpus productas, deinde corpori alligatas; quærendum erit, an de corpore fuerint factæ, an ex nihilo creatæ, & adhuc creentur.

II. Tertullianus, sicut, ut superiùs vidimus, animam corpoream esse opinatus est; ita quoque eam cum corpore à parentibus traduci, seu generari existimavit. Eodem errore laborarunt Apollinaristæ, quibus, & hæresim, & nomen dederunt duo Apollinarii pater, & filius, quarto seculo, annum circa 377. Valentiniano Imperante, ac Romæ sedente Damaso, uterque eruditione celebris, & junior tempore Juliani Imperatoris maximè juvit Ecclesiam. Nam cùm impius Imperator prohibuisset, ne Christiani liberalibus artibus imbuerentur; Apollinarius in gratiam juventutis, Hebræorum historiam usque ad Regnum Saulis descripsit, aliaque edidit humanioris literaturæ, argumentis ex Sacra Scriptura depromtis. Præcipuè verò librum elaboravit contra Julianum ipsum, seu adversùs Philosophos gentiles, quo eorum circa Deum pudendos errores prostravit; quod opus irridens Julianus Apostata, scripsit ad Episcopos: *legi, intellexi, improbavi*. Ad quæ ipsi responderunt: *legisti quidem, sed non intellexisti; nam si intellexisses, non improbasses*. Verùm indignatus Apollinarius, quòd à Georgio Laodicæno Episcopo Ariano, ob initam cum Athanasio communionem, ab Ecclesia pulsus esset (cùm tamen ab Arianis pelli loco honoris ducere debuisset) novam excogitavit hæresim. Cujus præcipuus error erat quidem, Verbum assumsisse solam carnem, non animam rationalem, sed Verbum fuisse illi loco animæ, & intellectus; at hunc alium quoque adjunxit, animam ex traduce per generationem fieri.

III. De quo ita testatur S. Hieronymus *Epist.* 82. modò 78. *ad Marcellinum, & Anapsychiam*, ubi, referens sententias de origine animæ, ait: *Super anima statu memini vestra quæstiuncula, imò maximè Ecclesiastica quæstionis: Utrum lapsa de Cælo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesque Platonici, & Origenes, putant; an à propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani hæresis suspicantur; an in thesauro habeantur Dei, olim condita, ut quidam Ecclesiastici stultâ persuasione confidunt, an quotidie à Deo fiant, & mittantur in corpora, secundùm illud, quod in Evangelio scriptum est* (Joann. 5. v. 17.) Pater meus usque modò operatur, & ego operor; *an certè ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat &c.*

IV. Circa eadem in eodem luto hæserunt Luciferiani duce Lucifero Calaritano in Sardinia Episcopo, qui, teste D. Augustino *lib. de Hæres. c.* 81. hunc errorem obtrusit, animam hominis de carnis substantia propagari; quem tamen, an idcircò habendus fuerit ut hæreticus, sub dubio S. Augustinus relinquit. Hunc Luciferum vixisse circa annum 350. vel 365. temporibus Constantii Imperatoris, & Liberii Papæ, tradunt historici. His adjungunt aliqui Massalianos, seu Messalianos ejusdem quarti seculi hæreticos,

ticos, anno 380. Valentis, & Damasi temporibus, quasi inter alios errores hunc etiam haberent, quòd dicerent animam hominis non factam à Deo per Filium, sed de terra, seu de carne esse, à Deo elevatâ ad producendam animam, etsi spiritualem. Sed hos omitto, quia esto Prateolus hunc errorem ipsis affingat; attamen S. August. *lib. de Hæres. c.* 57. ubi alios eorum recenset errores, istius non meminit, sicut nec alii Recentiores.

V. Noto tamen, hanc veritatem, animam humanam non traduci per generationem, sed à Deo esse creatam, antiquis temporibus non fuisse adeò exploratam, quin aliquis salva fide de ea dubitare non posset. Tùm quia D. Hieronymus superiùs relatus testatur, maximam partem Occidentalium contrarium opinatam fuisse. Tùm quia S. Augustinus in hac re dubius fuisse videtur. Nàm *lib.* 1. *de Anima, & ejus origine à cap.* 14. Vincentio Victori dicit: *animas à Deo, non ex propagine fieri, sed novas singulis insufflari: probet si potest, & fatebor, me didicisse ab illo, quòd magna intentione quærebam.* Inde ostendens, nullum ex Scripturæ textibus quos adducit, esse, cui congrua non possit adhiberi explicatio, concludit c. 17. *Nihil enim horum tanquam certum affirmamus, sed quid horum verum sit, adhuc quærimus.* Idem testatur *lib.* 3. *de Peccat. merit. & remiss. cap.* 10. *& alibi.* In qua perplexitate, & inquisitione continuasse usque ad mortem testantur, quæ in libris Retractationum scripsit. Nàm *lib.* 1. *cap.* 1. ingenuè profitetur, de animæ origine, *nec tunc sciebam, nec adhuc scio.* Quod repetit *l.* 2. *Retract. cap.* 56.

VI. Causa autem hujus dubitationis erat: quia ex eo, quòd anima dicebatur non esse ex traduce, Pelagiani conabantur evertere fundatissimam Ecclesiæ fidem de peccato originali. Quomodo enim anima parvuli contraheret illud peccatum, in instanti conceptionis, si illa non traducitur à parentibus, sed creatur à Deo, qui non est auctor peccati: Unde S. Augustinus *lib.* 3. *de Peccat. merit. & remiss. c.* 10. refert Pelagium ita opponentem: *Si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantùm habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur, ... injustum esse, ut hodie nata anima, non ex massa Adæ, tam antiquum portet peccatum alienum.* Hinc S. Gregorius *l.* 7. *Epist.* 53. in eadem dubitatione fuit. Quapropter Hugo Victorinus *l.* 1. *de Sacram. p.* 6. *c.* 3. Et Alphonsus Castrensis *l.* 2. *contra Hæres. errore* 5. *de anima*, putant, de fide non esse, animas creari, & non traduci; quia nec Scripturæ auctoritate, nec Ecclesiæ Traditione, aut Decreto probari potest.

VII. Quidquid tamen sit de priscis illis temporibus, quibus nondum eliquatâ veritate poterat in alterutram partem disputari: modò tamen probabilius censeo, esse de fide tenendum, animam humanam non traduci, sed à Deo creari. Primo quia ita sentit D. Th. tum 2. *Contrag. cap.* 86. ubi dicit esse errorem *Appolinaris, & sequacium ejus ponere, animas ab animabus generari, sicut à corporibus corpora.* Tùm *q.* 3. *de Potentia a.* 9. ubi relatis tribus de origine animæ opinionibus; prima, quod anima filii ex anima parentis propagetur; secunda, quòd omnes fuerunt seorsim creatæ ab initio extra corpora, deinde, vel nutu voluntatis, vel Deo mandante corporibus unitæ; & tertia, *animas cum creantur corpori infundi*; subdit: *quæ quidem opiniones, quamvis aliquo tempore sustinerentur, & quæ earum esset verior in dubium verteretur, ut patet ex Augustino in decimo super Genes. ad litt. & in libris, quos scribit de origine animæ; tamen prima duæ postmodum judicio Ecclesiæ sunt damnatæ, & tertia approbata.* Unde 1. p. q. 118. a. 2. concludit: *& ideò hæreticum est dicere quòd anima intellectiva traducatur cum semine.* His ergo positis.

§. II.

§. I I.

Veritas statuitur.

VIII. Dico. Anima Adami facta fuit à Deo per creationem, & eodem modo fiunt animæ Posterorum ejus, non ex traduce. Prior pars de anima Adami probatur ex illo Genesis 1. ubi de aliis rebus dicitur v. 11. *Germinet terra herbam*: v. 20. *producant aqua reptile animæ viventis*: & v. 24. *producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias &c.* At cùm venitur ad animam hominis, dicitur c. 2. v. 7. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitę.* Idque propterea, ut doceremur, hominis animam non è terra sicut corpus, sed à Deo immediatè creatam, & corpori inspiratam, seu infusam.

IX. Dicent fortè primò, spiraculum illud non fuisse animam hominis; quia illud inspiravit in faciem hominis jam formati, & proinde jam habentis animam. Textus enim ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrę*; & deinde subdit: *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitę*; ergo anima facta fuerat ante spiraculum illud, & consequenter ex corpore jam de limo terræ formato educta: nam sine anima rationali dici non posset formatus homo.

X. Sed contra. Nam ut supra *Dub.* 2. §. 1. diximus cum D. Thom. 1. *p. q.* 91. *a.* 4. *ad* 3. verba illa debent intelligi, non ita quòd Deus priùs formaverit hominem, deinde ei inspiraverit &c. sed ita, ut hæc verba *inspiravit*, sint quasi expositio ejus, quod præmiserat, nam anima est corporis forma. Unde sensus est: Deus formavit hominis corpus de limo terræ, cui pro forma ipse inspiravit animam.

Secundò. Dum dicitur: *formavit Deus hominem de limo terrę*, non sumitur totus homo, sed per Sinecdochen pars pro toto, nempe illa, quam formaverat de limo terræ, quæ est corpus organizatum; sicut sæpè Scriptura consuevit nominare animam pro toto homine, juxta illud Genes. 46. v. 26. *Cunctæ animę, quę ingressę sunt cum Jacob in Ægyptum &c.* Et Lucæ 16. dicitur, quòd dives sepultus est in Inferno, & Lazarus portatus in Sinum Abrahæ; cùm tamen de sola anima Divitis, & Lazari sermo sit. Et Genes. 50. v. 13. dicitur, cùm mortuus esset Jacob, quando *portantes eum in terram Chanaam, sepelierunt eum &c.* & tamen non portaverunt, nec sepelierunt, nisi corpus.

XI. Dicent secundò. Dato, animam primi hominis fuisse à Deo creatam, non sequi, creari etiam nostram: sicut ex quo corpus Adæ non fuerit formatum per traducem, & generationem, non sequitur, quòd etiam corpora nostra non per generationem unius ab altero, sed immediatè à Deo formentur.

Sed contra. Et probatur secunda pars. Nam Scriptura, sicut animam primi hominis dicit à Deo inspiratam, ita etiam ab ipso dari nobis animam pronunciat, non ex nobis traduci. Primò enim Adam videns ex se formatam Hevam, dixit Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: non addidit, *& anima de anima mea*. Secundò: Psalm. 32. v. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum*: solet autem Scriptura nomine cordis animam significare. Tertiò: Zachariæ 12. v. 1. Deus dicitur *extendens Cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo*. Sicut ergo extendit Cœlos, & fundavit terram solus; ita solus quoque fingit spiritum in homine. Tertiò: Ecclesiastæ 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Super quæ Hieronymus: *Ex quo (inquit) satis ridendi, qui putant, animas cum corporibus seri, & non à Deo, sed à corporum parentibus generari. Quùm enim caro revertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum pa-*

rentem animarum esse, non homines. Quod confirmat Paulus *Hebr.* 12. v. 9. ubi parentes nostros vocat *patres carnis nostræ*, Deum autem *Patrem Spirituum.*

XII. Hoc idem celebriores Patres quovis seculo testati sunt. D. Hilarius *in Psal.* 61. *nu.* 3. probat, uniuscujusque mentem ad cognitionem, spemque æternitatis naturali quodam ferri instinctu: *quia veluti insitum, impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari.* Et *lib.* 10. *de Trinit. nu.* 20. probat Christum ex Virgine assumsisse corpus, non animam, *cùm anima omnis opus Dei sit, carnis verò generatio semper ex carne sit.* Et inferiùs nu. 21. *Ut per se* (inquit) *sibi assumsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumsit: quæ utique nunquam ab homine gignentium originibus præbetur.*

XIII. Ambrosius lib. de Arca, & Noe cap. 4 *Plerumque* (ait) *Angelos, filios Dei vocat Scriptura, quia ex nullo homine generantur animæ.* Mitto alios Patres, Cyrillum Alex. *lib.* 1. *in Joann. cap.* 9. Theodoretum *lib.* 4. *de Materia, & mundo*; & *lib.* 5. qui est de natura hominis; & Hieronymum, qui in *Epist. ad Pammachium contra errores Joann. Hierosolym.* suam de animarum creatione sententiam vocat *Ecclesiasticam*; & *lib.* 3. *contra Ruffin.* idem confirmat. Præstat tamen audire Lactantium *lib. de Opificio Dei c.* 19. sic loquentem: *Utrumne anima ex patre, an potiùs ex matre, an verò ex utroque generetur. Sed ego id meo jure ab ancipiti vindico. Nihil enim ex his tribus verum est; quia neque ex utroque, neque ex alterutro seruntur animæ. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque, de animis anima non potest; quia ex re tenui, & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni, ac soli Deo subjacet &c.*

XIV. Tandem idemmet S. Augustinus, quamvis, ut vidimus, hâc in re hæsitaverit, contrariam tamen sententiam nunquam probavit: sed quærendo semper veritatem processit, et si quis eam fortè invenisset, sibi communicari exoptavit. Ita enim scribit *ep.* 157. modò 190. ad Optatum c. 4. *Si inveneris, quod te quærere admonui, quod ipse adhuc fateor non inveni, defende quantùm potes, atque asserе, animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur, & nobiscum quod inveneris, fraternâ dilectione communica. Si autem non inveneris..... nec sic jam temerè in aliam sententiam tua deflectatur assensio, ut eas ex illa una credas propagando traduci: ne fortè alius invenire possit, quod ipse non possis; aut aliquando invenias, quod nunc non potueris.* Vide quàm cautæ, quàm moderatè loquitur S. Augustinus. Discerent utinam Recentiorum non pauci, qui falsum existimantes totum, quod ipsi nesciunt, nec inveniunt, novas in dies opiniones invehunt in Ecclesiam.

XV. Nunc probanda est nostra assertio ratione. Et primò, quòd anima rationalis fiat per creationem, prob. ratione D. Thom. 1. *p. q.* 90. *a.* 2. sub hac forma. Id, cui propriè convenit fieri, & non fit ex materia, necesse est, ut fiat per creationem: sed animæ rationali propriè convenit fieri, & non potest fieri ex materia; ergo debet fieri per creationem. Maj. explicatur. Aliquid enim producitur non per creationem, sed per naturalem transmutationem; vel quia propriè, & per se non convenit ei fieri, ut sunt accidentia, & aliæ formæ non subsistentes; vel quia non fit ex nihilo, sed ex aliqua materia. Min. verò probatur pro prima parte. Cui enim convenit esse per se, ei convenit propriè per se fieri, cùm fieri sit via ad esse: sed animæ rationali convenit esse per se, cùm subsistat, unde potest etiam separata à corpore subsistere, & operari; ergo &c. Min. verò pro secunda parte probatur. Anima rationalis non fit, nec fieri potest ex materia corporali, cùm ut probavimus ipsa

ipsa sit immaterialis, & incorporea; neque ex materia spirituali, quia sic substantiæ spirituales essent invicem transmutabiles; ergo &c.

XVI. Confirmatur ratione ejusdem S. Doct. *q. 3. de Pot. a. 9.* res sic se habet ad fieri, sicut ad esse, & sic se habet ad esse, sicut ad operari, sed operatio propria animæ rationalis nempe intelligere per se non communicat corpori, cùm etiam separata à corpore perficiatur; ergo nec esse, nec fieri animæ rationalis communicabit, aut dependebit à corpore.

XVII. Probatur etiam, non posse animam rationalem per generationem traduci ratione D. Thomæ *1. p. q. 118. a. 2.* Primò quia virtus activa, quæ est in materia non potest extendere suam actionem ad effectum immaterialem: *impossibile, enim est* (inquit idem S. D. q. 3. de Pot. a. 9.) *actionem corporeę virtutis ad hoc elevari, quòd virtutem penitùs spiritualem, & incorpoream causare possit; nihil enim agit ultra suam speciem imò agens oportet esse præstantius patiente secundùm August. 12. super Genes. ad litt.* Sed virtus activa seminis est in materia: anima autem rationalis est effectus quidam immaterialis; ergo &c.

Secundò. Virtus, quæ est in semine agit in virtute formæ, secundùm quod illa forma est actus corporis utens in sua operatione organo corporeo: sed virtus agens in virtute formæ, secundùm quod est actus corporis utens organo corporali, non potest producere formam, quæ sit principium intellectionis, quæ est operatio ab organo corporeo independens; ergo &c.

Tertiò. Si anima rationalis per generationem ex materia fit, jam non erit per se subsistens; ergo non erit immortalis; sed corrupto corpore corrumpetur & ipsa, sicut animæ brutorum.

XVIII. Concludendum igitur est, animas non traduci seminali propagatione, sed formatis corporibus, à Deo creari, & creando corporibus infundi: hoc enim decuit, ut Deus sibi reservaret. Tùm ob earum dignitatem; quia cùm anima sit immago Dei habens solum Deum, ut suum ultimum finem, decuit quoque, ut ipse solus esset ejus principium. Tùm etiam ob earum immortalitatem; cùm enim Deus solus sit ipsa vita, & vita indeficiens, solus ipse est, qui potest producere principium vitæ, quod sit perpetuum. Mortalia enim agentia, vitam solùm mortalem, & vitæ temporaneum principium possunt producere. Ita ex S. Bonaventura in *2. dist. 18. q. 2.*

§. III.

Contraria proponuntur, & dissolvuntur.

XIX. Multa sunt, quæ hanc veritatem olim reddebant dubiam, & modò etiam quibusdam hæreticorum reddunt. Ea breviter proponemus. Et primo testimonia Scripturarum.

Primò ergo adducunt ea, quibus animæ dicuntur ab homine factæ, genitæ, & egressæ de femore ejus. Gen. 12. v. 5. de Abraham dicitur: *Tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui .... & animas, quas fecerant in Haran* & c. 46. v. 18. *Genuit Jacob sexdecim animas*, & ibi v. 29. *cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius.* Si ergo animæ filiorum à parentibus sunt factæ, genitæ, & de femore egressæ, non sunt à Deo creatæ, sed cum semine traductæ.

XX. Communis responsio est, quam tradit S. Thomas *q. 3. de Pot. a. 9. ad 1.* quod in adductis auctoritatibus *per Synecdochen ponitur pars pro toto, idest anima pro toto homine, & hoc ideò quia anima est principalior pars hominis, & unumquodque totum videtur esse id, quod est principalius in eo. Unde totus homo videtur esse anima, vel intellectus, secundùm quòd dicitur 9. Ethicorum.* Nomine ergo animarum intelliguntur Personæ, quas Abraham, & Jacob genuerant,

rant, filios nempe, & filias, non solas animas: sicut dùm dicitur in hac Civitate sunt 60. millia animæ, idem est ac dicere 60. millia homines. Et hoc in casu præsenti magis dicendum est: nam cùm dicatur, quòd animæ illæ egressæ de femore Jacob, ingressæ sint in Ægyptum, si de solis animabus intelligeretur, sequeretur solas animas, relictis corporibus, in Ægyptum fuisse ingressas, quod est ridiculum.

XXI. Aliam responsionem dat S. Augustinus *lib. 7. de Trinit. cap. 4.* dicens: *Sicut Scriptura nostra loqui solent, tres animas, cùm à parte meliore totum appellari placet, idest ab anima, & corpus & animam, quod est totus homo. Ita quippe dictum est, in Ægyptum descendisse cum Jacob animas septuaginta quinque pro tot hominibus.*

Rursùs *Epist.* 190. al. 157. *ad Optatum* supra laudatâ, in qua ostendit testimonia Scripturarum neutram partem apertè ostendere, c. 5. sic ait: *Itemque illi, qui propaginem animarum inconsideratâ temeritate defendunt, inter alia testimonia, quæ sue causæ suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius, & expressius pro se possunt putare proferendum, quàm id, quod in Genesi scriptum est*, Omnes autem animæ, quæ introjerunt cum Jacob in Ægyptum, qui exierunt de femoribus ejus. *Hoc enim velut evidentissimo testimonio possunt credi animæ in filios ex parentibus propagari, quoniam satis apertè dictum videtur, animas, etiam de femoribus Jacob, non sola exiisse corpora filiorum.* Verùm S. Doctor, neque hoc manifestè evincere, sic ostendit: *sed hoc testimonium certè quasi tam clarum, atque manifestum enodanda huic quæstioni non sufficeret, nec si ita legeretur genere fæminino*, quæ exierunt *de femoribus ejus, ut animas intelligeremus, quæ exierunt. Ideò autem non sufficeret, quia & animæ nomine, corpus solum posse significari, modo quodam locutionis ostenditur, quo significatur per id, quod continetur, id quod continet, sicut ait quidam:* vina coronant; *cùm coronarentur vasa vinaria. Vinum enim continetur, & vas continet. Sicut ergo appellamus Ecclesiam Basilicam, quâ continetur populus, qui verè appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, idest populi, qui continetur, significemus locum, qui continet; ità quòd animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic enim meliùs accipitur etiam illud, quod Lex inquinari dicit eum, qui intraverit super animam mortuam, hoc est super defuncti cadaver; ut nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat, quia & absente populo, idest Ecclesiâ, locus tamen ille nihilominus Ecclesia nuncupatur. Hæc responderentur, si, ut dixi, fæminino genere positum esset*, quæ exierunt *de femoribus Jacob, idest, quæ anima.*

Nunc verò cùm masculinum genus sit positum, idest, qui exierunt de femoribus Jacob; *quis non ità intelligere malit, omnes animæ eorum, qui exierunt de femoribus ejus, idest animæ hominum: ut etiam sic possint intelligi secundùm corpus tantummodo exiisse homines de femoribus patris, quorum erant illæ animæ, per quarum numerum intelliguntur tot homines?*

XXII. Pro majori intelligentia Sancti Doctoris, ejusque responsionis, nota, quòd, ubi in nostra Vulgata legimus *cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius*; tempore S. Augustini in aliquibus Codicibus legebatur, *quæ exierunt*, in aliis verò *qui exierunt*, uti etiam nunc in Versione lxx. Interpretum legimus: *omnes autem animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, qui egressi sunt de femoribus ejus.* Si ergo legatur primo modo, *quæ exierunt*, vel *quæ egressæ sunt* in feminino, dicit S. Doctor sumi animas pro corporibus, velut contentum pro continente, sicut vinum pro vase. Si verò legatur secundo modo, *qui exierunt*, vel *qui egressi sunt* de femoribus, in masculino, dicit debere intelligi sic:

animæ

animæ eorum hominum, qui secundùm copus egressi, vel exierunt de femoribus Jacob, ingressæ sunt cum eo in Ægyptum. Quomodocumque ergo exponatur textus ille, sive secundùm Augustinum, sumendo contentum pro continente, sive secundùm D. Tho. sumendo partem pro toto, ex illo non concluditur animarum propagatio.

XXIII. Sed contra responsionem D. Thomæ fortè instabis. Si nomine animæ intelligitur totus homo, cùm homo sit quid compositum ex anima & corpore; ergo totus homo egreditur ex femore Patris; ergo non solùm corpus, sed & anima cum semine traducetur.

Hanc instantiam prævidit S. Thom. ideòque *q. 3. de Pot. a. 9. ad 2.* Respondet, negando ultimam conseq. Equidem *totus homo egreditur de femore generantis;* sed *propter hoc, quòd virtus seminis de femore egredientis operatur ad unionem corporis, & animæ disponendo materiam ultimâ dispositione, quæ est necessitas ad formam, ex qua unione homo habet, quòd sit homo. Non autem ita, quòd qualibet pars hominis per virtutem seminis causetur.*

XXIV. Alia Testimonia pro animæ traductione sunt. *Levitici 17. v. 14.* dicitur: *Anima enim omnis carnis in sanguine est:* sed sanguis traducitur cum semine à generante, præcipuè cum sperma non sit, nisi sanguis decoctus; ergo & anima.

Respondeo ex D. Thom. *q. 3. de Pot. a. 9. ad 8.* quòd anima dicitur esse in sanguine, non quia sanguis sit ipsa anima, sed quia sanguis est propria dispositio corporis, ut in eo per animam conservetur vita; quia vivere est per calidum, & humidum, quæ in animali per sanguinem conservantur. Adderem, ibi sermonem esse de animabus pecudum, quorum sanguinem ibi Deus interdicebat Hebræis, quia volebat, eum sibi afferri in eorum expiationem.

XXV. Rursùs Roman. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* (homine peccatore, vel in quo peccato, ait Glossa) *omnes peccaverunt.* Illud ergo unum peccatum, quod in Adam fuit, in omnes traducitur: sed accidens traduci non potest, nisi subjectum traducatur, cùm accidens nequeat transire de subjecto in subjectum; ergo cùm anima sit subjectum peccati originalis, dùm traducitur peccatum, traducitur anima rationalis.

Respondeo ex D. Thom. *q. 3. de Pot. citatâ ad 3. & 4.* distinguendo hoc ultimum conseq. cùm anima sit subjectum &c. ratione naturæ humanæ, conc. cons. ratione sui, nego cons. Cùm ergo peccatum originale sit peccatum totius naturæ, peccatum originale est in anima, in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur ab Adamo, & à parente in filium per traductionem carnis, cui postea anima infunditur, & ex hoc infectionem incurrit, quòd sit cum carne traductâ una natura. Si enim anima uniretur carni non ad constituendam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumto, infectionem non reciperet: & anima Christi, quamvis unita fuerit carni ad constituendam humanam naturam; quia tamen unita fuit carni non traductæ ab Adamo per seminalem propagationem, nullam infectionem contraxit.

XXVI. Sed objiciunt rationibus primò. Cùm omne agens agat sibi simile in forma, quâ agit, homo generans hominem intendit assimilare genitum in forma, qua agit, eamque in illum imprimere, seu traducere: sed forma, qua homo generans agit, est anima rationalis; ergo &c.

Confirmatur primò. Præcipuum, quod in homine est, est anima rationalis; ergo si hanc non producit homo, verè non generabit alium hominem.

Confirmatur secundò. Æquè, vel major congruentia est hominis ad hominem, quàm sit bruti ad brutum; & perfectior est vis generativa in homine,

mine, quàm fit in bruto animali, vel saltem non minus perfecta: sed brutum generans brutum, totaliter brutum producit, nempe quoad animam, & quoad corpus; ergo similiter homo.

Confirmatur tertiò. Impossibile est, quòd unum unâ actione fiat, & aliud aliâ, & quòd sit unum per se: sed anima, & corpus constituunt hominem, qui est unius naturæ, & unus per se; ergo eadem actione fiunt.

XXVII. Respond. nego absolutè maj. quòd generans semper intendat producere, vel traducere in genitum formam, quâ agit, & generat, sed ipsum perducere ad participationem suæ speciei, & formæ, quâ generat. Ita D. Thomas *q.* 3. *de Potentia citatâ ad* 6. quod quidem fit, per hoc quòd genitum consequitur formam similem generanti ex vi actionis generativæ. *Si ergo* (inquit S. Tho.) *forma illa non sit subsistens, sed esse suum sit solùm in hoc, quòd uniatur ei cujus est forma, oportebit, quòd generans sit causa ipsius formæ, sicut accidit in omnibus formis materialibus. Si autem sit talis forma, quæ subsistentiam habeat, & non dependeat esse suum totaliter ex unione ad materiam, sicut est in anima rationali, sufficit, quòd generans sit causa unionis talis formæ ad materiam, per hoc, quòd disponit materiam ad formam; nec oportet, quòd sit causa ipsius formæ.* Ita S. Thomas.

XXVIII. Ad primam conf. dist. conseq. si hanc non producit, nec unit, conc. conseq. si non producit, tamen unit, nego conf. Ut enim ait D. Tho. loco citato ad 19. *licèt anima rationalis non sit à generante, unio tamen corporis ad eam est quodammodo à generante ... & ideò homo dicitur generari.*

XXIX Ad secundam confirm. disparitas est, quia anima bruti non est subsistens, anima autem hominis subsistens est: unde illa à generante producitur, ad istam generans solùm potest disponere corpus, ut ei uniatur, prout superiùs dictum est.

XXX. Ad tertiam confirm. respondet D. Thomas loco sæpè allato ad 21. *quòd duo agentia omnino disparata non possunt hoc modo se habere, quòd actio unius terminetur ad materiam, & alterius ad formam: hoc tamen contingit in duobus agentibus ordinatis, quorum unum est instrumentum alterius. Actio enim principalis agentis se extendit quandoque ad aliquid, ad quod non potest se extendere actio instrumenti. Natura autem est sicut instrumentum quoddam divinæ virtutis, ut supra ostensum est: unde non est inconveniens, si virtus divina sola faciat animam rationalem, actione naturæ se extendente solùm ad disponendum corpus.*

XXXI. At dices. Si solus Deus animam creat, & infundit, homo autem solùm disponit corpus, ut sit capax animæ, Deus erit, qui generat hominem, non homo: sicut quia solus est, qui producit gratiam, & in anima infundit, quamvis homo per suos actus præparet animam, & disponat ad gratiæ susceptionem, solus tamen Deus est, qui animam sanctificat, non homo.

XXXII. Respondeo disparitatem esse, quia homo generans hominem, etsi non producat, animam, sed solus Deus eam producat, ipse autem ad eam solùm disponat corpus; id tamen facit per formam similem animæ, ad quam disponit, & proinde intendit assimilare sibi effectum, & sic homo est qui generat. At homo qui disponit, & præparat animam ad gratiæ habitualis susceptionem, id non facit per formam similem; quia in homine se præparante ad gratiam gratum facientem, esto supponatur donum gratiæ moventis, non tamen donum gratiæ gratum facientis: & rursus istæ dispositiones sicut nullum habent meritum ad gratiam; ita nullam habent exigentiam ad illam, nec proinde habet homo, ut sit causa assimilans sibi animam in gratia, cùm ergo solus Deus sit, qui gratiam in animam infundendo, eam deificat, & participatione suæ naturæ sibi

sibi assimilet, solus ipse est, qui sanctificat animam, non homo.

XXXIII. Objiciunt secundò. Si anima non est ex traduce, sed sola caro; ergo in sola carne peccatum traducitur; ergo sola caro pœnam meretur. Nam si anima à solo Deo prodit, non est cur eam peccato infectam dicamus, nisi Deum talis infectionis faciamus auctorem, & simus Manichæi.

Confirmantur hæc primo. Si anima crearetur à Deo, homo in conceptione sua non contraheret peccatum originale, quia peccatum illud non est nisi in eo, quod homo habet ex homine infecto; si ergo ex homine peccato infecto anima non est, sed à Deo, nullum peccatum habet.

Confirmantur secundò. Si Deus creat animam, eamque infundit corpori, quod coitu adulterino generatur, jam probabit & cooperabitur adulterio, quod de Deo nefas est imaginari.

XXXIV. Respondetur, hoc fuisse unum ex argumentis Pelagianorum, qui ex hoc concludere volebant, animam peccatum originale non contrahere; & Catholicos, hoc non obstante, animam infici peccato asserentes, tanquam Manichæos traducebant. Primam calumniam S. Augustinus refert *lib. 3. de Peccat. merit. & remissione, c. 10.* & in Pelagianos retorquet sic: *si anima non est ex traduce; ergo quæ ista justitia est, ut recens creata, & ab omni delicto prorsùs immunis, ab omni peccati contagione penitùs libera, passiones carnis, diversosque cruciatus, & quod est horibilius, etiam Dæmonum incursus in parvulis sustinere cogatur? Neque enim aliquid horum caro sic patitur, ut non ibi anima potiùs quæ vivit, ac sentit, pœnas luat.* Secundam verò calumniam idem S. D. refert *lib. 1. contra Julian. c. 4. 5. & 6.* præcipue verò *lib. 5. Oper. imperfecti contra eundem c. 11.* ubi docet, hunc errorem nasci, quòd non discerneret Julianus *ab institutione divina depravata humana originis vitium*. Sicut ergo, quòd homines alii qui nascantur ingenio obtunsi, hoc non est naturæ Conditori tribuendum, sed ipsius naturæ vitio: *Sic* (inquit) *& ego distinguerem in natura hominis, qualis nunc est, quid distet inter ingenii vitium & tanti artificis opificium... ut per hanc regulam discas ab ejus institutione discernere, quamvis congenitum homini originale peccatum, nec ideò negas esse, quia Deus homines facit, qui peccatum non facit; sicut non ideò neganda sunt ingeniis hominum congenita vitia, quia Deus homines facit, à cujus arte Divinâ vitiositas est omnis aliena.* Hæc S. August.

Ex cujus pulchra doctrina nego illatum. Nam etsi peccatum originale traducatur per carnem, in sola tamen carne non est, sed eo & anima inficitur, non ut à Deo est, & creatur, sed dùm carni conjungitur. *Semen* enim *carnale* (ait D. Tho. q. 4. de Malo a. 3.) *sicut est instrumentalis causa traductionis humanæ naturæ in prole; ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis*. Unde ibi ad primum ait: *Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec ex se, nec à Deo, sed ex unione ad carnem. Sic enim fit pars humanæ naturæ derivatæ ab Adam*. Et 1. 2. q. 83. a. 1. ad 4. *Infectio* (inquit) *originalis peccati nullo modo causatur à Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem. Et ideò cum creatio importet respectum ad solum Deum, non potest dici, quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat respectum, & ad Deum infundentem, & ad carnem, cui infunditur anima. Et ideò habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici, quod anima per infusionem maculetur, sed solùm habito respectu ad corpus, cui infunditur.* Quæ D. Thomæ verba præveniunt omnes instantias, quæ possent fieri.

XXXV. Ad primam confirm. primò insto sic. Si peccatum originale contrahitur ex eo solùm, quod habet à parentibus peccato infectis; ergo qui generantur ex parentibus peccato origina-

ginali non inquinatis, quia ab eo mundatis per Baptismum, & justis, etiamsi eorum animæ ex anima ipsorum traducantur, non contrahent peccatum originale. Dicendum ergo est, quod cùm peccatum originale sit peccatum naturæ, ad hoc ut anima illud contrahat, satis esse, ut fiat pars humanæ naturæ per unionem ad carnem carnali propagatione ab Adamo descendentem, & proinde inquinatam, sicut pretiosus liquor, si vasi infecto infundatur, statim inficitur, quamvis in se, & ex sui formatione nullam infectionem haberet.

XXXVI. Ad secundam confirm. nego sequelam cum D. Tho. 1. p. q. 118. a. 2. ad 5. Nam *in actione adulterorum, illud quod est natura, bonum est, & huic cooperatur Deus. Quod verò est inordinata voluptatis, malum est, & huic Deus non cooperatur*. Eodem modo respondet 2. *Contrag. c.* 89. simili argumento, quod dicit fuisse Apollinaris; & addit, quòd peccatum adulterorum non est in actione naturæ, quæ mala non est, sed in eorum voluntate, quæ eâ abutitur. *Actio autem, quæ est ex virtute seminis ipsorum est naturalis, non voluntaria. Unde non est inconveniens, si Deus illi operationi cooperatur, ultimam perfectionem inducendo.*

XXXVII. Pro completa intelligentia dictorum, nota, quòd anima rationalis esto præsupponat materiam, dùm creatur, hoc tamen non tollit, quin verè ex nihilo fiat. Nam esto materiam supponat, & dispositiones, eas tamen non supponit, nec requirit, ut absolutè sit, sed ut sit in corpore, & cum corpore constituat hominem. Quare à corpore non dependet ut sit, cùm possit ab eo separata existere.

XXXVIII. Ex dictis infertur, animam rationalem à solo Deo immediatè productam fuisse in Adamo, & in aliis hominibus produci, non verò mediantibus Angelis, ut quidam putavere. Nam cùm anima ex dictis facta fuerit, & fiat per creationem, hoc est nullo præsupposito subjecto, & solus Deus possit creare, nulla autem creatura id possit adhuc per ministerium, ut superiùs *Tract. de Deo Creatore Qu.* 1. *Dub.* 3. §. 2. ostensum est; sequitur, eam immediatè à solo Deo creari. Ita sentit D. Thom. 1. *p. q.* 90. *a.* 3.

Neque obstat, quòd *Genes.* 2. *v.* 2. dicatur, quòd Deus *requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat*.

Nam respondet D. Tho. 1. p. q. 118. a. 3. ad 1. *Quòd Deus dicitur cessasse die septimo, non quidem ab omni opere, cùm dicatur Joann.* 5. Pater meus usque modò operatur; *Sed à novis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ in operibus primis non aliquomodo praextiterint. Sic enim animæ, quæ nunc creantur, praextiterunt secundùm similitudinem speciei in primis operibus, in quibus anima Adæ creata fuit.*

DUBIUM VI.

In quo homo sit factus ad imaginem, & similitudinem Dei.

§. I.

Ratio Imaginis explicata.

I. INter prærogativas, quibus homo supra cæteras creaturas irrationales extollitur, una est, quòd sit factus ad imaginem, & similitudinem Dei. Hoc enim Deus ipse testatus est, cùm hominem facturus, dixit Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Et v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*. Ecclesiastici 17. v. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum*. Et 1. Cor. 11. v. 7. *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est*.

II. Quamvis autem imago, & similitudo Dei perfectiùs inveniatur in Ange-

Angelo, cùm hæc attendatur secundùm naturam intellectualem, quæ in Angelo excellentior est, quàm in homine: quare Ezechiel. 28. *v.* 12. sub persona Regis Tyri de Angelo dicitur: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ;* ad quæ verba S. Gregorius *homil.* 34. *in Evang.* ait: *ubi notandum, quòd non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quò in eo subtilior est natura, eò in illo imago Dei similiùs insinuetur expressa.* Eadem habet *l.* 32. *Moral. c.* 24. *modò* 23. Attamen, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 93. *a.* 3. hoc specialiter dicitur de homine, quia, non solùm est intellectualis naturæ, ut Angelus, in qua ratio imaginis Dei essentialiter fundatur; sed *in homine invenitur quædam Dei imitatio, inquantùm scilicet homo est de homine, sicut Deus de Deo; & in quantùm anima hominis est tota in toto corpore ejus, & iterùm tota in qualibet parte ipsius, sicut Deus se habet ad Mundum. Et secundùm hæc, & similia magis invenitur Dei imago in homine, quàm in Angelo. Sed quantùm ad hoc non attenditur per se ratio divinæ imaginis in homine, nisi præsuppositâ primâ imitatione, quæ est secundùm intellectualem naturam: alioquin etiam animalia bruta essent ad imaginem Dei. Et ideò* (concludit S. Tho.) *cùm quantùm ad intellectualem naturam Angelus sit magis ad imaginem Dei, quàm homo, simpliciter concedendum est Angelum magis esse ad imaginem Dei, hominem autem secundùm quid.*

III. Observat autem idem S. Thomas hâc qu. 93. a. 1. *Quod sicut Augustinus dicit in libro* 83. *quæst. q.* 74. Ubi est imago, continuò est & similitudo; sed ubi est similitudo, non continuò est imago. *Ex quo patet, quòd similitudo est de ratione imaginis, & imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum quantumcumque sit alteri ovo simile, & æquale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur esse imago ejus.* Similiter nec æqualitas est de ratione imaginis, *quia ut Augustinus ibidem dicit:* ubi est imago, non continuò est æqualitas, *ut patet in imagine alicujus in speculo relucente; est tamen de ratione perfectæ imaginis. Nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa est.*

IV. Hinc concludit S. Doctor ibi, quòd esto in homine sit aliqua similitudo, & imago Dei, *quæ deducitur à Deo, sicut ab exemplari, non tamen est similitudo secundùm æqualitatem; quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum. Et ideò in homine dicitur esse imago Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat Scriptura, cùm dicit, hominem factum* ad imaginem Dei. *Præpositio enim* ad *accessum quemdam significat, qui competit rei distanti.*

V. Notat tamen ibi ad secundum, hominem non sic dici *ad imaginem*, quin etiam sit imago, etsi imperfecta; hoc enim dicit Apost. 1. *Cor.* 11. citatus: sed dicitur imago ad imaginem, ad differentiam Filii Dei, qui sic est imago Dei, ut non sit ad imaginem. Unde ait: *Primogenitus omnis creaturæ est imago Dei perfecta, perfectè implens illud, cujus imago est. Et ideò dicitur* imago, *& nunquam* ad imaginem. *Homo verò, & propter similitudinem dicitur* imago, *& propter imperfectionem similitudinis dicitur* ad imaginem. *Et quia similitudo perfecta Dei non potest esse, nisi in identitate naturæ, imago Dei est in Filio suo primogenito; sicut imago Regis in filio suo connaturali: in homine autem, sicut in aliena natura, sicut imago Regis in nummo argenteo, ut patet per Augustinum in lib. de decem chordis c.* 8. Hoc idem docet S. Tho. *lect.* 2. *in cap.* 11. 1. *ad Corinth.*

VI. Sola tamen creatura intellectualis dici potest imago, seu ad imaginem Dei, reliquæ verò creaturæ irratio-

rationales nequaquam. Ita D. Thom. hâc *q.* 93. *a.* 2. & rationem assignat. *Non enim qualibet similitudo, etiamsi sit expressa ex altero, sufficit ad rationem imaginis. Si enim similitudo sit secundùm genus tantùm, vel secundùm aliquod accidens commune, non propter hoc dicetur aliquid esse ad imaginem alterius. Non enim posset dici, quòd vermis, qui oritur ex homine, sit imago hominis propter similitudinem generis. Neque iterum potest dici, quòd si aliquid fiat album ad similitudinem alterius, propter hoc sit ad ejus imaginem, quia album est accidens commune pluribus speciebus. Requiritur autem ad rationem imaginis, quod sit similitudo secundùm speciem, sicut imago Regis est in filio suo; vel ad minùs secundùm aliquod accidens proprium speciei, & præcipuè secundùm figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro....*

VII. *Manifestum est autem* (prosequitur S. D.) *quòd similitudo speciei attenditur secundùm ultimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo, Primò quidem, & maximè communiter, inquantùm sunt: secundò verò, inquantùm vivunt: tertiò verò inquantùm sapiunt, vel intelligunt. Quæ ut August. dicit in lib.* 83. *quæst. q.* 51. ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. *Sic ergo patet, quòd sola intellectuales creaturæ, propriè loquendo, sunt ad imaginem Dei.* Hactenus D. Thomas.

VIII. Esto igitur creaturæ irrationales non sint imagines, vel ad imaginem Dei, sunt tamen *vestigium Dei. Cujus ratio* (inquit S. Thomas hâc qu. 93. a. 6.) *manifestè cognosci potest, si attendatur modus, quo repræsentat vestigium, & quo repræsentat imago. Imago enim repræsentat secundùm similitudinem speciei, ut dictum est; vestigium autem repræsentat per modum effectus, qui sic repræsentat suam causam, quòd tamen ad similitudinem speciei non pertingit. Impressiones enim, quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur vestigia. Et similiter cinis dicitur vestigium ignis, & desolatio terræ vestigium hostilis exercitus.* Quod docuerat etiam 1. *p. q.* 45. *a.* 7. his verbis: *Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimodè: nam aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem; & talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio vestigii. Vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non, qualis sit. Aliquis autem effectus repræsentat causam quantùm ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, & statua Mercurii Mercurium.* Ex quibus concludit, quòd in solis creaturis rationalibus, in quibus est intellectus, & voluntas, verbum productum, & amor procedens, est imago Trinitatis; in aliis verò creaturis adest repræsentatio Trinitatis solùm per modum vestigii.

IX. His ergo explicatis, constat, hominem esse ad imaginem Dei: cùm enim sit naturæ intellectualis, est ad imitationem Dei secundùm ultimam, & specificam differentiam ejus, & proinde secundùm similitudinem speciei, quod diximus requiri ad rationem imaginis. Porrò cùm multa sint in homine, secundùm quæ dici possit Dei imago; ideò multæ quoque apud Veteres fuerunt opiniones, in quo nimirùm hæc ratio imaginis Dei collocanda sit.

§. II.

Opinionum varietas.

X. Opinati fuerunt aliqui, imaginem Dei esse in corpore humano, non in anima; quia putarunt, cùm Deus dixit *faciamus hominem ad imaginem &c.* corpus hominis tunc fuisse factum, sed nondum animam. Hos refert absque nomine Philastrius *Hæres.* 97. Hos ex Philastrio indicasse puto S. August. *lib. de Hæres. cap.* 76. dum ait: *Alia* (hæresis) *dicit corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.*

XI. Hoc idem censuerunt (teste S. Epi-

S. Epiphanio *Hæres.* 70.) Audæani, seu Antropomorphitæ, aliâ tamen falsâ, & insanâ persuasione moti; nimirum, quòd Deus esset corporeus, humanâ formâ, ac figurâ præditus, eo fane modo, quo apparuit Patriarchis, ac Prophetis. Hos superiùs *Tom.* 2. *Quæst.* 3. *Dubio* 1. impugnavimus. Ad præsens verò intentum eos sic deridebat Melito apud Theodoretum *qu.* 20. *in Genes.* Si propterea existimatis, Deum habere corpus, quale habet homo, quia illum nobis ostendit humanis membris instructum; eâdem ratione concluditur hominem non esse ad ejus imaginem, & similitudinem factum. Nam Zacharias *cap.* 4. *v.* 10. describit Deum septem oculos habentem, homo autem duos tantum habet. *Psal.* 90. *v.* 4. inducitur Deus habens pennas, & alas, quibus homo caret: & multa alia per metaphoram Deo Scriptura attribuit, quæ si propriè, & ad veritatem exigerentur, Deum facerent enormem, ac monstruosum, & homini longè dissimillimum. Non igitur (ait Melito) imago Dei quærenda est in hominis corpore, sed in animo; quia, sicut Deus, sic ipse rationis, consilii, & sapientiæ compos, & capax est.

XII. Tertullianus verò, quamvis Deum esse corporeum affirmaverit) ut superius loco citato ex *Tom.* 2. *Q.* 3. *Dub.* 1. §. 1. notavimus) non existimavit tamen, hominem esse factum ad imaginem Dei secundum corpus, sed similem Deo existimavit, quia libero donatus arbitrio, sicut Deus. Ita L. 2. contra Marcionem c. 5. *liberum* (inquit) *& sui arbitrii, & suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejusmodi status formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis tàm variis in genere humano ad uniformem Deum expressus est.* Et cap. 6. *oportebat igitur, imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii, & suæ potestatis institui &c.*

Hominem ad Imaginem Dei conditum quatenus libero præditus fuit arbitrio, censent S. Hieronymus *Ep.* 146. S. Ambrosius *lib.* 6. *in Exaemeron c.* 8. S. Joann. Damasc. *lib.* 2. *de Fide c.* 11. & *lib.* 3. *c.* 14. quos refert noster Alexandre *hist. Vet. Test. dissert.* 1. *a.* 7. *propos.* 2.

XIII. Alii sunt, qui Dei imaginem in Sanctitate vitæ, & morum puritate reposuerunt. Sic Gelasius Cizicenus in Actis Nicænæ Synodi *part.* 2. *c.* 16. & in eam propendit Ambrosius *l. de Bono mortis c.* 5.

XIV. Alii imaginem Dei in immortalitate, & æternitate statuunt, quam non solum animæ, sed & corpora per Resurrectionem habebunt. Ita Faustus Rejensis *l.* 1. *de Lib. arb. c.* 1. & S. Maximus Martyr *centur.* 3. *de Carit. c.* 25.

XV. Alii rationem imaginis reponunt in imperio, & dominatu, quo homo statim conditus, insignitus à Deo fuit in animantes, & Orbem universum. Quod declarasse videtur Scriptura *Gen.* 1. *v.* 26. dum ait: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Hujus sententiæ videtur fuisse S. Jo. Chrysost. *homil.* 10. *in Genes.* ad illa verba: Et præsit piscibus &c. & Gregorius Nyssenus *lib. de Hominis Opificio*. Quibus consensit Marius Victor. l. 1. scribens:

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei: similem decet esse creanti
Liber ad arbitrium fruitur, qui mente creatus.

XVI. S. Epiphanius *Hæres.* 70. postquam confutavit Audæanos, imaginem Dei in corpore humano collocantes, dicit, eam neque in anima, nec in virtute, nec in Baptismo, nec in re quapiam nobis cognitâ positam esse imaginis Dei rationem: *Non est* (inquit) *ullo modo definiendum aut affirmandum, quanam in parte imago illa*

con-

consistat. Sed inesse quidem in homine omnino fatendum est, ne divinum beneficium tollamus è medio .... Quæcumque enim ille dicit, planè vera sunt, tametsi nonnulla sententia sint, quæ aciem nostræ mentis effugiant. Equidem in tanta sententiarum varietate aliquid tanquam certum definire non audeo, sed quid probabilius existimem, aperiam.

§. III.

Sententia S. Thomæ.

XVII. Dico. Ratio imaginis Dei, quæ in homine est, collocanda videtur in anima, quæ una existens, ac tribus facultatibus prædita, intellectu, memoriâ, & voluntate, divinarum Personarum Trinitatem in unitate essentiæ adumbrat. Ita sentit D. Thomas hâc *q. 93. a. 5.* ubi statuit, in homine esse imaginem Dei, & quantùm ad naturam divinam, & quantùm ad Trinitatem Personarum. *A. 6.* statuit imaginem Dei esse in homine solùm secundùm mentem; quia solùm secundùm mentem repræsentat quantùm ad aliquam similitudinem speciei, & divinam naturam, & Trinitatem Personarum: naturam quidem quatenus imitatur Deum non solùm in hoc, quòd est, & vivit, sed etiam in hoc, quòd intelligit: Trinitatem verò, inquantùm in eo reperitur processio verbi, & processio amoris, ac proinde principium, verbum, & amor. Rursùs *a. 7.* ostendit, imaginem Trinitatis in anima humana primò, & principaliter attendi secundùm actus, prout scilicet ex notitia format verbum, & ex hoc prorumpit in amorem. Sic enim magis repræsentatur Trinitas Personarum, quæ secundùm actualem processionem Verbi, & amoris distinguuntur. Ac proindè dum aliquando legimus apud bonos Auctores, per memoriam, intellectum, & voluntatem repræsentari Trinitatem, actus earumdem potentiarum intelligendi sunt. Ex his tamen non sequitur, quòd in pueris, aut in dormientibus non sit imago Dei: quia actus etsi non semper maneant in seipsis, manent tamen semper in suis principiis, nempè potentiis, & habitibus. Ideòque ex consequenti ratio imaginis attenditur secundùm potentias, & habitus. Et *art. 8.* docet, non in quocumque actu intellectus, & voluntatis imaginem Dei consistere, sed in eo solùm, quo mens nostra fertur, seu nata est ferri in Deum, sive quo Deum intelligimus, & amamus: quia imago debet esse similis exemplari. Trinitas autem, quæ est exemplar, attenditur secundùm quòd Deus cognoscando se, producit notitiam, seu Verbum sui, & diligendo se, spirat amorem sui. Ex hac serie doctrinæ S. Præceptoris, non solùm, quæ fuerit ejus mens, apparet; sed aliqua præveniuntur, de quibus poterat dubitari.

XVIII. Hæc est sententia etiam S. Augustini, qui (ut superiùs de Trinitate dictum est) tria illa, quæ in anima humana tribus divinis Personis respondent, asserit constituere rationem imaginis. Libro enim *9. de Trinitate* ferè per totum, ostendit, Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam in esse, mentem scilicet & notitiam, quâ se novit, & amorem, quo se, notitiamque suam diligit: atque hæc tria æqualia inter se, & unius ostenduntur esse essentiæ, suo tamen modo. Et *lib. 12. c. 6.* contra asserentes, hominem factum esse solùm ad imaginem Filii, quæ erat etiam opinio Origenis, sic ait: *Dixit enim Deus*: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. *Paulò post autem dictum est*: & fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Nostram *certè, quia pluralis est numerus, non rectè diceretur, si homo ad unius Personæ imaginem fieret, sive Patris, sive Filii, sive Spiritu Sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est*, ad imaginem nostram. *Rursùs autem ne in Trinitate credendos arbitraremur*

remur tres Deos, cùm sit eadem Trinitas unus Deus: Et fecit, *inquit* Deus hominem ad imaginem Dei, *pro eo, ac si diceret ad Imaginem suam*. Inferiùs arguens eos, qui volebant factum esse hominem ad imaginem solius Filii, ait: *Si autem pia fides docet, sicuti docet, Filium esse ad æqualitatem essentiæ similem Patri, quod ad similitudinem Filii factum est, necesse est etiam, ad similitudinem Patris factum sit. Deinde si hominem Pater non ad suam, sed ad Filii fecit imaginem, cur non ait*: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem tuam, *sed ait*: nostram; *nisi quia Trinitatis imago fiebat in homine, ut hoc modo esset homo imago unius veri Dei, quia Trinitas unus verus Deus est?* Ita ex S. Aug. discurrit quoque S. Thom. hâc *q.* 93. *a.* 5. *ad* 4.

XIX. Eadem reverà est quoque S. Ambrosii sententia, qui in *lib. de dignitate conditionis humanæ c.* 11. ubi præmittens, hominem esse imaginem Dei ut unius: *Sicut* (inquit) *Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens, & gubernans: sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud, & gubernans.... sicut Deus est, vivit, & sapit: ita anima secundùm suum modum est, vivit, & sapit*. Deinde subjiciens, quæ ad Trinitatem attinent, pergit: *Nam licèt unius illa natura, tres tamen in se dignitates habet, idest intellectum, voluntatem, & memoriam.... Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria.... Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres Dii sunt: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima habens tres dignitates: atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo*. His nihil clariùs.

§. IV.

Aliquarum difficultatum enodatio.

XX. PRimò objicies. Mulier non est imago Dei, sed viri: ait enim Apostolus 1. Cor. 11. *Vir est imago Dei, mulier autem est imago viri*.

Respondet D. Thom. *q.* 93. *a.* 4. *ad* 1. quòd *tàm in viro, quàm in muliere invenitur Dei imago, quantùm ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantùm ad intellectualem naturam. Unde Gen.* 1. *cùm dixisset*, ad imaginem Dei creavit illum (*scilicet hominem*) *subdidit*: masculum, & feminam creavit eos. *Et dixit pluraliter*, eos, *ut August. dicit l.* 3. *super Gen. c.* 22. ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse conjunctus. *Sed quantùm ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in viro, secundùm quòd non invenitur in muliere. Nam vir est principium mulieris, & finis: sicut Deus est principium, & finis totius creaturæ. Unde cùm Apostolus, dixisset, quòd* vir imago, & gloria est Dei, mulier autem gloria viri, *ostendit, quare hoc dixerit, subdens*: Non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro; & vir non est creatus propter mulierem, sed mulier, propter virum.

XXI. Objicies secundò. Similitudo est de ratione imaginis, sed per peccatum homo fit Deo dissimilis; ergo amittit Dei imaginem.

Respondeo ex eodem S. Tho. loco citato in corp. triplicem posse in homine considerari Dei imaginem. Prima est *secundùm quòd homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, & amandum Deum: & hæc aptitudo consistit in ipsa natura mentis, quæ est communis omnibus hominibus*. Et hæc convenit homini secundùm naturam, in qua est creatus, & dici potest imago creationis, vel naturæ, dequa cum Scriptura hactenus loquuti sumus.

Secunda est *secundùm quod homo a-*
ctu,

ctu, vel habitu Deum cognoscit, & amat (supernaturaliter) *sed tamen imperfectè*, de qua 1. Cor. 15. v. 49. *portemus & imaginem Cœlestis*. Et hanc imaginem non sortitur homo, seu anima, nisi per gratiam, per quam modo quodam novo creatur, Ephes. 2. v. 10. *creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Et dicitur imago recreationis, seu imago gratiæ.

Tertia est *secundùm quòd homo Deum cognoscit, & amat perfectè, & sic attenditur imago secundùm similitudinem gloriæ*, de qua Rom. 8. v. 29. *prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Et hæc est imago perfectæ similitudinis per gratiam consummatam, de qua S. Jo. 3. v. 2. *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*.

Ex his prima convenit omnibus hominibus, idque semper, quamvis turpissimè vivant; quia fundatur in natura, etsi per peccatum obscuretur, & deturpetur. Secunda convenit solis Justis. Tertia solis Beatis. Quare dùm aliqui Patres dicunt imaginem Dei in homine per peccatum deleri, ut Aug. *l.* 83. *Quæst. q.* 67. loquuntur de imagine recreationis, seu gratiæ, non de imagine naturæ. De hac enim idem S. Aug. *l. de Spiritu & litt. c.* 28. loquens de infidelibus, ait: *non omni, modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est*. & *lib.* 1. *Retract. c.* 26. explicans quod dixerat *q.* 67. inter 83. ut nuper retulimus, ait: *quod non ita accipiendum est, quasi totum amiserit homo* (per peccatum) *quod habebat imaginis Dei*. & S. Epiphanius in *Epist. ad Joan. Hierosol.* inter errores Origenis ponit, quod docuerit, Adam per peccatum amisisse imaginem Dei.

XXII. Objicies tertiò, hominem non esse imaginem solùm secundum mentem sed etiam secundùm corpus. Nam Gen. 1. v. 27. dicitur: *creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos*: sed distinctio masculi, & feminæ est secundùm corpus; ergo etiam secundùm corpus attenditur Dei imago.

Respondetur cum D. Tho. citatâ *q.* 93. *a.* 6. *ad* 2. neg. conseq. Nam *Scriptura postquam dixerat*, ad imaginem Dei creavit illum, *addidit* masculum, & feminam creavit eos; *non ut imago Dei secundùm distinctiones sexuum attendatur, sed quia imago Dei utrique sexui est communis, cùm sit secundùm mentem, in qua non est distinctio sexuum. Unde Apostolus ad Colossenses* 3. *postquam dixerat* secundùm imaginem ejus, qui creavit illum, *subdit*, ubi non est masculus, & femina. Ita D. Tho.

DUBIUM VII.

An quæ narrantur De Productione Mulieris parabolica sint?

§. I.

Resolutio negativa.

I. NArrat Moyses Gen. c. 2. quòd, cùm Deus formasset Adam, volens, eum non esse solum, sed habere adjutorium sibi simile, immisit in eum soporem; cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Circa hanc narrationem tria quærenda erunt. Primò. an mulieris productio ex costa viri propriè intelligenda sit. Secundò. Quomodo ex una costa integrum mulieris corpus factum sit. Tertiò. An Adam verè dormierit? Primum examinabimus Dubio præsenti, reliqua duo in sequenti.

II. Dico ergo. Quod à Moyse narratur de productione mulieris ex costa Adami, in sensu historico, litterali, & proprio intelligendum est. Contra hanc assertionem unicus, ut puto, pugnat Cajetanus noster, qui tanquam singularis ab omnibus relinquitur, & ab

ab aliquibus non quidem Persona, sed doctrina, hac in parte, censurâ notatur; eò quòd præfatam Moysis narrationem de mulieris productione ex costa viri ad sensum metaphoricum, & parabolicum detorqueat.

III. Nostram, & communem assertionem primò ostendit ipsa pura, & simplex narratio, quam accipiendam esse, sicut verba sonant, suadet ipsa series rerum, quæ ibi describuntur; nempè productio piscium, & volatilium ex aquis, jumentorum, reptilium, aliarumque bestiarum è terra, hominis, nempe Adam, deinde de limo terræ, & tandem mulieris de costa Adami. Vel ergo omnia hæc, quæ eodem modo describuntur, parabolicè Cajetanus intelligenda censet, vel non? Si non; cur parabolica est productio mulieris ex costa viri, & non productio viri ex limo terræ, animantium cæterorum ex terra, aut ex aquis? Si sic (quod non crederem) ergo quæcumque in Sacra Scriptura narrantur, ad parabolicum sensum trahere licebit, ac dici poterit, quòd nunquam fuerit Adam, nunquam Heva, nunquam homines, qui in ea narrantur, sed omnia per parabolam, & metaphoram dicta esse.

IV. Meminisse debuerat Cajetanus eorum, quæ Augustinus *lib. 8. de Genes. ad litt. c. 1.* quibusdam, dicta de Paradiso terrestri non corpaliter, sed spiritualiter accipientibus, dixit: *Naratio quippe in his libris, non genere locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris & hujuscemodi cæteris.* Meminisse quoque debuerat moniti ejusdem S. Augustini *lib. 1. de Genes. ad litt. c. 1.* ubi narratis iis, quæ Scriptura refert de tentatione Adami, & Hevæ a serpente, & de iis, quæ post lapsum utrique acciderunt, ait: *Admonendum arbitror... illud à nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem litteræ defendatur, quod gestum narrat ille, qui scripsit. Si autem in verbis Dei, vel cujuscumque Persona in officium propheticum assumtæ dicitur aliquid, quod ad litteram, nisi absurdè non possit intelligi, procul dubio figuratè dictum ob aliquam significationem accipi debet.* Cùm ergo narratio libri Genesis non rerum figuratarum sit, sed gestarum, utpotè historica, cùmque insuper, si ad litteram intelligatur, nihil absurdè dictum intelligatur: quid enim absurdi est, quòd ex costa viri facta mulier sit, potiùs quàm ex limo terræ factus fuerit vir, & alia, quæ ibi narrantur? Ergo ea omnia ad proprietatem litteræ defendere Cajetanus debuisset. Quia tamen omnia, quæ ibi gesta sunt, ad aliquid significandum sunt gesta, consultiùs fecisset, si litterali narratione admissâ, figuratam significationem inde eruisset. Ita enim faciendum esse August. monet citato *l. 8. de Gen. ad litt. c. 1.* scilicet *promtissimè primitus accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significaverint, exsculpatur.*

V. Dices tamen pro Cajetano, hoc quidem servandum esse in iis, quæ continent usitatum naturæ cursum, non in iis, quæ mirabilia, & incredibilia narrant, quale est, quòd ex costa viri facta fuerit mulier.

VI. Hoc idem dicebant tempore Augustini quidam, qui omnia narrata usque ad ejectionem Adæ, & Hevæ è Paradiso, figuratè dicta accipiebant: *atque* (ut refert idem Augustinus mox laudatus) *ex illo loco volunt incipere historiam, idest rerum propriè gestarum narrationem, ex quo dimissi de Paradiso Adam, & Heva convenerunt, atque genuerunt.*

VII. Quibus primò respondet: *Quasi verò usitatum nobis sit, vel quòd tot annos vixerunt, vel quòd Enoch translatus est, vel quòd, & grandæva, & sterilis peperit, & cætera hujusmodi.* Si ergo hæc, quamvis inusitata, litteraliter gesta credunt; cur non ea, quæ de Paradiso, de formatione hominis è limo, & mulieris è costa, litteraliter gesta, credere nolunt?

VIII. Quia verò reponebant, aliam esse institutionem creaturarum; alium esse modum mirabilem, & insolitum, quo factæ sunt, diversum ab eo, quo modò fiunt.

Respondet August. *Sed ideò insolita & ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo, & sine pari facto in rerum mundanarum institutione, quàm Mundus? Num ideò credendum non est, Deum fecisse Mundum, quia jam non facit Mundos? Aut non fecisse Solem, quia jam non facit Soles? Et hoc quidem non de Paradiso, sed de ipso homine permotus debuit respondere: nunc verò cùm ipsum sic credant à Deo factum, sicut alius nullus factus est; cur Paradisum nolunt ita factum credere, quemadmodum nunc vident silvas fieri?* Et post aliqua: *Miror quemadmodum credunt, ipsum hominem factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut si & ipse figuratè intelligendus est, quis genuit Cain, & Abel, & Seth? An & ipsi figuratè tantùm fuerunt, non etiam homines ex hominibus nati?*

Sic & ego dicam. Insolita, inusitata, mira res est, quòd ex una costa facta sit mulier, cùm sic hodie non fiat. Fateor. Sed ideò insolita, quia prima! An quia non videmus fieri Mundos, fieri Soles, non credemus Deum fecisse Mundum, ac Solem? Si creditur homo factus modo, quo in præsens homines non fiunt, nempè ex limo: cur non credetur mulierem verè, & non figuratè factam, modo tamen insolito & diverso ab eo, quo modò mulieres fiunt, nimirum ex costa viri? Quod si figuratus est modus, quo vir, & mulier primò facti fuerunt; cur & figuratæ non sunt ipsæ personæ? quòd si figuratæ sunt ipsæ personæ, à quibus humanum genus propagatum est?

IX. Secundò mulierem verè, & propriè ex viro factam, sicut in *cap. 2. Genesis* describitur, repetit passim Scriptura. Primo. Quia ibi v.23. Adam statim ac vidit mulierem, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumta est.* Falsum autem dixisset, ideoque à Deo corrigendus Adam, si mulier ex ipso formata non fuisset, sed simul cum eo creata, ut vult Cajetanus. Secundo. Ecclesiasticus *c. 17.* ubi creationem hominis historicè repetit *v. 1.* dicit: *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.* Deinde v. 5. subjungit: *creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Idem ait Paulus tùm 1. Cor. 11. v. 8. *non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Tum 1. ad Timoth. 2. v. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Heva.* Quibus manifestè apparet, Hevam non fuisse formatam eodem temporis momento, quo Adam, sed postea, quamvis eâdem sextâ die.

Rursùs idem Paulus *Act. 17. v. 26.* de Deo dicit: *Fecitque ex uno omne genus hominum*, cui potest addi illud Sap. 10. v. 1. *Hæc* (sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit.*

Scio Adversarios respondere, his textibus non comprehendi Hevam, quamvis intra genus humanum, & Orbem terrarum sit; sicut nec Moyses comprehendit Adamum, dùm Hevam dicit matrem cunctorum viventium (*Genes. 3. v. 20.*) quamvis tunc Adam esset vivens.

Sed contra est. Nam cùm Scriptura dicat, Adamum ex Heva matre non esse factum, imò potius Hevam ex ipso; ex eo quòd Heva dicatur mater cunctorum viventium, patet, Adamum non comprehendi; maximè quia hoc nomen ab Adamo Hevæ impositum fuit. At è contra Heva dicitur facta post Adamum, & ex Adamo: unde cum dicitur ex uno, idest Adamo, omne genus humanum fluxisse, non est, cur excludatur Heva, quæ dicitur mater cunctorum viventium, qui exinde erant nascituri, quorum Adam futurus erat Pater; à quo tamen, esto non via generationis, Heva ipsa processerat.

X. Hanc

X. Hanc veritatem quovis seculo agnoverunt Patres, & confessi sunt, quos si referrem, nimius essem. Hieronymus in *epist. ad Philemon.* creationem Hæve ex costa Adami inter dogmata numerat, quæ, salvâ in Deum fide, negari non possunt. *Credit quispiam* (inquit) *in Conditorem Deum, non potest credere; nisi priùs crediderit, de Sanctis ejus vera esse, quæ scripta sunt, Adam à Deo plasmatum, Hevam ex costa illius & latere fabricatam, Enoc translatum &c.* S. Augustinus, præter ea, quæ superiùs attulit, formationem mulieris ex costa viri in sensu litterali usurpat, *lib. 22. de Civit. Dei c. 21. & c. 27.* ubi de formatione mulieris ex latere viri loquens, ait: *Hac opera Dei propterea sunt utique inusitata, quia prima. Qui autem ista non credunt, nulla facta prodigia debent credere: neque enim & ipsa, si usitato naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur ... Cur ergo ex latere viri femina facta sit, & hoc primum quodammodo prodigium quid præfiguraverit, alio loco, quantùm me Deus adjuverit, dicam:* nempè *lib. 22. de Civit. Dei c. 17.* ubi dicit, productionem mulieris ex latere viri dormientis adumbrasse Ecclesiam, quæ ex Christi latere prodivit morientis. Idem docet Ambrosius *l. de Paradiso c. 12.* Idem Chrysostomus *homil. 15. in Genes.* Idem Theodoretus *interogat. 30. in Genes.* Idem alii PP. qui omnes historiam productionis Hevæ, prout verba sonant, intelligunt.

§. II.

Opposita fundamenta.

XI. Objiciebat Julianus Apostata, fabulosa esse, quæ de mulieris productione Moyses narrat. Quâ enim ratione Deus dixisse fertur: *Non bonum est, hominem esse solum, faciamus ei adjutricem similem ipsi,* quæ nedùm nihil eum adjuverit, sed decepit potiùs, ac sibi & ipsi, ut Paradisi deliciis exciderit, causa extitit? Respondet S. Cyrillus *lib. 3. contra Julian.* Mulierem factam fuisse in adjutorium viro ad procreationem liberorum, non ut in partem consiliorum veniret. Nec immutabilem naturâ factam, sed liberi arbitrii, & ad bonum, malumque versatilis. Unde non mirum, si & ipsa peccaverit, & vir ejus consilio uti volens, factus fuerit criminis consors. *Non enim Femina* (inquit Cyrillus) *in partem consilii, aut deliberationum assumta est, nec in lucem edita est decreto ejus, quem nihil latet, ut esset naturâ immutabilis. Et eâ stabilitate constantiâque prædita, quæ nunquam à voluntate Domini posset deflectere.... Adjutrix verò potiùs data est, ut procreandis liberis inserviret. De ambobus enim dictum est:* crescite, & multiplicamini, & replete terram &c.

XII. Objicit Cajetanus primò. *Gen. 1. v. 26. & 27.* dicuntur Adam, & Heva simul creati: ubi enim dixit Deus *faciamus hominem &c.* Statim subdit: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.... masculum, & feminam creavit eos;* ergo quæ narrantur c. 2. de productione Hevæ ex costa, in sensu proprio accipi non possunt, cùm Heva esset jam producta.

Respondetur, Adamum, & Hevam fuisse quidem creatos eadem die, sextâ scilicet, at non eodem momento. Cùm Paulus dicat 1. ad Timoth. 2. v. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Heva.* Moyses ergo *cap. 1.* volens compendiariâ quâdam narratione complecti omnia, quæ Deus sextâ die fecerat, cùm eadem die virum fecerit, & mulierem, dixit: *masculum, & feminam creavit eos.* At *cap. 2.* resumens narrationem productionis Adami, & Hævæ, quam compendiosè indicaverat; volensque modum, & ordinem, quo facta fuerat, distinctiùs explicare, dixit, quod priùs de limo terræ fecit virum, deinde ex ejus dormientis extractâ costa ædificasse mulierem. Quare propriè utraque narratio accipienda est: prior quidem, tanquam referens substantiam productio-

ctionis utriusque, posterior verò, velut explicans modum, & ordinem, quo facta fuerat.

XIII. Objicit secundò. Gen. 2. v. 22. dicitur de muliere statim formata: *Et adduxit eam ad Adam*: at si verè mulier ex Adamo formata fuisset, juxta illum fuisset, nec ex alio loco ad illum fuisset adducta; ergo &c.

Respondeo, Hevam dici ad Adam adductam, idest statim post formationem ejus oculis præsentatam; non dici autem Adamum ad Hevam adductum, quia Heva formata fuit, ut esset viro socia, & subjecta: eo ferè modo, quo *cap. 2. vers. 19.* dicitur, quòd formatis animalibus *adduxit ea ad Adam*; idest præsentavit ceu Domino. Dici etiam potest detractâ ab Adami latere costâ, corpus mulieris Deum formare potuisse, ubi ipsi placuit, vel extra Paradisum, vel in Paradiso, loco aliquantùm ab Adamo remoto, & deinde mulierem formatam ad Adamum adduxisse.

XIV. Objicit tertiò. Adductis ad Adamum omnibus animantibus textus dicit v. 20. *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis illi*. Quæ verba significant litteraliter, Deum adduxisse ea ad Adam, ut quæreret, ac videret, an inter animalia bruta inveniret adjutorium simile sibi ad humani generis propagationem: at hoc esset ridiculum; quis enim inter bruta quæreret adjutorium simile Adæ ad tale officium? ergo inter ea quærebatur Heva jam formata.

Sed retorqueo primò instantiam. Adam ergo quærebat inter animantia adjutricem similem sibi, & non inveniebat; ergo cùm illud non quæreret inter animantia aliarum specierum, sed suæ, signum est, quòd in sua specie erat solus, & Heva nondum producta fuerat.

Secundò respondeo, illa verba: *Adæ non inveniebatur adjutor* non supponere inquisitionem, sed idem significare, ac ista: *Adam verò non habebat adjutorem similem sibi*, aut ista: *Adæ verò non erat adjutor similis*, qualiter habebant cæterarum specierum animantia; ut sicut ista, posset & ipse speciem suam propagare. Sicut, cùm *Ecclesiastici* 44. v. 20. de Abrahamo dicitur: *non est inventus similis illi*, sensus est, quòd non est creatus, aut natus similis illi homo.

XV. Objicit Quartò. Vel illa costa, ex qua formata fuit Heva erat Adamo necessaria, vel superflua. Si necessaria; ipse post formationem Hevæ mansisset mancus. Si superflua; ergo ante formationem habuisset corpus monstruosum: debet ergo illa formatio ex costa aliter intelligi, quàm verba sonent: maximè quia costa non potuisset è latere Adami extrahi sine dolore, qui non conveniebat felicitati illius status.

Respondeo, costam illam fuisse quidem superfluam Adamo, ut personæ particulari; necessariam tamen fuisse illi tanquam primo, qui debebat esse principium totius generis humani: sicut semen prolificum ad perfectionem hominis generantis pertinet; non ut individuum particulare est, sed quatenùs speciei propagandæ capax. Et sicut semen sine dolore, imò delectabiliter deciditur; ita costa illa absque dolore fuit extracta. Ita respondet S. Thom. 1. p. q. 92. a. 3. ad 2 *Costa illa* (inquit) *fuit de perfectione Adæ, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei: sicut semen est de perfectione generantis, quod operatione naturali cum delectatione resolvitur. Unde multò magis virtute divina corpus mulieris potuit de costa viri formari absque dolore*. Ex quo sequitur, costâ illâ detractâ, mancum non fuisse Adamum, cùm ad integritatem corporis ipsius non pertineret, & Deus locum, unde fuerat detracta, carne repleverit; ut dicitur v. 21. c. 2. *Tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea*.

XVI. Objicitur quintò. Chrysost. homil. 15. in Gen. *Ne* (inquit) *humano more accipias, quæ dicuntur; sed crassa verba dumtaxat humanæ imbecilli-*

eillitati convenire cogites; ergo non propriè sed mataphoricè accipienda sunt.

Respondeo, liquere ex contextu, Chrysostomum monere, ne audiendo verba illa, *& accepit*, seu *tulit unam de costis ejus* colligerent hinc, Deum habere manus, & alia membra corporea, ut putabant Audæani, seu Antropomorphitæ; non verò negasse veritatem facti, nempè costam verè fuisse extractam & ex ea formatam mulierem, imò hoc expresse ibi fatetur.

DUBIUM VIII.

An Adam verè dormierit: & quomodo ex illa costa potuerit mulier formari?

§. I.

De sopore immisso in Adam.

I. Soporem illum, quem Deus immisisse dicitur in Adam *Gen. 2. v. 21.* fuisse verum somnum sentiunt omnes; naturalem quidem quantùm ad rationem, & essentiam, quamvis non fuerit naturalis quantùm ad causam: non enim ex fatigatione, aut ex fumis ascendentibus ad caput processit, sed divina virtute fuit immissus; unde dicitur: *Immisit dominus soporem in Adam.* Quare pro sopore Aquila, & Symmachus in suis Versionibus eas voces adhibuerunt, quæ altum, & profundum somnum significant. Unde Vulgata nostra Adam verè dormisse dicit, *cùm autem obdormisset*.

II. Causam verò, cur Deus Adamum somno tradiderit, existimat S. Jo. Chrysostomus *homil. 15 in Genes.* hanc fuisse; ne ex tali extractione dolorem conciperet, aut subindè tristitiam, videns, se tali parte corporis sui privatum: ac mulieri ex se formatæ postea doloris memor infensus esset. *Itaque, ut ne illum in auferendo, dolore, neque ob ablationem tristitiâ afficeret, utraque sic dispensavit, ut & citra cruciatum illius auferret; & impleto eo loco, unde abstulerat, factorum sensum percipere non sineret.* Hanc eandem causam attulerunt Epiphanius *Hæres.* 48. & Bernardus *serm. 2. de Septuagesima*. Quamvis, ut superiùs diximus, non dubium sit, quin de vigilante costam extrahere potuerit sine dolore.

Aliæ propterea rationes afferri possunt. Vel quia sic res futura erat credibilior; vulgus enim faciliùs credet, dormienti, quàm de vigilante ereptam fuisse costam. Vel quia sic præfigurare volebat Ecclesiam de latere Christi velut dormientis producendam, ut observat Augustinus *tract. 9. in Joann.* dicens: *Dormit Adam, ut fiat Heva, moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Heva de latere: mortuo Christo lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* Idem dicit *tract. 15. & 120. in Joan.* Non tamen ità, ut Christus mortuus meruerit, quòd ex suo latere formaretur Ecclesia; sed ita, ut ex Christi mortui latere prodierint Sacramenta, quibus ædificaretur Ecclesia.

III. Somnum tamen illum, quem Dominus immisit in Adam, fuisse conjunctum cum ecstasi, censent plerique, quia septuaginta Interpretes pro somno *Ecstasim* verterunt. Volunt itaque, Adamum ita fuisse soporatum, & à functionibus sensuum, & corporis alienatum, ut nihilominus mente viderit, costam sibi eripi, carnem suppleri, & ex costa mulierem formari; ac intellexerit mysterium, cui eo facto præludebatur, nempe formationem Ecclesiæ ex Christi latere; & propterea Adamum fuisse primum prophetam. Imò volunt aliqui, eum in illo sopore vidisse divinam essentiam in raptu. Unde D. Thom. 1. p. q. 94. a. 1. ubi quærit, an primus homo divinam essentiam viderit, & resolvit negativè; addit tamen: *nisi fortè dicatur, quod viderit eum in raptu, quando, Deus immisit soporem in Adam, ut dicitur Gen. 2.*

IV.

IV. Hanc Adami ecstasim fatetur August. l. 9. *de Genes. ad litt.* c. 19. dicens: *Ac per hoc etiam illa ecstasis, quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tanquam angelica curia, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret in novissima. Denique evigilans, tanquam prophetiâ plenus, cùm ad se adductam costam mulierem suam videret, eructavit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus:* Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Hoc idem fatetur Hieronymus *l. quæst. Hebraic. in Genes.* legens: *Et misit Dominus Deus ecstasim super Adam.* Et Chrysost. *hom.* 15. *in Gen.* Quibus accedit S. Bernardus *serm.* 2. *de Septuag.* & S. Thom. *q.* 13. *de Verit. a.* 2. *ad* 9.

§. II.

Modus quo ex costa viri Heva formata fuit.

V. Dimittenda cum irrisione, sicuti fabula, narratio, quam tanquam ex Platone refert Eusebius lib. 12. *Praparat Evang.* c. 12. de primi hominis natura: nimirum primum hominem masculum simul & feminam, seu Androgynum, vel Hermaproditum fuisse, habentem corpora viri & mulieris exteriori dorso & cervice unita invicem, & colligata; quæ Jovis mandato divisa, invicem se præsentaverint, factique hoc modo sint vir, & mulier distincti. Ajebat enim: *Neque eadem, quę nunc est, natura olim nostra fuit, sed longè diversa. Primùm enim genera hominum fuerunt omnino tria, non duo tantùm, uti sunt hoc tempore, mas, & femina: sed tertium insuper erat cum utroque commune, quod nudo tantùm relicto nomine prorsus evanuit. Tum enim Androgynum erat tam formâ quàm nomine ex utroque maris, ac feminę sexu conflatum.... Hunc... Juppiter bifariam homines secuit &c.* Et quod pejus est, veterum Rabbinorum aliqui hanc fabulam auctoritate Scripturæ munire conati sunt. Ad hanc puto respexisse S. Augustinum *lib.* 3. *de Gen. ad litt. c.* 22. qui postquam ait, Gen. 1. v. 27. dici: *fecit illum* (hominem) *masculum, & feminam*; ne quis putaret tunc animam solam, esse factam, & non etiam corpus, subjungit: *rursum ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdùm nascuntur, quos androgynos vocant; ostendit, se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, & quòd de viro mulier facta est.... & ideò pluralem numerum continuò subjecit, dicens:* fecit (seu creavit) eos, benedixitque illis.

Dimittenda quoque est anilis Judæorum fabula dicentium, duas mulieres Adamo Deum condidisse: quam D. Augustinus irridet *lib.* 2. *contra Adversar. Legis, & Prophet. c.* 1. Cùm enim Marcionita seu Manichęus quidam, contra quem ibi scribebat, conaretur ostendere propheticas litteras etiam ab Apostolis condemnari, & præcipue à D. Paulo 1. ad Timoth. 4. v. 7. *prophanas & aniles fabulas devita* Et c. 1. v. 4. *ne intendas fabulis Judaicis & genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem*; respondet, Paulum ibi damnare traditiones quasdam Judæorum non scriptas, plenas fabulis, & præcipuè illam, quâ dicebant, Deum duas mulieres Adamo condidisse: *nescit autem* (inquit) *habere præter Scripturas legitimas & propheticas, Judæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quas deuterosin* (idest secundum post Scripturas locum tenentes) *vocant, ubi etiam dicere audent, & credere, Deum primo homini duas creasse mulieres; ex quibus texunt genealogias, verè, sicut ait Apostolus, infinitas, parientes infructuosissimas, quæstiones.*

VI. Sed ad præsentem quęstionem redeamus. Quomodo scilicet ex parva costa potuerit corpus mulieris ædificari,

cari, admirandum potiùs censet Chrysostomus *homil. 15. in Gen.* quàm curiosiùs inquirendum. *Quid ergo* (inquit) *hìc dicent haeretici, qui omnia curiosiùs explorare volunt? ... Unam costam, inquit, accepit, & quomodo ex hac unica costa totum animal formavit? Et quid dico, quomodo ex hac una animal formavit? Dic obsecro quomodo ablatio facta est? Quomodo Adam cùm auferretur costa, non sensit? Sed nihil horum dicere poteris. Unus enim tantùm scit, qui est ipse Conditor &c.* congruenter tamen, & conjecturaliter loquendo

VII. Dico. Verosimile esse, ex costa illa per additionem novae materiae conversae in ipsam auctâ, factum, seu aedificatum fuisse corpus mulieris. Ita censet S. Thomas *a. 3. hujus quaest. 92. ad 1.* Ubi huic quaesito respondens, postquam ait, non potuisse hoc fieri per rarefactionem, seu extensionem quantitatis illius costae, quia corpus mulieris non habuisset soliditatem convenientem humano corpori; nec alio modo, nullâ factâ materiae additione, concludit: *necesse est ponere additionem materiae, vel per creationem, vel (quod probabilius est) per conversionem. Unde August. dicit super Joann.* (tract. 24.) *quòd hoc modo Christus ex quinque panibus satiavit quinque millia hominum, quomodo ex paucis granis producit multitudinem segetum, quod fit per conversionem alimenti.* Huic doctrinae concordant, quae scribit in 2. *Sent. dist* 18. *q. 1. a. 1.* ubi relata opinione volente, costam auctam fuisse per additionem materiae de novo creatae, subdit: *verius tamen videtur, quòd per additionem materiae praexistentis hoc factum fuerit, cùm omnia simul fuisse creata, ad minus in materia, Sancti communiter tradant.* Et 3. p. q. 44. a. 4. ad 4. *multiplicatio panum* (inquit) *non est facta per modum creationis, sed per additionem extraneae materiae in panem conversae.* Idem ergo dicendum est de formatione Hevae ex costa.

VIII. Dices. Ergo mulier dici debebit potiùs formata ex illa materia addita, quàm ex costa; cùm ex illa pro majori parte fuerit formatum corpus mulieris.

Nego conseq. Nam primò aliqui volunt, materiam illam fuisse priùs conversam in costam, quàm in corpus mulieris; & ad hanc conversionem, latentem quandam virtutem, sicut in semine, fuisse in costa illa. Vel quia costa primò, & principaliter fuit assumta, & electa, ut ex ea tanquam ex fundamento, & primo principio formaretur corpus mulieris; reliqua verò materia fuit quid accessorium, & se habens per modum supplementi: unde & ad costam localiter est adducta, non costa ad illam. *Per additionem rei exterioris* (ait S. Tho. in 2. dist. 18. q. 1. a. 1. ad 2.) *ex costa corpus mulieris factum est: nec tamen oportet, quod ex illo adjecto corpus mulieris factum dicatur, etsi sit amplius in quantitate, quia illud adjectum non venit in materiam mulieris, nisi mediante costa: sicut etiam menstruum materia embrionis dicitur, quamvis oporteat etiam ex cibis comestis corpus embrionis majorem quantitatem assumere.* Porrò non solàm costam, sed costam cum carne Deum ex Adamo extraxisse, indicant verba Adami, muliere jam formatâ, dicentis c. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

IX. Quaeres: cur in humana specie femina facta fuerit ex viro, cùm in aliis animalibus ita factum non sit?

Respondet D. Tho. 1. *p. q. 92. a 2.* conveniens fuisse: primò, *ut in hoc quaedam dignitas primo homini servaretur; ut secundùm Dei similitudinem esset & ipse principium suae speciei, sicut Deus est principium totius Universi. Unde & Paulus dicit Act. 17. quod*, Deus fecit ex uno omne genus hominum.

X. Secundò. *Ut vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabiliùs inhaereret, dùm cognosceret, eam ex se esse productam. Unde dicitur Gen. 2. De viro sumta est.* Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhaerebit

rebit uxori suæ. *Et hoc maximè necessarium fuit in specie humana, in qua mas, & femina commanent per totam vitam, quod non contingit in aliis animalibus.*

XI. Tertiò. Quia, *ut Philosophus dicit in 8. Ethic.* (cap. 12.) *mas, & femina conjunguntur in hominibus, non solùm propter necessitatem generationis, ut in aljis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri, & feminæ, & in qua vir est caput mulieris. Unde convenienter ex viro formata est femina, sicut ex suo principio.*

XII. Quarta verò est *ratio Sacramentalis. Figuratur enim per hoc, quòd Ecclesia à Christo sumit principium. Unde Apostolus dicit ad Ephes.* 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

XIII. At inquies. Si mulier facta fuit, ut esset adjutorium viri ad generationem, non debuit formari ex illo: nam sic habuisset maximam ad ipsum propinquitatem, nimia autem propinquitas excludit invicem à Matrimonio. *Levit.* 18.

Sed respondet D. Thom. allegato loco *ad* 3. quod propinquitas, quæ Matrimonium impedit, contrahitur ex naturali generatione, maximè inter patrem, & filiam. *Sed mulier non est producta à viro per naturalem generationem, sed solâ virtute divina; unde Heva non dicitur filia Adæ.* Ex quo fit, Adamum nullam actionem habuisse ad formationem Hevæ, sed hanc immediatè fuisse à Deo formatam. Homo enim solùm ex determinata materia alium sibi similem in specie facere potest, nempe ex semine humano viri, vel feminæ: *solus autem Deus qui est naturæ institutor potest præter naturæ ordinem res in esse producere. Et ideò solus Deus potuit vel virum de limo terræ, vel mulierem de costa viri formare.* Ita D. Tho. *q.* 92. *citatâ a.* 4.

XIV. Quare autem de viri latere, & costâ formata mulier fuerit potiùs, quàm ex alia parte: Rationem dat D. Thom. eâdem quæst. 92. a. 3. Primò: *ad significandum, quòd inter virum, & mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum: & ideò non est formata de capite. Neque debet à viro despici tanquam serviliter subjecta: & ideò non est formata de pedibus.* Secundò: *propter Sacramentum; quia de latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt Sacramenta, idest sanguis, & aqua, quibus est Ecclesia instituta.*

DUBIUM IX.

An Adam fuerit omnium hominum simpliciter primus; an verò fuerint alii homines ante ipsum?

§. I.

Præadamitarum Fabula.

I. Adamum fuisse primum simpliciter hominem à Deo productum; ita ut ante ipsum nullus in toto genere humano extiterit, agnoverunt omnes, & Hebræi, ut ex Philone *l. de Mundi opificio*, & Josepho *Antiquit. Judaic.* l. 1. *c.* 2. & etiam Christiani; ità ut nemo, quem sciam, hoc in controversiam vocaverit. Quare D. Aug. *tract.* 9. *in Joann.* hoc velut indubitatum proponens, *in ipso* (inquit) *Mundi exordio, Adam & Heva parentes omnium gentium erant, non tantumodo Judæorum: & quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo.*

II. Ab hanc tamen communi, & perpetua consensione resilivit anno 1655. Isaacus Pereyrus Calvinista quidam natione Galus, qui inter alios errores ausus est asserere, Adamum fuisse dumtaxat primum parentem Judæorum, quorum historiam Moyses in libro Genesis describendam suscepit, sed non fuisse primum parentem Gentilium; ac subinde ante ipsum alios homi-

homines à Deo creatos fuisse, quos vocavit *Praadamitas*. Ut fabulam suam pervulgaret, duos edidit libros; unum, cui titulus: *Praadamita, seu exercitatio super versus 12. 13. & 14. capitis 5. Epistola ad Romanos*: alterum, quem inscripsit: *Systema Theologicum ex Praadamitarum hypothesi*. Videns tamen, se hujus sui fabricati somnii, nedum ullum nancisci Patronum non posse, quin ab omnibus vel scriptis, vel sibilis explodi; post varios casus facti, & dicti, divino adjutus lumine falsitatem tandem agnoscens, pœnitentiâ ductus, Romam, sedente Alexandro VII. veniam petiturus accessit anno 1657. ubi & Præadamiticum inventum, & Calvinianam Sectam ejuravit publicatâ epistolâ ad Philotimum directâ; in qua rationes exponit, ob quas, & Sectam Calvini, quam imbiberat, & librum de Præadamitis ejuraverit. Et insuper ad calcem præfatæ Epistolæ attexuit libellum supplicem, quem Romano Pontifici porrexit, & in quo sui Præadamitarum systematis palinodiam sincero animo canit, quam describit noster P. Graveson *t.* 8. *Hist. Eccles. p.* 1. *Colloqu.* 3. *pag.* 255. Tandem Aubervilli apud Parisios in Fide Catholica decessit.

§. II.

Error Praadamitarum refellitur.

III. Dico. Asserere ante Adamum alios fuisse homines, seu Præadamitas, error turpissimus est. Probo. Quia evertit totam Scripturam divinam. Primò. Nam *Gen.* 1. ubi *v.* 1. describitur creatio Cœli, & terræ, & diebus succedentibus productio omnium, quæ sive in Cœlo, sive in aquis, sive in terris sunt, sextâ tandem die v. 27. dicitur: *& creavit Deus hominem ad imaginem suam*, eique omnium tradidit dominatum. Cum ergo ante creationem Cœli, & terræ non fuerint creati homines; nec ante hominem ibi formatum creati fuerint alii Cœli, & alia terra, dicendum est, quòd homo ibi formatus, fuerit primus, ante quem nullus alius homo formatus fuerat.

IV. Respondebat Auctor systematis Præadamitici, hominem, cujus formatio narratur *cap.* 1. *Genes.* non fuisse Adamum primum Parentem Judæorum; hujus enim formatio legitur postea (*capite* 2. *à v.* 7.) sed fuisse alium ante Adamum, ex quo Præadamitæ fluxerunt. Hujus autem progeniem omisit Moyses; quia ejus scopus erat solàm gentis Judæorum, ex qua ipse erat, originem, & propagationem describere.

V. Sed contra. Nam formatio hominis, quæ legitur in secundò capite, non proponitur tanquam res de novo facta; ita ut sit homo alius, & diversus ab eo, qui legitur formatus in primo capite: sed est quædam recapitulatio, & magis distincta explicatio formationis ejusdem hominis, qui quasi compendio indicatus fuerat in primo. Cùm enim in primò solùm dixisset, quòd Deus hominem fecerat ad imaginem suam, masculum, & feminam; in secundò accuratiùs describit utriusque formationem, modum exponens, quo fecit utrumque, nempe masculum de limo terræ, inspirando in faciem ejus spiraculum vitæ, & feminam de costa viri ab eo dormiente extractâ. Et hoc colligo, tùm ex verbis, quibus inchoatur descriptio c. 2. v. 7. nempè: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terre*; ubi ly *igitur* denotat eam narrationem esse consequentem, & relativam ad formationem, quam *cap.* 1. indicaverat. Ac si diceret: homo ille, qui, ut supra dictum est, factus fuit ad imaginem Dei, factus fuit hoc modo, nempe de limo terræ, & similiter de femina. Alioquin quomodo verificaretur, quòd dicitur c. 2. v. 2. quod *requievit* (Deus) *die septimo ab universo opere quod patrarat*, si statim aliud opus, & quidem præcipuum, formationis nempè Adam & Hevæ, aggressus fuisset?

Deinde ille homo fuit primus omnium, de quo *Gen.* 1. *v.* 27. dicitur: & *creavit Deus hominem ad imaginem suam &c.* sed hic fuit Adam; ergo &c. Min. probatur. Nam ibi *cap.* 5. *v.* 1. dicitur: *Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* (*v.* 2.) *Masculum, & feminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati sunt*; quæ verba repetunt, & accommodant Adamo verba dicta de homine formato capite primo.

Tertiò. Si Adam non fuit primus, sed ante eum facti fuerant alii homines, cur ante formationem Adami dicitur c. 2. v. 5. *Homo non erat, qui operaretur terram*? nonne fuissent homines Preadamitæ? Rursùs: cur eodem *cap. v.* 19. dicitur, quòd cùm Deus creasset omnia animalia, *adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea*? Quorsum potiùs ad Adamum adduxit, quàm ad Præadamitas? Nunquid hos, si fuissent, omnia animalia anonyma reliquisse credibile est? Nulla certè alia potest assignari ratio; nisi quia tunc Adamus solus erat homo in terra: & ideò additur v. 20. *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis illi*, & erat ille primus, propter quem animalia facta fuerant, & cui *c.* 1. *v.* 28. tradiderat dominatum super ea.

VI. Probatur secundò principaliter. S. Paulus *Act.* 17. loquens Atheniensibus de Deo, *qui fecit Mundum & omnia, quæ in eo sunt* v. 26. ait: *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ &c.* Si igitur *ex uno* fecit Deus non gentem solam Judæorum, sed omne genus hominum; iste autem unus divo Paulo alius esse non poterat, nisi Adam, cujus solius liber generationis, & ab ipso propagationis liber extabat; ergo &c. Alioquin si alius fuisset primus parens, ex quo Judæi, & ex quo orti fuissent Gentiles, falsum dixisset Paulus; & de falsitate à doctis illis Atheniensibus correptus fuisset, vel non auditus, uti contigit, cùm cæpit eis de resurrectione mortuorum loqui, quam non credebant. Unde dicitur ibi v. 32. *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum.* Persuasum igitur erat, tam Judæis, quàm Gentilibus, non ex uno Gentiles, ex alio Judæos, sed omne genus humanum ab uno traxisse originem, & hunc esse Adamum, cujus propterea uxor dicta fuit *Heva, eò quòd mater esset cunctorum viventium.* (Gen. 3. v. 20.)

VII. Probatur tertiò ex Apostolo 1. *ad Cor.* 15. ubi comparans Adamum Christo v. 45. *factus est* (inquit) *primus homo Adam in animam viventem.* Et v. 47. *primus homo de terra terrenus, secundus homò de Cælo Cælestis.* Cur autem dixisset primus homo de terra factus Adam, si ante illum fuissent alii homines; si esset primus non omnium viventium, sed Judæorum tantùm? cur comparasset primum secundo Adæ, si cùm iste sit absolutè primus, per quem omnes homines vivunt in spiritu, ille non esset absolutè primus, per quem, & ex quo omnes homines vivunt in carne? Meritò igitur *Sap.* 10. *v.* 1. dicitur Adam primùs Pater Orbis terrarum: *Hæc* (Sapientia increata) *illum, qui primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.* Eodem supra citato textu Pauli ex 1. *ad Cor.* urgebat S. Augustinus Manichæos, qui nescio quem primum hominem proferebant (*L.* 2. *contra Faustum c.* 3.) qui ad gentem tenebrarum debellandam de lucis gente descendit: Adamum verò, & Hevam, dicebant ex principibus tenebrarum genitos (ut *l. de Natura boni c.* 46. & *lib. de Hæres. cap.* 46.) sic inquam eos urgebat lib. 2. contra Faustum c. 4. *Non novit Apostolica doctrina primum hominem vestrum. Audite Apostolum Paulum: primus homo, inquit, de terra terrenus.* Hæc certè in aucto-

rum

rem Præadamitarum repeti possunt: *non novit Apostolica doctrina primum hominem* tuum Præadamitarum parentem. *Audi Apostolum Paulum: primus homo de terra terrenus*.

VIII. Probatur quartò, & quidem fortiùs ex eodem Paulo ad Rom. 5. *v.* 12. dicente: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt &c.* Iste unus homo, per quem peccatum in hunc Mundum, & mors intraverunt, & in omnes pertransiit, & in quo omnes peccaverunt, fuit Adam; unde ibi v. 14 dicit: *Regnavit mors ab Adam*. Porrò si Adam censendus est primus, & parens Judæorum tantùm, & non omnium hominum, quomodò omnes, & singuli omnium cæterarum nationum in eo peccaverunt, & peccatum, mortemque contraxerunt; si non omnes, & singuli originem ab eo traxerunt? Quomodo labes illa, seu naturæ morbus, in omnes pertransiit, & in omnes mors tanquam pœna; si non omnes per propaginem ab eo acceperunt naturam?

IX. Scio, fabulæ Præadamiticæ Patronum dicere, ad hoc, ut omnes Adami peccato inficerentur, necesse non fuisse, ut omnes naturali propagatione ab eo descenderent; sed ut omnes communione quadam politicâ ei conjungerentur: & hujusmodi varia ex Scripturis conatur afferre exempla, quibus aliorum peccata, vel filii, vel subditi portaverunt.

X. Sed contra primò. Omnia exempla, quæ afferri possunt eorum, qui propter aliena peccata puniti fuerunt, vel fuerunt filii, vel subditi, vel aliquâ affinitatis connexione juncti cum ijs, qui peccarunt. At cum Adamo peccante, quam connexionem habuissent Prȩadamitæ, quibus nulla affinitas cum Adamo solius Hebraitæ Gentis parente, nullam ab eis originem trahente, nullâ eis affinitate juncto, sed à Deo immediatè de limo formato?

Rursùs: invenientur quidem homines, qui alieni peccati pœnam portaverint: at homines, qui nascantur, vel nati sint alieno peccato sordidati, ubi inveniet? Et tamen ob peccatum Adami omnes homines, nedum ex Hebræis, sed ex Gentibus quibuscumque, nascuntur peccato infecti.

XI. Respondebit, homines dici peccatores imputatione peccati Adami, sicut imputatione fidei Abrahami dicti fuerunt fideles, & imputatione justitiæ Christi homines dicuntur justi ratione societatis, & communionis mysticæ.

XII. Contra tamen est primò. Nam à doctrina Catholica alienum est, quod solâ imputatione justitiæ Christi justi simus, & non justitiâ nobis inhærente. ut statuit Tridentinum *Sess. 6. can.* 11. aut solâ peccati Adami imputatione peccatores constituamur, & non peccato, quòd licèt sit origine unum, fiat tamen nascendo unicuique proprium, ut statuit idem Concilium *Sess.* 5.

Secundò. Si solâ imputatione, & non propagatione peccatum Adami fieret nostrum, non esset verum, nos nasci peccatores. Sicut enim fideles non nascuntur ii, quibus fides Abrahæ imputatur; nec etiam nascuntur justi homines omnes, quibus justitia Christi imputatur: sic nec solâ peccati Adamici imputatione, omnes homines nascerentur peccatores, aut naturâ filii iræ dici possent; nec magis diceretur originale peccatum propter Adamum, quàm originalis fides propter Abrahamum, & originalis justitia propter Christum.

XIII. Tertiò. Si eo modo sunt homines peccatores per Adamum, sicut fideles per Abrahamum, & per unionem cum illo, qui omnium credentium fuit Pater, seu exemplar; ergo sicut Abrahamus dicitur caput credentium, & fideles dicuntur ejus filii solâ imitatione; quia scilicet imitantur fidem ejus: ita ab Adamo dicerentur homines peccatores solâ imitatione

F 2 pec-

peccati illius, quod quidem erroris monstrum in Pelagio confixit Ecclesia. Rursùs: conjunctio, quam habent Justi cum Christo est conjunctio membrorum cum suo capite, Fidejussore, Redemtore. Quæso, quam conjunctionem habere possent in systemate Præadamitico Gentiles cum Adamo; si Pater, & caput tantummodo Judæorum fuisset, ut, peccante ipso, omnes adhuc per imputationem peccatores constituerentur?

XIV. Tandem. Cùm ex peccato Adami, teste Paulo, mors in omnes homines pertransierit; quomodo mors pertransiit etiam ad eos, qui nullâ naturali, sed solâ mysticâ, aut politicâ unione cum Adamo jungebantur? Dicere enim mortem non esse per peccatum inductam, sed Adamum, etsi non peccasset, ejusque Posteros fuisse morituros, est apertè contradicere D. Paulo dicenti Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors*. Et c. 6. v. 23. *Stipendia enim peccati, mors*: & insuper Pelagianis consentire, qui idem sentiebant, quos in hac parte impugnat S. Augustinus *lib. 1. de Peccatorum Meritis, & remiss. cap.* 1. & confixit Concilium universale Africæ Carthagine celebratum anno 418. cujus Canones sub Concilii Milevitani titulo continentur: quorum primus statuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum; ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. Quod anathema repetivit Concilium Arausicanum II. anno 529. Can. 1. & Tridentinum Sess. 5. Can. 2. En quot errorum monstra devorare cogebatur, ut suam tueretur fabulam, Præadimiticus Auctor. Nunc videamus, quibus momentis ducebatur.

* ✠ *

§. III.

Præadamitarum fundamenta eversa.

XV. Objiciebat primò Præadamiticus fabulator aliquos Genesis textus, ex quibus se colligere autumabat aliquos homines ante Adamum fuisse. Primum erat *cap.* 4. *v.* 2. ubi dicitur: *fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola*. Ex quibus sic discurrebat. Si Abel erat Pastor; ergo custodiebat oves. A quibus autem custodiebat? A furibus? At si non erant nisi Adam, Heva, & Cain, quos fures timere poterat? A lupis, aliisque feris? At sibi ipsi potiùs, quàm ovibus timendum fuisset. Si etiam Cain erat Agricola, cùm ars aratoria multas alias supponat artes tali arti instrumenta fabricantes, quas Cain nec solus absque plurium adjutorio exercere potuisset; necessariò infertur, tunc plures artifices, & plures homines, qui ab Adamo, & Heva progeniti non fuissent, sed ex aliis Adamo, & Hevâ prioribus.

XVI. Secundum erat illud *Genes.* 4. *v.* 6. *&* 7. ubi Dominus ad Cain: *Quare* (inquit) *iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Supponit ergo (ajebat Præadamiticus) Deus tunc adfuisse homines, à quibus posset Cain, judicari, & sive præmium sperare, sive pœnam timere; quod indicat ly *in foribus*: Judicia enim apud Orientales exerceri solebant in portis.

XVII. Tertium sumebat ex verbis Caini ad Deum eodem *cap.* 4. *v.* 14. post patratum fratricidium dicentis: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar: & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. At si non erant in Mundo, nisi Adam, & Heva parentes, à quibus timere poterat, ne occideretur? Ergo erant alii homines, à quibus velut à Judicibus meritâ pro fratri-

fratricidio pœnâ se puniendum formidabat.

Accedit, quòd Josephus dicit, quòd Cain *accitis undequaque latrociniorum, & nequitiæ sociis*, sesse magistrum illis ad facinorosam vitam effecit. At quinam erant isti socii? Fratres? At nullus legitur nisi Seth, qui certè in Caini crimen non consensisset; quin cum eo commercium habuisse non legitur. Nepotes? Minus. Ad quid enim in mutuam perniciem eos armasset? Num ut dominii sui fines extenderet? At quid in Mundo hominibus vacuo illi clausum erat? Erant ergo alii homines ex alia stirpe prognati, quos in socios vocare, & à quibus etiam timere poterat. Unde Dominus *vers.* 15. ne Cain occideretur, comminatus est pœnam cuicumque illum occidisset, dicens: *Sed omnis, qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.*

XVIII. Quartum accipiebat ex iis, quæ sequuntur v. 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch.* At quam uxorem accipere potuisset ex filiabus Adami, & ejus familia, cùm nondùm Adamo ulla filia nata fuisset? Ergo eam acceperat ex filiabus Gentium, oriundam ex prima hominum conditione, quæ *Genes.* 1. narratur.

XIX. Quintò afferebat verba sequentia eodem *v.* 17. ubi de Caino subditur: *Et ædificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Nimirùm, ut distingueret eam ab aliis civitatibus Orientalis plagæ Eden. At quibus operariis, architectis, fabris eam condidit? Quibus civibus habitandam tradidit, si alii non erant, quàm ex familia Adæ? Rursùs: aliæ Civitates, à quibus nomine eam distinguebat, quos incolas habebant? Non alios certè, quàm ex aliis Gentibus ab aliis, quàm ex Adamo, & Heva propagatis, & proinde Præadamitis. Hæc ex Genesi in Patrocinium sui commenti advocabat Pereyrus.

XX. His ergo sigillatìm occurrendum est. Verùm priùs observandum cum D. Aug. *l.* 15. *de Civit. Dei c.* 8. non omnes homines, quos Heva ex Adamo, & filii eorum genuerunt, esse à Moyse in Genesi numeratos, sed eos solos, qui ad ejus intentum erant; ex quibus scilicet post multa secula procreandus erat Abraham: alios autem ad hanc seriem non spectantes, vel prorsùs omisisse, vel eâ tantum ratione indicasse, ut appareret, à serie, quam describebat, alias series generationum in Mundo fuisse. Qui enim aliter existimant, *parùm considerant* (inquit S. Doct.) *non omnes homines, qui tunc esse potuerunt, scriptorem Sacræ hujus historiæ necesse habuisse nominare, sed eos solos, quos operis suscepti ratio postulabat. Propositum quippe scriptoris illius fuit, per quem Spiritus Sanctus id agebat, per successiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham; ac deinde ex ejus semine ad populum Dei: itaut nec de altera societate hominum taceretur, quam terrenam dicimus Civitatem, quantum ei commemoranda satis esset, ut Civitas Dei etiam suæ adversariæ comparatione claresceret.* Quamvis ergo filii Adam expressè nominentur soli tres Cain, Abel, & Seth, & nulla femina: cùm tamen *cap.* 5. *v.* 4. de illo dicatur, quod genuit filios, & filias, & vixerit annos nongentos & triginta; quot filios & filias ipse, eorumque posteri generasse credendi sunt? Eâdem quoque ratione ex Cain, quem alterius Gentis propagatorem credimus, præter Enoch, quot ante, quot post progenitos, de quibus nulla mentio fit, existimabimus? Cùm Deus benedicens Adamo, & Hevæ *Gen.* 1. *v.* 28. dixerit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, & hâc ratione vitam adeò longævam eis indulserit, fœcunditatem quoque specialem eis indulsisse credendus est; ita ut existimare Hævam, aliasque ex ea genitas feminas, singulis annis eodem partu plures filios edidisse inverosimile

videri

videri non possit: terra enim hominibus vacua replenda erat. His ergo prænotatis

XXI. Ad primum dico, vel quòd tempore, quo Cain agricolam agebat, & Abel pastorem, plures alii ex Adamo, & Heva geniti fratres, & nepotes credi possunt. Vel quòd custodia pecorum, cui vacabat Abel, non habetur præcisè ad arcendos fures, aut feras; sed ad oves continendas, ne disgregentur, ut pascua noxia evitent, ut in caulas reducantur, & ut ex eis lac prematur. Cain etiam fratrum ope terram exercuisse credere par est: nec putandum id præstitisse tot instrumentis, & eo apparatu, quo modò fieri videmus, sed eo modo simplici, quo à parente Adamo Dei sententiâ ad id operis damnato, edoctus fuerat; donec crescente hominum numero, & industriâ artes adinvente, & in usu positæ fuerunt. Quare ad hunc usum Præadamitas evocare, nec Abel, nec Cain necesse fuit.

XXII. Ad secundum dico, verba illa: *statim in foribus peccatum aderit*, non indicare Judices illos commentitios judicantes in portis; sed indicare peccato suo præstò futuram pœnam: usu enim Scripturæ, & communi *in foribus* esse dicitur id, quod præstò, vel in proximo est. Sic *Marci* 13. *v.* 29. Christus dicit: *Scitote, quòd in proximo sit in ostiis*. Et S. Jacobus in Epistola sua *cap.* 5. *v.* 9. loquens de Judicio Dei imminente his, qui ingemiscunt in fratrem, ait: *Ecce Judex ante januam assistit*. Hoc igitur indicare voluit Caino Dominus.

XXIII. Ad tertium dico, Cain horrore patrati delicti, & conscientiæ stimulis agitatum, mortem in pœnam sibi ab omnibus debitam expavisse, sive à bestiis, sive à parentibus, seu consanguineis ipsis. Ita S. Ambrosius *lib.* 2. *de Cain, & Abel c.* 9. dicens: *Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis divina jura violaverat, nec præsumere de subjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt Posteri de parente.* Porrò multos eo tempore, quo Cain occidit Abel, fuisse ex familia Adami fratres Cain, filios, & nepotes, qui Orientalem plagam Eden incolebant, à quibus ob necem Abelis indignatis timere poterat Cain ipse ne occideretur, sic ostendo. Cainus occidit Abelem circa annum mundi centesimum trigesimum: nam hoc anno ut habetur *Genes.* 5. *v.* 3. natus est Seth. *Vixit autem Adam centum & triginta annos, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Cùm autem Seth fuerit à Deo datus Adamo ad solatium mæroris, quem Adam, & Heva ex nece Abelis conceperant, ut legitur ibid. cap. 4. v. 25. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*; credibile est eodem anno, quo occisus fuit Abel, conceptum fuisse Seth, & anno sequenti natum. Si enim post longum tempus à nece Abelis natus fuisset Seth, non censeretur datus in solatium mæroris pro Abele occiso. Hoc supposito credibile est, anno illo centesimo trigesimo ab Orbe, & Adamo condito, humanum genus ab Adamo per filios, & nepotes ad plura centena millia propagatum fuisse, quamvis hoc scriptor Sacer non referat; quia, ut diximus ex Augustino, ad ejus intentum non erat: cùm intra ducentos quindecim annos, quibus Hæbræi, in Ægypto fuere, usque ad sexcenta millia virorum militiæ armisque tractandis aptorum propagati sint, ut infra ex S. Augustino dicetur.

Hinc, si verum est, quod refert Josephus, in tanta hominum multitudine potuit Cainus manum hominum Facinorosorum ad latrocinia congregare, eisque ad hæc similia flagitia magister fieri,

fieri; & præcipuè in filios Seth, aliosque qui in ejus nequitiam non consentiebant, eorum regiones excursionibus devastando, & prædas asportando. Quamquam credibilius, & Sacræ Scripturæ conformius est, quòd Cain post fraternam cædem omnibus invisus, & signo ei à Deo imposito cunctis abominabilis, vagus, & profugus, ab aliis segregatus habitaverit; dicitur enim Gen. 4. v. 16. *Egresusque Cain à facie domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.*

XXIV. Ad quartum dico, uxorem Cain fuisse Adami filiam, sororemque Cain, quod in illo humani generis exordio licebat, quoniam aliter propagari non poterat. Ita S. Aug. lib. 15. de Civit. Dei c. 16. *cùm igitur* (inquit) *genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium, feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt: quòd profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius Religione prohibente.* Et S. Jo. Chrysostomus: *quia* (inquit) *initia erant, debebatque augeri humanum genus, sorores ut ducerent concedebatur.*

XXV. Ad quintum respondeo, ex hactenus dictis patere, fuisse tunc sufficientissimum hominum numerum ab Adamo descendentium pro condenda non unâ, sed pluribus Civitatibus. Audiendus propterea est D. Augustinus *lib. 1. quæst. in Genes. qu. 1.* ubi sic ait: *quomodo Cain potuerit condere Civitatem, cùm civitas alicui utique constituatur hominum multitudini; illi autem duo parentes, & duo filii fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cujus occisi locum alius natus esse narratur? An ideò quæstio est, quoniam qui legunt, putant, solos tunc fuisse homines, quos divina Scriptura commemorat, nec advertunt, eos qui priùs sunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tamdiu vixisse, ut multos gignerent? Non enim & Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cùm de illo Scriptura loquens, ita concludat, quòd genuerit filios, & filias. Proinde cùm multò pluribus illi vixerint annis, quàm Israelita in Ægypto fuerunt, quis non videat, quàm multi homines nasci potuerunt, unde illa Civitas impleretur; si Hebræi multò minori tempore ita multiplicari potuerunt?*

XXVI. Quòd si velimus, Cain ædificasse illam Civitatem pro sua sola familia, filiis, ac nepotibus; cùm enim omnia essent Cain suspecta, & metu plena, tùm à bestiis, tùm ab hominibus voluerit habere Civitatem, ad quam homo profugus, & vagus posset aliquando divertere; adhuc ex sua familia possumus concipere potuisse illam implere, si cum D. Augustino *lib. 15. de Civit. Dei cap. 8.* dicamus, Henoch non fuisse Caini primogenitum, sed ante illum alios multos filios, filiasque genuisse. *Nec illud* (ita S. Augustinus citatus) *necessario est argumento, ut primogenitum patri existimemus Henoch, quòd ejus nomine Civitas illa nuncupata est. Non enim abs re est, ut propter aliquam causam, cùm & alios haberet, diligeret eum pater cæteris ampliùs. Neque enim & Judas primogenitus fuit, à quo Judæa cognominata est, & Judæi.* Neque etiam Henoch primogenitum fuisse evincunt illa verba: *Et cognovit Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit. Nam* [inquit S. August.] *& de ipso patre omnium Adam non tunc solùm hoc dictum est, quando conceptus est Cain, quem primogenitum videtur habuisse: verùm etiam posteriùs eadem Scriptura*, cognovit, *inquit*, Adam uxorem suam, quæ concepit, & peperit filium, & nominavit nomen illius Seth.

Vel si Henoch fuerit primogenitus Cain, non sequitur, statim post ipsum natum Civitatem condidisse, vel ab ipso ei nomen imposuisse. Prosequitur enim S. Doctor: *Sed etiamsi Conditori Civitatis illius iste filius primus est natus;*

natus; non ideò putandum est, tunc à patre condita Civitati nomen ejus impositum, quando natus est; quia nec constitui tunc ab uno poterat Civitas, quæ nihil aliud est, quàm hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata: sed cùm illius hominis familia tantâ numerositate cresceret, ut haberet jam populi quantitatem; tunc potuit utique fieri, ut & constitueret, & nomen primogeniti sui constituta imponeret Civitati. Inde pergens ostendit, quomodo potuerit hoc fieri. Nam cùm homines tunc usque ad septingentos aliqui, alii ad nongentos annos, & ultra vitam protraherent: *quis* [inquit] *dubitaverit, per unius hominis ætatem tantum multiplicari potuisse genus humanum, ut esset unde constitueretur non una, sed plurimæ civitates?* Et hoc demonstrat exemplo: nam per solos quadringentos annos ab Abraham tanta numerositas gentis procreata est, *ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto sexcenta millia hominum referantur bellicæ juventutis, ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Israel, quam genuit frater ejus Esau nepos Abrahæ, & alias natas ex semine ipsius Abrahæ, non per Saram conjugem procreatas.* Hæc non solùm ad exsufflandam Præadamiticam fabulam, sed ad multa alia scitu necessaria sunt.

XXVII. Objiciebat secundò Apost. *Rom. 5. v. 13. & 14.* dicentem: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Hæc verba ad suam fabulam concinnandam Pereyrus trahebat sic. Peccatum erat ante legem, quod non imputabatur: sed non ante legem Mosaicam; nam peccata ante istam commissa imputata fuerunt, ut constat in Adamo ipso, in Caino, in hominibus ob peccata per diluvium deletis, in Sodomitis, in aliis, qui ob peccata puniti sunt ante Moysi legem; ergo hoc peccatum, quod non imputabatur, erat ante legem Adamo datam, & ante Adamum. Si ergo ante Legem, & ante Adamum erat peccatum; erant quoque ante legem, & ante Adamum homines. Rursus: si regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ; ergo etiam illis imputata fuit Adæ prævaricatio, qui ab Adamo propagati non erant. Et sic cum Præadamitarum systemate componitur quod dixerat Paulus, nempe, quod per unius delictum peccatum, & mors in omnes pertransiit.

XXVIII. Huic argumento, quod speciem difficultatis, præsefert, respondeo, Apostolum nomine *Legis* non sumere legem datam Adamo, sed legem datam Moysi, seu legem scriptam; usu enim Scripturæ, & maximè ipsius Pauli, nomine Legis non alia, quàm lex Moysi, seu lex Scripta intelligitur. Quod autem additur: *peccatum autem non imputabatur*, non debet sic exponi, ut peccatum ante legem commissum nec imputaretur ad culpam, seu reatum, nec ad pœnam; constat enim, ut advertit Pereyrus, multos ante legem Moysi ob peccata à Deo punitos: sed quia non imputabatur, seu non manifestabatur, seu arguebatur pœnâ statutâ, & manifestâ, maximè infligendâ per homines, ut postea lege Mosaica præcipiente fieri cæpit. Quia verò lex hoc modo demonstrare quidem cæpit peccatum, illudque arguere, illud tamen seipsâ tollere non poterat, nisi accederet gratia per Christum: ideò dicit, quòd regnavit peccatum usque ad legem, idest toto tempore legis regnum peccati continuavit; non illis solùm, qui propriâ voluntate transgredientes peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui præceptum Dei propriâ, & liberrima voluntate transgressus est; verùm etiam illi, qui non proprio actu, sed contagione originis ab Adamo peccaverunt.

XXIX.

XXIX. Ita Pauli præfata verba exponit S. Auguſt. *Epiſt.* 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium nu.* 18. & 19. Uſque enim (*inquit*) ad legem peccatum in Mundo fuit, peccatum autem non deputabatur (ideſt, *peccatum eſſe non putabatur*, ut ait *lib.* 1. *de Peccat. merit. & remiſſ. cap.* 10.) cùm lex non eſſet, *quia lex non erat, quâ arguente demonſtraretur, ſive lex rationis in parvulo, ſive lex littera in populo.* Sed Regnavit, *inquit*, mors ab Adamo uſque ad Moyſen, *quia nec lex data per Moyſen potuit regnum mortis auferre, quod ſola Chriſti abſtulit gratia.* Et lib. 6. contra Julian. cap. 4. *Erat* (inquit) *peccatum, ſed non deputabatur, quia non cognoſcebatur. Per legem enim, ſicut in alio loco dicit* (Rom. 3. 20.) *cognitio peccati. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, quia nec per Moyſen, ideſt nec per legem regnum ejus ablatum eſt: regnavit autem, & in his, qui non peccaverunt. Quare igitur ſi non peccaverunt? Audi quare: In ſimilitudinem, inquit prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Dedit enim ex ſe formam poſteris ſuis, quamvis peccata propria non habentibus; ut peccati paterni contagione morerentur, qui per ejus carnalem concupiſcentiam gignerentur.* Hæc Auguſtinus.

XXX. Objiciebat tertiò monumenta Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum, & aliorum Gentilium, quæ multa annorum millia ſupra Adamum numerant.

Sed non advertit prodigioſus fabulator, ejuſmodi Orientalium nationum annalia infinitis ſcatere erroribus, contradictionibus in annorum ſupputatione, & aliis, quæ ea prorſus incredibilia reddunt. Eas propterea recenſet, & tanquam mendaciſſimas refutat S. Auguſt. *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 10. videndus. Veritas ergo Divinæ hiſtoriæ humanis, ac prophanis, atque adeò inter ſe repugnantibus præferenda eſt. *Cui enim* (cum Auguſt. loquar lib. 18. de Civitate Dei cap. 40.) *meliùs narranti præterita credimus, quàm qui etiam futura prædixit, quæ præſentia jam videmus? Nam & ipſa hiſtoricorum inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, ut ei potiùs credere debeamus, qui divinæ quam tenemus non repugnat hiſtoriæ. Porrò autem cives impiæ Civitatis diffuſi uſquequaque per terras, cùm legunt doctiſſimos homines, quorum nullius contemnenda videatur auctoritas, inter ſe de rebus geſtis ab ætatis noſtræ memoria remotiſſimis diſcrepantes, cui potiùs credere debeant, non inveniunt. Nos verò in noſtræ Religionis hiſtoria fulti auctoritate divinâ, quidquid ei reſiſtit non dubitamus eſſe falſiſſimum, quomodolibet ſeſe habeant cætera in ſecularibus litteris; quæ ſeu vera, ſeu falſa ſint, nihil momenti afferunt, quo rectè, beatèque vivamus.* Et hæc plus æquò fortè dicta ſufficiant de Præadamitarum fabula.

QUÆSTIO II.

De Paradiſo Terreſtri.

Quæſtio hæc à præſenti noſtro inſtituto agendi de homine aliena non eſt, ſed circumſtantiam conditionis, ac primi hominis ſtatus attingit. Legimus enim in Geneſi *cap.* 2. quòd Deus hominem conditum tulit, & in hoc Paradiſo voluptatis poſuit, ut operaretur, & cuſtodiret illum; & eſſet ei felicis habitationis locus, ſi præceptum ei impoſitum de non comedendo de fructu ligni cujuſdam ſervaſſet. Verùm cùm ſerpentis ſuggeſtione mulier, ac demum ipſe violaſſet, ambo, præter innumera mala, quibus unà cum ſuis Poſteris obnoxii facti ſunt, ut legitur *cap.* 3. è Paradiſo ejecti fuere. Propterea etiam D. Thomas 1. *p. q.* 102. poſtquam ægit de homine, conditione ejus, ac primo ſtatu, de hoc Paradiſo agit. De hoc multas, eaſque ferè inextricabiles excitant difficultates Recentiores aliqui; de quibus nihil niſi opinando, & quaſi divinando dici

dici potest. Nos, ea quæ Candidato nostro necessaria judicabimus, exponemus.

DUBIUM I.

An Paradisus fuerit aliquis locus corporeus, & specialis?

§. I.

Resolutio primæ partis, quòd sit locus corporeus.

I. Dico primò. Paradisus Terrestris, qui describitur in Genesi, fuit locus corporeus. Est assertio fide certa. Antequam tamen eam probem, suppono, Paradisum aliquando sumi pro statu, & loco veræ, ac spiritualis beatitudinis, ut Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, idest in beatitudine animæ, ut *in Tract. de Visione Dei* exposuimus; & Apoc. c. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*: ubi de ligno vitæ æternæ per Christum, & de æterna beatitudine sermo est. Paradisus tamen propriè, & ex vi significationis nominis sumitur pro horto insigni, amæno, & ad delectandum composito; nomen enim græcum *Paradisus*, latine redditur *Hortus*: & in hoc sensu sumimus modò Paradisum.

II. Probatur primò ratione D. Tho. *1. p. qu. 102. a. 1.* Ea, quæ de Paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicæ proponuntur: sed in omnibus, quæ sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ; ergo Paradisus terrestris locus corporeus est, qualem cum Scriptura describit.

III. Confirmatur. Omnia, quæ de Paradiso terrestri in Scriptura dicuntur, tanquam de loco corporali dicta proponuntur: dicitur enim Gen. 2. v. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*; plantari autem propriè est rei corporeæ. Additur, quòd in eo *posuit hominem, quem formaverat*: homini autem in vita corporali adhuc degenti locus corporeus convenit. Subditur *vers. 15.* quòd eum ibi posuit, ut *operaretur, & custodiret illum*: dicitur consitus fuisse arboribus pulchris visu, & ad gustandum suavibus: describuntur flumina ex illo egredientia, lapides pretiosi, & aurum, quæ in eo nascuntur. Quid ergo illi deerat, ut locus corporalis fuisse credatur?

IV. Probatur secundò. Quotquot Paradisi hujus descriptionem, repudiato sensu historico, & litterali, ad spiritualem unicè detorserunt, quovis seculo reprehensi sunt: quapropter ab omnibus ferè Patribus culpatur Origenes, quòd Paradisi descriptionem ad sensum allegoricum traxerit. Unde S. Epiphanius in Ancorato num. 54. *Ad eundem modum* (inquit) *plerique de Paradiso allegoricè disputant: atque inter cæteros furiosus Origenes adumbratam nescio quam speciem pro veritate in Mundum invexit. Sic enim disserit: non est Paradisus in terris.* Quem errorem sic refellit num. 55. *Quod si nusquam est in terra Paradisus, neque vera sunt, quæ in Genesi continentur, sed allegoricè dicuntur; nihil deinceps consonum, ac veritati consentaneum erit, sed ad allegoriam universa transferentur.* Cùm ergo cætera, quæ in Genesi de creatione Cœli, & terræ, de productione Solis, Lunæ, astrorum, plantarum, animalium, non allegoricè, sed ad historiæ veritatem accipiantur; neque allegoricè Paradisus accipiendus est.

V. S. Hieronymus *epist. 61. modò 38. ad Pammachium*, inter errores, quos in libris Periarchon, aliisque Origenis deprehendit, quintum hunc refert, quòd *sic Paradisum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem; pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes Cœlestes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologicâ interpretatione subvertat.* Et in cap. 10. Danielis: *eorum* (ait) *deliramenta conticescant, qui*

qui umbras, & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina, & arbores, & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.

Sanctus Augustinus esto, ut infra dicemus, Paradisum spiritualiter multis modis intelligi posse concedat lib. 13. de Civit. Dei cap. 21. *Dum tamen* (inquit) *& illius historia veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur*: quod docet etiam *l. 8. de Genes. ad litt. c. 1.* unde *lib. de Hæres. c. 59.* inter alios Seleucianorum, & Hermianorum errores hunc ponit, quòd *negant etiam visibilem Paradisum*. In idem conspirant cæteri Patres, etiam Græci, inter quos Chrysostomus *hom. 13. in Genes.* Theodoretus *interrogat. 25. in Genes.* aliique.

VI. Et meritò quidem. Peto enim: narratio, quam facit Moyses de peccato Adami, & Hevæ, in sensu litterali, & proprio accipienda est, an allegorico? Si in sensu proprio; ergo, dicam, in sensu proprio sumenda etiam erit narratio de Paradiso, in quo peccarunt. Probo. Nam sicut dicitur c. 2. v. 9. de Paradiso: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave; lignum etiam vitæ in medio Paradisi*: ita c. 3. v. 6. legitur: *vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*: ubi in utroque contextu fit mentio de *visu*, & *esu*, quæ sunt actiones corporeæ. Quomodo igitur Heva vidit arborem, quomodo manu tulit, quomodo comedit in sensu proprio, si ibi non erant arbores, & fructus nisi spirituales, & allegorici? Allegoricè igitur etiam credenda erit illa extensio manus ad fructum, illa sumtio, illa comestio; & sic omnia, quæ de peccato primorum parentum credit Ecclesia, fabulosa erunt, & falsa. Et ut ait S. Epiphanius laudato loco in Ancorato. *Si non est Paradisus sensibilis, non est fons, non ficus, non folia, non comedit Heva, sed jam fabula est.*

VII. Dices primò. Moysis narratio plura complectitur, quæ nonnisi metaphoricè possunt intelligi, puta ambulatio Dei in Paradiso post meridiem; ergo pari ratione metaphoricè intelligenda sunt ea, quæ de ipso Paradiso narrat.

Respondeo, vocem illam, & deambulationem fuisse Angeli in forma humana nomine Dei loquentis, & ambulantis; unde fuit vox, & deambulatio vera, & sensibilis. Vel dico, quòd cùm certum sit contra Antropomorphitas, Deum non habere corpus humanum; absque gravi absurdo non possemus illam Dei vocem, & deambulationem litteraliter intelligere. At si intelligamus litteraliter, quæ de Paradiso dicuntur, non solùm non sequitur absurdum, imò multa sequerentur, si litteraliter ea non sumeremus, ut jam dixi.

VIII. Dices secundò. Paradisus, in quem anima Christi in triduo mortis se recepit, de quo Latroni pœnitenti *Lucæ 23. v. 43.* dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, fuit Paradisus terrestris: sed hic erat Paradisus spiritualis, non corporeus, quia animam spiritualem dedecebat Paradisus corporeus; ergo &c.

Respondeo, nego maj. Paradisus enim, quo anima Christi fruebatur, & qui postulatus fuerat à Latrone, & promissus fuit à Christo, erat Regnum suum, quod sæpè promiserat, seu æterna beatitudo: & proinde non Paradisus terrestris, de quo Christus numquam locutus fuerat.

IX. Dices tertiò. Inter Paradisi arbores recensetur lignum vitæ: sed lignum vitæ est aliquid spirituale; dicitur enim *Proverb. 3. v. 18.* de Sapientia, quòd *lignum vitæ est his, qui apprehendunt eam*. Et Apocal. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*; ergo &c.

Respondeo ex D. Thom. 1. *par. qu.*

102. *a.* 1. *ad* 4. neg. min. *Lignum* enim *vitæ est quædam materialis arbor sic dicta, quia ejus fructus habebat virtutem conservandi vitam... & tamen significabat aliquid spiritualiter: sicut & Petra in deserto fuit aliquid materiale; & tamen significavit Christum. Similiter etiam lignum scientiæ boni, & mali materialis arbor fuit, sic nominata propter eventum futurum; quia post ejus esum, homo per experimentum pœnæ didicit, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum: & tamen spiritualiter potuit significare liberum arbitrium, ut quidam dicunt.*

X. Dico secundò. Super Paradisum terrestrem, etsi corporeum, multæ spiritales intelligentiæ fabricari possunt. Ita S. Thomas hoc *a.* 1. citato afferens S. Augustinum, tùm *lib.* 8. *super Genes. ad litt. cap.* 1. dicentem: *Tres sunt de Paradiso generales sententiæ. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt: alia eorum, qui spiritualiter tantùm: tertia eorum, qui utroque modo Paradisum accipiunt, quam mihi fateor placere sententiam.* Tùm lib. 13. de Civit. Dei c. 21. ubi *quæ* (inquit) *commodè dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur; dùm tamen & illius historiæ fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata dicatur.* Ex quibus statuit S. Thomas: *Ea quæ de Paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicæ proponuntur. In omnibus autem, quæ sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spirituales expositiones fabricandæ.*

XI. Quænam autem sint spirituales expositiones, quæ supra veritatem historiæ de Paradiso possint fabricari, adsignat S. Aug. *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 21. citato, sic: *Nemo itaque prohibet intelligere Paradisum*, vitam Beatorum; *quatuor ejus flumina*, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam: *at ligna ejus*, omnes utiles disciplinas, *& lignorum fructus*, mores Piorum; *& lignum vitæ*, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam; *& lignum scientiæ boni, & mali*, transgressi mandati experimentum... *Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, ut ea meliùs accipiamus, tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum: Paradisum scilicet* ipsam Ecclesiam, *sicut de illa legitur in Cantico Canticorum (4. v. 13.) quatuor autem Paradisi flumina*, quatuor Evangelia; *ligna fructifera*, Sanctos; *fructus autem eorum*, opera eorum; *lignum vitæ* Sanctum Sanctorum, utique Christum; *lignum scientiæ boni & mali*, proprium voluntatis arbitrium. Hæc D. Augustinus.

§. II.

Resolutio secundæ partis, quòd sit locus specialis.

XII. Dico tertiò. Paradisus terrestris fuit locus aliquis specialis, in certa quadam Orbis regione constitutus, & non tota terra, seu totus Orbis. Contrarium tenent aliqui Recentiores, inter quos citatur Pineda *lib.* 1. *Monarchiæ Eccles. c.* 6. & Abrahamus Ortelius *in tabula sacra Geographiæ*, volentes, Paradisum, quem describit Moyses, esse hunc terrarum Orbem in suæ conditionis initio omni pulchritudine, fertilitate, amænitate, ac deliciis exuberantem; fontem verò, qui Paradisum irrigabat, esse Oceanum, quem Homerus, & plerique Philosophorum *fluviorum omnium parentem*, *fontemque omnium maximum*, appelarunt. Mitto Thalmudistas, qui (ut refert Huetius *l. de Paradiso terrestri in præfatione*) nullum ineptiendi finem facientes, sexaginta vicibus universâ terrâ majorem eum faciunt.

XIII. Probatur autem nostri Asserti veritas ex ipsa Mosaica narratione, quâ constat primò, Paradisum in Oriente fuisse plantatum: sed tota terra, nedum ad Orientem, sed & ad Occasum, Aquilonem, & Meridiem protenditur; ergo &c.

Se-

Secundò. *Genes.* 2. *v.* 15. dicitur, quòd tulit Deus hominem, quem formaverat, & *posuit eum in Paradiso voluptatis;* ergo aderat alia terra extra Paradisum, in qua hominem formavit, & ex ea eum in Paradisum transtulit.

Tertiò. *Cap.* 3. *v.* 23. *&* 24. In pœnam peccati emisit, ac ejecit Adamum, & Hevam de Paradiso, constituitque Cherubim Paradisi custodem, ut Adamum, ejusque Posteros ab ingressu Paradisi arceret. At sicut non est verisimile, Deum creasse Adamum extra hunc Orbem, ut postea eum in hunc deportaret; ita credibile non est, quòd eum ejecerit de tota terra, & Orbe toto. Nam in hoc Mundo Adam vixisse, mortuum, ac sepultum fuisse certum est; nec est probabile, Deum posuisse Cherubim ad custodiam totius hujus terrarum Orbis, ne Adam ejusque Posteri in illum irrumperent; ergo &c.

XIV. Sed dices primò. Primis hominibus ante peccatum dixit Deus Gen. 1. v. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram;* ergo tota terra erat Paradisus: non enim est credibile, homines, si non peccassent, habitaturos extra Paradisum.

Respondeo, negando conf. Verisimiliùs enim est, quòd, etsi Adam in originali justitia stetisset, ipse, ejusque Posteri intra solius Paradisi angustias non se se continuissent, sed terram quoque extra Paradisum incoluissent, quæ tota illis Paradisi instar amœnitate, fertilitate, ac deliciis fuisset; & quam absque labore, & sudore coluissent. Solùm enim post peccatum homini dictum fuit Gen. 3. v. 17. 18. 19. *Maledicta terra in opere tuo .... spinas, & tribulos germinabit tibi ... In sudore vultus tui vesceris pane.* Hoc autem mihi persuadeo. Tùm quia cùm tunc homines fuissent juxta Dei benedictionem mirum in modum multiplicati, & quia à morte exemti, diutissimè in hoc Mundo permansissent, unius Paradisi ambitus, quamvis spatiosissimus, omnium capax non fuisset. Tùm quia in textu allato Genes. 1. *v.* 28. tria Deus hominibus statim conditis concedit, seu indicit. Primum, ut multiplicentur, & repleant terram, eamque subjiciant: *multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam.* Secundum, ut dominentur omnibus animantibus: *& dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Tertium, ut in escam assumerent fructus omnium arborum, omnemque herbam, quæ per universum Orbem germinabat: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram.* Quibus liquet, homines à Deo creatos, ut essent acolæ, non unius tantùm Paradisi, sed etiam totius terrarum Orbis, etsi in innocentia stetissent. Nec tamen totum terrarum Orbem fuisse Paradisum, quem Moyses describit, constat jam ob rationes allatas, quia Deus ibi loquitur de universa terra, ut à loco voluptatis distinctâ.

XV. Sed dices secundò. Cur creavit Deus hunc Paradisum specialem, si præsciebat hominem peccaturum, & ab eo ejiciendum?

Retorqueo instantiam. Cur creavit Deus Paradisum totum terrarum Orbem, si præsciebat, hominem per peccatum ab eo expellendum, vel homini in desertum commutandum? Dicamus ergo omnes cum D. Thoma hâc *qu.* 102. *a.* 2. *ad* 3. convenientissimè Paradisi delicias, homini, quem præscierat esse casurum, præparasse, sicut ei immortalitatem donavit, quam præscierat esse amissurum: & ut ante peccatum haberet locum illi felici statui convenientem: & ut post peccatum Adam, & Posteri recordarentur boni, quod amiserant, & majori odio prosequerentur peccatum, quod tantæ jacturæ causa fuit. Quidquid sit an Henoch, & Elias illùc translati, ibi adhuc morentur. *Non propter hoc* (inquit S. Thom. laudato loco) *locus est frustra, quia non est ibi. hominum*

num habitatio post peccatum: sicut etiam non frustra fuit homini attributa immortalitas quædam, quam conservaturus non erat. Per hujusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiserit. Quamvis (ut dicitur) nunc Henoch, & Elias in illo Paradiso habitent. Ita S. Th. Sed de hoc postremo infra agetur.

XVI. Dices tertiò. Paradisus creditur productus tertiâ Die, quando productæ sunt arbores, & plantæ: sed tunc nullius specialis loci facta productio legitur; quod enim *Gen.* 2. *v.* 8. dicitur: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*, non est nova productio, sed recapitulatio eorum, quæ tertio die producta fuerant, quòd indicant illa verba *plantaverat*, & *à principio*; ergo Paradisus erat universa terra ante peccatum.

XVII. Fateor, Paradisum fuisse productum tertio die, quando terra arboribus, & plantis fuit ornata: hoc enim & S. Thomas hâc *q.* 102. *a.* 1. *ad* 5. fatetur. Sed hoc non tollit, quin Deus, unâ cum generali arborum, plantarumque per totam terram productione, hortum illum specialibus plantis, & amænitate donatum produxerit, qui primis parentibus locus congruus esset. Et hac fortè ratione Moyses illum, quamvis cum aliis tertiâ die fabricatum, separatâ narratione descripsit, sicut res speciales describi solent.

XVIII. Præterire non possum, aliquos Criticos imponere D. Hieronymo, quòd judaicis fabulis nimiùm indulgens, *lib. de tradit. Hebraicis* scripserit: *quòd priusquàm Cœlum, & terram Deus faceret, Paradisum ante condiderat.* Sed advertere debuissent, S. Hieronymum ibi agere de traditionibus Hebraicis, & scribere ea, quæ apud Judæos potiùs venditantur, quàm quæ ipse sentiat. Ita S. Hieronymum vendicant Salianus *in Epitome Annal. Vet. Test.* dicens: *Divus autem Hieronymus ex Hebræorum sententia, quorum ibi traditiones scribebat*, *loquutus est*. Et Jansenius in cap. 2. Genes. v. 8. *A principio* (inquit) *non ante terram conditam, ut Judæi ex lib.* 4. *Esdræ cap.* 3. *v.* 6. *fabulantur, & Hieronymus in traditionibus Hebraicis dicit esse certissimum, scilicet ex Judæorum sensu: sed* à principio, *hoc est multò ante septimum Diem*. Quibus patet, quòd, esto dicatur Paradisus plantatus *à principio*, adhuc tamen salvatur, quod fuerit productus tertiâ die; quia quando productus fuit, nondum erant opera Dei consummata, & perfecta, ut contigit die septimâ. Dici etiam potest, ly *à principiò* non designare principium temporis, sed loci; quia *Eden* ubi erat Paradisus est in initio, idest in Oriente, quia inde incipit ortus Solis, & dies.

XIX. Dices quartò. Damascenus *lib.* 2. *de Fide cap.* 9. dicit, fluvium illum, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, & qui deinde dividebatur in quatuor capita, alium non esse, quàm Oceanum: *Est autem* (inquit) *Oceanus velut amnis quidam terram universam cingens (de quo mihi Scriptura divina loquuta videtur, cùm ait*: fluvius egrediebatur è Paradiso) *dulcem ac potabilem aquam habens.... Hic insuper in quatuor principia, seu in quatuor flumina dividitur &c.*

XX. At hoc, quod opinando potiùs, quam asserendo Damascenus dicit, cum opposita sententia cohærere non potest. Quia fluvius ille egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: sed Oceanus non egreditur de hoc terrarum Orbe, cùm potiùs, ut ait Damascenus, totam universam terram cingat; ergo &c. Deinde Fluvius ille dividebatur in quatuor tantùm capita: Oceanus autem non solum in quatuor, imò & in omnia flumina effunditur, ac in varios gurgites, & marium tractus. Et Oceanus potiùs dicitur in phrasi Scripturæ *congregationes aquarum*, quæ ab eadem appellantur *Maria*, non *Fluvius*. (Gen. 1. v. 10.)

Quid-

Quidquid tamen sit: Damascenus Paradisum non extendit ad universam terram. Nam *lib. 2. de Fide cap. 11.* eum expressè collocat in Oriente, loco omni terrâ sublimiori, omnibus dotibus ad pulchritudinem, & delicias instructo, & addit: *in quo nullum rationis expers animal versabatur*. Certum autem est in universa hac terra fuisse etiam animalia rationis expertia, bestias scilicet, quas Deus produxerat. Censuit ergo Damascenus, locum Paradisi fuisse locum specialem, non totum hunc terrarum Orbem, quem modò habitamus, qui post peccatum amœnitatem deperdiderit.

DUBIUM II.

De regione, & situ Paradisi Terrestris.

§. I.

Opinionum varietas.

I. Resoluto, Paradisum terrestrem non fuisse totum hunc terrarum Orbem, inquirendum restat in qua Orbis parte sit collocandus. De quo tot fuere olim, ac modò circumferuntur opiniones, ut, quantum facile est eas referre, tantum difficile sit, cui adhærendum, determinare.

II. Primò tamen rejicienda est opinio, quæ asserebat, Paradisum terrestrem fuisse extra totum hunc terrarum Orbem. Ait enim, planam Orbis hujus, seu terræ superficiem in tres circulos esse distinguendam, quorum minores majoribus clauderentur; ut omnium minimus sit terra hæc, quam incolimus: medium Oceanus obtineat; maximum & extimum occupet Paradisus: sic, ut terra hæc undique cingatur Oceano, Oceanus verò Paradiso. Hanc refert Moses Bar Cepha *lib. de Paradiso cap. 9.* eam S. Ephrem tribuens (quamvis in hujus Patris editis Operibus non legatur) & Philoxeno Mabugæ Episcopo; addensque, qui censent, Paradisum ultra Oceanum positum, affirmare etiam, primos parentes è Paradiso expulsos, ex illa Paradisi affini terra ad hanc nostram per Oceanum, cùm essent staturæ procerissimæ, pedibus transvadasse. Fabulosa quidem imaginatio.

Hæc tamen opinio subsistere nequit. Quia contraria Scripturæ, quâ constat, Adamum in hoc nostro Orbe terrarum conditum, & à Paradiso pulsum, in hoc quoque vixisse, ac sepultum fuisse. Nec est credibile, ipsum fuisse in alterum Orbem deportatum, ut innocens ibi maneret, à quo per peccatum ejectus, in nostrum Orbem denuò deportaretur, & multò minùs, pedibus Oceano transvadato, reverteretur. Deinde notum est, illa duo flumina Tigrim, & Euphratem, quæ ex Paradisi fonte manare Moyses affirmat (*Gen. 2. v. 14.*) hunc nostrum Orbem alluere: non est autem credibile, illos fluvios toto Oceani tractu subtùs mare ferri, & demùm in nostrum Orbem erumpere.

III. Alii propterea dixerunt, Paradisum in edito loco positum, ad ipsum Lunæ circulum assurgere. Ita Rabanus, & Strabus. Sed hoc est incredibile: aliàs dici deberet, Tigrim, & Euphratem è Paradiso manantes, è Cœlo in hanc terram defluere. Deinde Paradisus in aere pendulus quibus libramentis sustentatur?

IV. Existimarunt propterea alii, Paradisum in altissimi montis mortalium oculis subducti vertice situm esse, nullâ obscuritate, aut caligine obumbrato, sed perpetuâ omnium syderum illustratione fulgido, jucundissimâ temperie, & aeris salubritate amœno. Ita sentire videtur S. Basilius *homil. de Paradiso*, cui accedit Damascenus *l. 2. de Fide c. 11.* ponens ipsum in loco omni terrâ excelsiore. Hanc opinionem cum præcedente conciliat S. Thomas hîc *q. 102. a. 1. ad 1.* dicens, quod Paradisus dicitur usque ad locum lunaris globi ascendere,

non

non secundùm situs eminentiam, sed secundùm similitudinem, quia est ibi perpetua aeris temperies.... Et in hoc assimilatur corporibus Cælestibus, quæ sunt absque contrarietate. Magis tamen fit mentio de lunari globo, quàm de aliis sphæris, quia lunaris globus est terminus Cælestium corporum versùs nos; & Luna est magis terræ affinis inter omnia corpora Cælestia: unde & quasdam tenebras nebulosas habet, quasi accedens ad opacitatem. Quidam autem dicunt, quòd Paradisus pertingebat usque ad lunarem globum, idest usque ad medium aeris interstitium, in quo generantur pluviæ, & venti.... sed secundùm hoc locus ille non esset conveniens habitationi humanæ: tùm quia ibi est maxima intemperies: tùm quia non est temperatus complexioni humanæ, sicut aer inferior magis terræ vicinus. Hæc D. Thomas, qui præfatam opinionem tribuit Bedæ.

Missis ergo hisce, & aliis placitis ab omnibus ferè rejectis, volentibus Paradisum terrestrem in aliqua hujus terræ parte fuisse; quæremus primò in quanam ex quatuor terræ partibus fuerit: secundò in quanam ejus partis regione: tertiò in quo situ, an in planitie, aut valle, aut colle &c.

§. II.

In qua Orbis parte fuerit Paradisus Terrestris.

V. DIco primo. Paradisus terrestris in parte Orientali collocatus fuit. Ita S. Thomas citatâ q. 102. a. 1. dicens: *Est ergo Paradisus, ut Isidorus dicit l. 14. Etymologiar. c. 3. Locus* in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum è Græco in Latinum vertitur Hortus. *Convenienter autem in parte Orientali dicitur situs, quia credendum est, quòd in nobilissimo loco totius terræ sit constitutus. Cùm autem Oriens sit dextera, Cæli ut patet per Philosophum in 2. de Cælo* (text. 15.) *dextera autem est nobilior, quàm sinistra, conveniens fuit, ut in Orientali parte Paradisus terrenus institueretur à Deo.* Ita quoque docuerunt S. Irenæus *lib. 5. c. 5.* Theophilus Antiochenus *l. 2. ad Autolycum.* Lactantius *l. 2. Divin. Institit. c. 13.* S. Joann. Chrysost. *homil. 13. in Genes.* S. August. *l. 2. de Genes. contra Manichæos c. 9.* S. Joan. Damascenus *l. 2. de fide c. 11.* superiùs citato, aliique ferè omnes.

VI. Fundamentum pro hac sententia exhibet Scriptura *Gen. 2. v. 8.* Ubi, quæ Latinus Interpres vertit: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*; hæc Symmachus, Theodotio, & Aquila (teste S. Hieronymo *quæst. Hebraic. in Genes.*) & septuaginta Interpretes transtulerunt: *Et plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem.* Cui consonant Versio Latina textus Samaritani, & Syriaca, & Arabica, ut in Bibliis Polyglottis videre est. Vox enim Hebraica *Eden* indifferens est ad principium temporis, vel loci, qui est Oriens, unde incipit ortus Solis.

VII. Ex hac creditur manasse mos apud antiquos Christianos, adorandi ad Orientem, cùm Judæi adorarent versi ad Austrum; quasi quòd Christiani eò respiciant, unde exciderat Adam, ac suspirent patriam, quam per illum amiserant, & ad quam per Jesum sperant se reducendos: Judæi verò ad Austrum, seu meridiem, quia ex regione meridionali, Bethlehem scilicet, Messias illis prænunciatus fuerat nasciturus. Ita Auctor quæst. ad Antiochum, quæ sub nomine Sancti Athanasii circumferuntur, qu. 37. *Audiant* (inquit) *& discant fideles, ejus rei causâ beatissimos Apostolos jussisse, ut Ecclesia Christianorum Orientem spectarent, ut ad Paradisum, unde excidimus, antiquam patriam, & regionem nostram respiciamus, oremusque Deum, & Dominum, ut ad locum, unde exules ejecti sumus, nos velit restituere. Prophetæ verò Judæos ad meridiem attendere præceperunt, quia Dominum ex meridie Jerusalem, sive ex Bethlehem nasci debe-*

deberet : hinc ajebat Propheta ; (Habacuc 3. v. 3.) Deus *à Theman* veniet *ideft ab Auftro*.

§. III.

In qua Orientis regione fuerit Paradifus?

VIII. SAnctus Thomas hàc *qu.* 102. *a.* 1. poftquàm in parte Orientali dixit probabiliter fuiffe Paradifum, ibi tamen *ad fecundum* dicit ignotum effe hominibus, in qua Orientis parte fuerit pofitus, fequens Auguftinnm *l.* 8. *de Genef. ad litt. c.* 7. dicentem : *Credendum eft, quòd locus Paradifi à cognitione hominum eft remotiffimus*. Et quidem tanta eft opinionum, feu veriùs, fufpicionum varietas, tam levia pro unaquaque opinandi, feu dixerim fufpicandi, motiva; ut incertus cui fefe adjungat hæreat intellectus. Alji quippe eum ftatuunt in Damafco Syriæ; alji in Palæftina circa Jordanem; alji fub Æquinoctiali in monte altiffimo; Svidas in Lybia; alji versùs Indos in Taprobana Infula *Ceilan* dictâ; alji in Malaca; alji in Sinis; alji in Cataja Tartariæ; alji in America; alji alibi, ut vidimus. Quare, ut verum dicam, mihi placeret illud Auguftini dictum lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 5. *Melius eft dubitare de occultis, quàm litigare de incertis*. Cùm ex tanta confufione nihil certius colligi poffit, quàm, ut ait Tertullianus *in Apologet. cap.* 47. Paradifum effe locum divinæ amænitatis *à notitia Orbis communis fegregatum*; & cum Theodoreto qu. 19. in Genef. *Deum ignotos feciffe meatus fluminum Paradifi, ut amputaret fuperfluam hominum curiofitatem*. Ne tamen Candidatum meum in hac re prorsùs jejunum dimittam, referam ex aljis duas, quæ noftris temporibus evulgantur, opiniones, feu conjecturas.

IX. Prima in India Orientali Paradifum fuiffe opinatur. Ita ex multis Malvenda nofter, cui conjecturæ hæc motiva favere videntur. Primò. Quia India eft Orientalis refpectu totius Orbis. Secundò. Quia Phifon unus ex quatuor Paradifi fluminibus, qui non eft alius quàm Ganges [teftibus Jofepho *lib.* 1. *Antiquit. Judaic.* Epiphanio *in Ancorato*. S. Hieronymo *epift.* 4. *modò* 95. *ad Rufticum*. S. Auguft. *lib.* 8. *de Genef. ad litt. cap.* 7. & aljis] ex Caucafo Indiæ monte oritur, tefte Strabone *lib.* 15. *Geographia*. Tertiò. Phifon (Ganges) *Circuit omnem terram Hevilath, ubi nafcitur aurum, & aurum terra illius optimum eft* (Gen. 2. v. 11. 12.) Hevilath autem Indiæ regio eft, ab Hevila filio Jectan, fratre Ophir, Nepote Heber cognominata; de quo *Genef.* 10. *v.* 29. *&c.* In India quoque aurum optimum nafcitur. Ibi enim eft regio Ophir ab altero filio Jectan nuncupata, ex qua tempore Salomonis deferebatur aurum; ut legitur 3. *Reg. c.* 9. *v.* 28. & *c.* 10. *v.* 11. Ophir autem eandem effe, ac modò Zeilan contendunt multi : cùm ei afferant convenire omnia, quæ de Ophir in libris Regum, & Paralipomenon narrantur. Quartò. Si conferantur hæc verba Moyfis Gen. 2. v. 12. *Et aurum terra illius optimum eft* cum aliis Job. 28. v. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*. Et v. 17. *Non adæquabitur ei aurum &c.* Non parum videtur ponderis accedere his, qui in India Paradifum collocant.

X. Quintò. Nec Veterum fuffragio hæc opinio deftituta eft. Ei enim favet S. Hieronymus *lib. de Situ, & nomin. Locorum Hebraicorum* dicens : *Evila, ubi aurum puriffimum .... & gemmæ pretiofiffimæ, carbunculus, fmaragdafque nafcuntur. Eft autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradifo Phifon egrediens, quem Noftri mutato nomine Gangem vocant*. Et inferiùs Litt. F. *Phifon, quod interpretatur caterva, fluvius, quem Noftri Gangem vocant, de Paradifo exiens, & pergens ad India regiones, poft quas erumpit in pelagus*. Hoc idem afferit *Epift.* 4. *modò* 95. *ad Rufticum Monachum*,

chum, ubi de Gange fluvio ait: *ad Gangem fluvium (quem Phison Sacra Scriptura commemorat) qui circumit totam terram Evila, & multa genera pigmentorum de Paradisi dicitur fonte devehere*. Favet quoque Auctor quæst. ad Antiochum sub S. Athanasii nomine *qu.* 47. Alcimus, Avitus Viennensis *l. de initio Mundi*, aliique.

XI. Alia opinio, quam plerique Recentiorum amplectuntur, licèt aliqualiter in modo videantur diffidere, est: nempè Paradisum terrestrem situm fuisse in confinibus Mesopotamiæ, Armeniæ, & Arabiæ Orientalis circa Babyloniam, ubi Tigris, & Euphrates duo illi Paradisi fluvii, qui expresse in Scriptura nominantur, alveos conjungunt. Hæc enim duo flumina, ex Tauro Armeniæ monte originem suam habentia, apud Babyloniam sese conjungunt; deinde iterum disjuncta in mare Persicum se se effundunt. *Taurus* (inquit Strabo lib. 2. Geograph.) *Armeniam disterminat à Mesopotamia. Hinc fluunt Tigris, & Euphrates, qui Mesopotamiam circumdant, & apud Babylonios invicem cohærent, deinde in Mare Persicum emittunt*. Eadem tradit Quintus Curtius *lib.* 5. & Philostratus *l.* 5. *de Vita Apollonii*. Cùm ergo & reliqua duo flumina non inde procul fluxisse dicendum sit; ideò circa illas regiones Paradisum collocatum fuisse credendum est.

XII. Secundò. Paradisum ad Orientem positum Sacra Scriptura commemorat. Porrò regiones Orientales usu Sacræ Scripturæ nunquam sunt, quæ ultra sinum Persicum positæ sunt, sed regiones circumjacentes, ut Persis, Armenia, Arabia, Mesopotamia. Unde Arabes, Idumæos, Amalecitas, Madianitas, Ammonitas, Moabitas ad Orientem positos ait. Sic Job Idumæus dicitur *magnus inter omnes Orientales*; & Magi, qui ad Christum adorandum ex Perside, vel Arabia, vel Chaldæa venerunt, *ab Oriente* venisse dicuntur. Genes 29. v. 1. Jacob in Mesopotamiam profectus, in *terram Orientalem* venisse dicitur. Et Numer. 23. v. 7. Balaam dicit se adductum fuisse *de montibus Orientis*; cùm tamen de *Aram* urbe Mesopotamiæ Syriæ se eductum dicat.

XIII. Tertiò. Quia Paradisus dicitur plantatus in *Eden*: Quamvis enim Latinus Interpres legat: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis*; Hebræus tamen legit, & Septuaginta vertunt *in Eden*. Hoc autem nomen etsi usurpari queat pro *voluptate*, & deliciis; hìc tamen significare nomen loci plerique Græci & Latini asserunt. Porrò *Eden* in Syriæ, aut & Mesopotamiæ finibus fuisse, & proinde regionem Orientalem non longè ab Haram, testantur Isaias *c.* 37. *v.* 12. & Ezechiel *c.* 28. *v.* 23. qui conjungunt filios Eden cum filiis Haran. Haran autem, sive Charam fuisse urbem celebratissimam Mesopotamiæ inter Chaboram, & Euphratem, sentit inter alios Calmet in *Diction. Historic. litt. H.* qui pariter *litt. E.* concludit, *Eden* regionem esse in Armenia sitam, suoque ambitu claudere Euphratem, Tigrim, Phasim, & Araxem flumina. Accedit in confirmationem, quòd Gen. 4. v. 16. narratur: *Egressusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*. Nimirum Cain post Necem fratris se ab Adæ familia separasse, & habitasse in regione, quæ regioni Eden erat Orientalis; vel hæc fuerit postea dicta Assyria, vel alia trans Tygrim, & Euphratem, quæ Mesopotamiæ, seu horto Eden esset Orientalis: cum Adam, Seth, aliique pii Syriam, & vicinas regiones cis Euphratem incolerent; sicque hortum Eden medium inter utrosque fuisse, & bonos ab impiis disterminasse.

XIV. Quartò hoc roborant. Quia credibile est, Paradisum non longè dissitum fuisse à loco, quem Protoparentes ab eo ejecti sibi elegerunt ad habitandum: neque enim probabile est, eos longa terrarum spatia peragrasse; sed potiùs, ubi primò terram huma-

humanæ habitationi commodam invenerunt, ibi substitisse, ac domicilium fixisse. Eò vel maximè, quòd ubi Vulgatus Interpres *Genes.* 3. *v.* 24. habet: *Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim*, septuaginta Interpretes reddunt: *Et ejecit Adam, & collocavit eum* contra, vel (ut in Complutensi) ante *Paradisum voluptatis*. Ex quo SS. Patres notant, Adamum non procul à Paradiso fuisse à Deo positum, sed eum semper in prospectu habuisse; ut jacturam suam semper præ oculis habentem, magis pœniteret delicti sui. Quod S. Joan. Chrysostomus *Hom.* 18. *in Genes.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechef.* 2. Theodoretus *Interrogat.* 40. *in Genes.* Et S. August. *lib.* 2. *de Genes. contra Manich. cap.* 22. aliique apertè confirmant. Et sanè cur Deus ante Paradisum Cherubim ad custodiam ligni vitæ collocasset, ne scilicet Adamo pateret ad ipsum regressus, si non in vicinis regionibus substitisset?

Certum autem est, Adamum in terra Judæa, vel Chaldæa saltem vixisse, ac diem ultimum clausisse. Ita S. Basilius *Comment. in Isaiam cap.* 5. (vel quisquis alius, ut placet P. Garnier) *Fama* (inquit) *obtinuit, quæ per Traditionem non scriptam in Ecclesia servatur, nimirùm Judæam primum habitatorem Adam habuisse, qui postquam è Paradiso ejectus fuisset, in ea sedem posuit, bonorum eorum, quibus exutus fuerat, jacturam mitigaturus. Itaque excepit etiam prima mortuum hominem.... & quia in hoc loco deposuere calvariam, Calvariæ locum appellarunt.... eam ob causam Dominus mortis humanæ primitias perscrutatus, in memorato Calvariæ loco necem pertulit &c.* Idem sentit S. Epiphanius *Hæref.* 46. S. Chrysostomus *Homil.* 84. *in Joann.* & S. Hieron. *Epist.* 17. *modò* ad Marcellam nomine Paulæ, & Eustochii datâ. Hi tamen duo Patres non tanquam rem certam proponunt, imò eam Hieronymus explodit in *cap.* 27. *Matth.*

XV. Tandem hoc indicare videtur ubertas regionis Mesopotamiæ tantis Cosmographorum encomiis celebrata; ut omnes alias Orbis regiones fructuum suavitate, omnisque generis deliciis excellere videatur, ut refert Strabo. Et Curtius lib. 5. *Inter Tigrim* (inquit) *& Euphratem jacentia tàm uberi, & pingui solo sunt, ut à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto ferè solo per venas aquarum resudante.* Signum ergo videtur, in hac regione fuisse potissimùm Paradisum constitutum, cujus nempè ubertas in viciniorem plagam refluebat, & redundabat.

XVI. Omnia prædicta probabilia redduntur: quia cùm Paradisus ibi fuerit, ubi sunt Euphrates, & Tigris, qui expressè nominantur à Moyse; hi autem fluant in Mesopotamia, & Armenia: Euphrates enim est fluvius Babiloniæ, inter quem, & Tigrim regio intercepta Mesopotamia dicitur, seu *Medamnis*, quia media inter duos amnes; inde colligunt, in hac, vel circa hanc regionem Paradisum fuisse.

XVII. Verùm quia Paradisi flumina non fuerunt soli Tigris, & Euphrates, sed etiam *Phison*, & *Gehon*, ut *Gen.* 2. *v.* 11. & 13. quorum primum *Gangem*, alterum *Nilum* veteres Patres existimarunt; ut legere est apud Epiphanium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Theodoretum, aliosque: videntes hæc duo flumina nedum cum Tigri, & Euphrate radicem, seu fontem communem non habere, sed per regiones nimium dissitas fluere: Ganges enim circuit terram *Hevilath*, idest Indiam, Nilus verò Æthiopiam, seu Abyssinam; ita ut inter Euphratem, & Gangem plusquàm 4300. milliarium spatium intercedat, quod dici potest de Nilo: nec probabile sit, tanto, & tam vasto spatio sub terra se condere, & postea in locis tam dissitis exoriri, seu veriùs erumpere; ideò ut suam opinionem tueantur

XVIII. Excogitarunt, *Phison* non esse Gangem, nec *Gehon* Nilum, sed duas Tigris, & Euphratis novas eruptiones in diversos alveos, diversa sortitas nomina. Observant enim, quòd Moyses dicit: *Fons*, seu fluvius *egrediebatur de loco voluptatis*, seu Eden, *ad irrigandum Paradisum*, *qui inde dividitur in quatuor capita*: non dixit in quatuor fluvios, sed *in quatuor capita*, idest in quatuor ejusdem fluvii eruptiones, inde quatuor fluvios constituentes. Dicunt ergo, quòd Tigris, & Euphrates, qui ante separati diversis alveis fluxerant, invicem confluunt, & uno alveo incedunt, & toto spatio, quo hæc duo flumina unitim confluunt, Paradisum fuisse. Deinde dividi in quatuor capita, seu alveos, quorum duo antiqua nomina Tigris, & Euphratis retinuerint, unusque Armeniam, & Assyriam, alter in Syriam, & Mesopotamiam excurrat; & ambo tandem in Sinum Persicum delabantur. Ex duobus verò aliis capitibus, primum vocatum fuit *Phison* dictus etiam *Phasi*, seu *Phasi figris*. Hic circuit terram *Hevilath*, ut dicit Moyses, seu *Chavila*; non quæ in India collocatur, sed quæ inter Assyriam, & Ægyptum ad Sinum Arabicum sita est Ismaelitis, & Amalecitis, finitima; ut habetur *Gen.* 25. v. 18. & 1. *Reg. cap.* 15. *v.* 7. Secundum verò dictum fuit *Gehon*, quod circumit terram *Chus*, sive terram Æthiopiæ, non majoris, seu Abyssinorum, sed minoris, Arabiæ finitimæ, à qua uxor Moysis, quæ Madianitis erat, Æthiopissa nuncupatur *Numer.* 12. *v.* 1.

XIX. Hæc satis, superque pro Candidati mei notitia de loco, & fluviis Paradisi terrestris pro opinione, quam ut plausibiliorem Recentiores amplectuntur; ut videre est apud Danielem Huetium lib. integro *de situ Paradisi*, Natalem Alexandre *Hist. Eccl. Vet. Test. dissert.* 2. *a.* 1. *propos.* 2. & alios. Post hæc tamen concludendum est cum D. August. *lib.* 2. *de peccato Orig. contrà Pelagium*, & *Cœlestium cap.* 23. Neutri ex opinionibus, quæ afferri possunt, cum firma adhæsione subscribendum, uti faciendum est iis, quæ Catholicam fidem tangunt: *Longè aliter* (inquit) *se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur* (nempe quæstiones de peccato Originali, de quibus contra Pelagium, & Cœlestium agebat) *quàm sint illa, in quibus, salva fide, quâ Christiani sumus, aut ignoratur, quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur; aut aliter, quàm est, humanâ, & infirmâ suspicione conjicitur: veluti cùm quæritur: qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cùm tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cùm quæritur: ubi sint nunc Elias, vel Henoch, an ibi, vel alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus sunt nati corporibus, vivere &c.*

§. IV.

De situ Paradisi Terrestris,

XX. Quæstio hæc, quâ quærimus: an in planitie, vel in monte situatus fuerit Paradisus terrestris, solis conjecturis, ut præcedens, resolvi potest; cùm ex Scriptura solùm colligere possimus, locum fuisse amænum, ac voluptatis regionem

Dico ergo. Verosimile est, Paradisum terrestrem, neque ita depressum situ fuisse, ut in aliqua planitie, aut valle constiterit; nec ita sublimem, ut ad secundam aeris regionem evadat. Prior pars suadetur. Tùm quia Patres in hoc conveniunt, Paradisum esse tantæ sublimitatis, ut nullas tenebras, nullasque tempestatum procellas pati possit: unde eorum aliqui, ut vidimus, circa orbem Lunæ eum fuisse imaginati sunt. Tùm etiam, quia è Paradiso quatuor flumina egrediebantur ad irrigandam universam terram, quod certè fieri non posset, nisi Paradisus in loco eminenti esset con-

constitutus. Tùm tertiò, quia Paradisus debuit esse locus aeris saluberrimi, & à erassioribus terræ vaporibus liber; unde in loco altiori, quàm sit communis hæc nostra habitatio, constituendus videtur.

XXI. Secunda etiam pars videtur colligi. Nam locus adeò sublimis, nec salubris, nec hominum habitationi commodus esset. Secunda enim aeris regio nivium, ac tempestatum officina est. Tertia nimis sicca, & calida ob vieiniam elementi ignis: deinde ibi nulla est aura refrigerans, quam tamen in Paradiso fuisse dicit Moyses *Gen.* 3. *v.* 8. nulla fontium, ac fluminum scaturigo, nullus herbarum viror, nullus florum nitor, nulla denique fructuum esse potest amænitas. Aer denique juxta supremam regionem solùm est valdè tenuis, siccus, & calidus, ac hominum respirationi, & cordis refrigerationi minimè aptus; sed adeò insalubris stomacho, ut vix homo ibi vivere queat. Hujus secundi testem habemus inter alios P. à Costa *lib.* 3. *Hist. Indica cap.* 9. de altissimo monte Peruvano dicto *Periacaca*, quem cùm ipse ascendisset, adeò sævâ stomachi jactatione, capitisque vertigine oppressus fuit; ut nisi citò inde descendisset, de se actum fore certò existimaret. Primi verò testem habemus S. Augustinum, qui *lib.* 3. *de Genes. ad litt. cap.* 2. loquens de monte Olympo, quem vertice nubes excedere ferunt: *Perhibetur* (inquit) *in Olympi vertice aer esse tam tenuis; ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare aliter possit, neque ipsos, qui fortè adscenderint homines, crassioris aeris spiritu alere, sicut in isto aere consueverunt.*

XXII. Hoc idem fatetur S. Thomas hàc 1. *p. q.* 102. *a.* 1. *ad* 1. ubi postquam dixit, quòd si aliqui Patres dixerunt, quòd Paradisus usque ad locum Lunaris globi ascendit, debent exponi, *non secundùm situs eminentiam, sed secundùm similitudinem, quia est ibi perpetua aeris temperies; & in hoc assimilatur corporibus cœlestibus, quæ sunt absque contrarietate*: post aliqua subdit: *Quidam autem dicunt, quòd Paradisus pertingebat usque ad Lunarem globum, idest usque ad medium aeris interstitium, in quo generantur pluviæ, & venti, & hujusmodi: quia dominium super ejusmodi evaporationes maximè attribuitur Lunæ. Sed secundùm hoc locus ille non esset conveniens habitationi humanæ: tùm quia ibi est maxima intemperies: tùm quia non est temperatus complexioni humanæ, sicut aer inferior magis terræ vicinus.* Idem docet in 2. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *a.* 2. *ad* 2.

XXIII. Sed dices. Mons Atlas ascendit in viciniam Lunaris circuli, & ultra nubila caput condit: & tamen (Solino in Polystore referente cap. 24.) esto quâ ad Oceanum extenditur, horrescat rupibus, ac sylvis, nec terra quidquam germinet; quà tamen ad Africam vergit, amænus, ac fertilis est, nascentibus spontè frugibus, arboribusque odoriferis habentibus comas cupressibus similes, quæ lanugine sericis nihilo viliore vestiuntur.

Idipsum idem Solinus *cap.* 9. refert de monte Atho Macedoniæ adeò sublimi, ut altior sit loco imbrium, ac ventorum: in cujus signum cineres ibi in Ara positi, eo quo relicti fuerunt cumulo reperiuntur, & litteræ in eis conscriptæ immutatæ penitùs fuerint post annum inventæ; ergo sublimitas ad illam regionem non præjudicaret amænitati, & deliciis Paradisi.

XXIV. Respondeo, montem Atlantem fabulosissimum esse, ut notat Plinius; adeò ut, nec in qua parte Africæ fuerit inter Auctores satis conveniat, teste eodem Plinio, ut notat Salmasius *exercit. Plinian. in dictum Solini caput.* Sed quod mirabilius est, eodem Salmasio teste, in viciniam Lunaris circuli caput attollere dicitur, & additur, verticem ejus semper nivalem esse: atqui si altior est ejus ver-

vertex, quàm unde imbres, & nives cadunt, quomodo nivibus coopertus dici potest? hinc quæ fides adhibenda sit narrationi allegatæ, apparet. Dici tamen potest, fæcunditatem, amænitatemque, quâ gaudet ex ea parte, quâ Africam respicit, non esse in vertice, aut in parte sublimiori, sed in partibus imis, ut idem Salmasius observat. Quod verò dicitur de monte Atho, seu Olympo, nimirum, quòd litteræ in cineribus conscriptæ repertæ fuerint immutatæ, omittam. Sed quod ejus vertex habitationi humanæ congruus sit, jam superiùs negavi ex Augustino, & iterum nego. Nisi fortè dicatur, quòd qui illum per brevem moram ascendunt, vel sacrificandi, vel inspiciendorum syderum causâ, ferre secum soleant spongias plenas aquâ, unde identidem sugant humorem ad refrigerandum cor; aliter ob summam illius aeris tenuitatem, siccitatemque vivere non possent.

XXV. Dices secundo. Ea debuit esse situs Paradisi sublimitas, ut ad eum pertingere non potuerit universalis diluvii inundatio: sed hæc ascendit altiùs, quàm communes quicumque montes; ergo situs Paradisi sublimior esse debuit.

Nego maj. cum enim *Genesi 7. v. 19.* dicatur, quod *Aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cœlo:* cùm nullus mons sub universo Cœlo excipiatur, non est cur nos excipere possemus Paradisum à generali inundatione, etsi in altissimo monte positum. Quod si excipiendus esset Paradisus, non esset cur ad tantam sublimitatem fieret recursus; cùm Deus, sicut non naturali, sed extraordinario rerum cursu immisit diluvium; ita ab ejus inundatione potuisset Paradisum miraculosè servare.

§. V.

De Paradisi Terrestris amplitudine.

XXVI. Cùm superius dictum sit, Paradisi extensionem non ambire universam terram, modò quærimus, quantæ amplitudinis fuerit: in quo nihil, nisi divinando loqui possumus. Attamen

Dico. Verosimile est, Paradisum terrestrem, nec multò arctum, nec multò spatiosum fuisse. Ita cum Sancto Augustino *lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 10.* dicente: *Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat.* Neque insuper adeò spatiosus, quem operandi & custodiendi cura uni homini commissa fuerat. Quantæ autem magnitudinis fuerit, Deus scit. Aliqui existimarunt, Paradisum amplitudine æquare unam ex quatuor Mundi partibus. Sed hoc inverisimile videtur: tanta enim Paradisi vastitas non posset latere, maximè modò, cùm totus Orbis circumnavigetur. Dixerunt alii, Paradisum amplitudinem majorem non habuisse, quàm tres, aut quatuor leucas in longitudine, in circuitu autem duodecim. Ita Tostatus *in c. 13. Genes.* Alii quòd quindecim, aut viginti leucas non excesserit. Si vera est opinio, quòd Paradisus occupaverit spatium illud, quod intercedit inter locum, in quo Tigris, & Euphrates alveos jungunt, usque ad locum, in quo dividuntur in quatuor capita, ut superiùs recensuimus, difficile non esset inde conjicere, quanta Paradisi terrestris fuerit amplitudo. Quamquam cùm tanto temporum tractu, & maximè generali diluvii inundatione flumina mutasse, & confudisse alveos par sit credere.

§. VI.

§. VI.

An in Paradiso fuissent animalia bruta?

XXVII. AN Paradisus fuerit ita solis hominibus præparatus, ut si Adam, & Heva in statu innocentiæ perseverassent, bruta animantia in ipso habitassent, nec ne; incertum pariter est. Certum quidem est, animantia omnia adducta fuisse ad Adam in Paradiso constitutum, ut tanquam Dominus singula suis nominibus appellaret; ut legitur *Genes.* 2. *v.* 19. *&* 20. Certum est etiam (& quidem nimis certum) in Paradisum serpentem irrepsisse, ut Hevam, atque Adamum seduceret. Sed an hoc evenerit, quia locus ille animantibus brutis pateret, an speciali dispensatione divina, hoc in dubio est.

XXVIII. Negat Damascenus *lib.* 2. *de Fide cap.* 11. ubi Paradisum describens: *Divina* (inquit) *planè regio, dignumque eo, qui ad Dei imaginem conditus erat, domicilium: in quo nullum rationis expers animal versabatur, sed solus homo, opus manuum Dei*. Damasceno subscribens S. Thomas 1. p. q. 102. a. 2. ad 2. *Paradisus* (inquit) *terrestris erat locus congruens homini, & quantùm ad animam, & quantùm ad corpus; in quantùm scilicet in anima erat vis præservandi corpus humanum à corruptione, quod non competebat aliis animalibus. Et ideò, ut Damascenus dicit, in Paradiso nullum irrationalium habitabat: licèt ex quadam dispensatione animalia fuerint illuc divinitùs adducta ad Adam, & serpens illuc accesserit per operationem Diaboli*. Et in 2. dist. 17. qu. 3. a. 2. ad 1. *Non enim* (inquit) *probabile est, illuc alia animalia pervenire potuisse ex se ipsis, nisi aut virtute divina ad tempus, ut quando adducta sunt animalia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, ut legitur Genes. 2. (nisi fortè hoc per interiorem revelationem factum exponatur) vel etiam operatione Dæmonis, ut patet de serpente*.

XXIX. Hanc opinionem alii Recentiores amplectuntur, quorum rationes sunt. Primò. Quia locus ille proprius immortalitatis non congruebat animantibus morti, & corruptioni obnoxiis. Secundò. Si animalia bruta fuissent in Paradiso; vel in eo fuissent creata: & hoc non; quia nec in eo creatus fuit Adam. Vel aliunde in eum deportata: & hoc minùs; nam vel ibi semper mansissent; vel ejecto Adamo, ab eo pariter fuissent extrusa. Non primum: cùm enim tantùm masculum & fœminam in unaquaque specie Deus creaverit, consequens esset, quòd in terra nostra omnium animalium à Deo conditorum propagatio non fieret. Non etiam secundum: quia in ejectione Adami de Paradiso, ejectorum animalium nulla fit mentio.

XXX. Affirmant verò S. Basilius (vel alius sub ejus nomine, ut placet Patri Garnier) *Orat.* 3. *de hominis structura*, quæ est *de Paradiso*, ubi hæc habet: *Ibi & avicularum omnigenum genera... cum volucribus erant, & terrestrium animalium omnigena spectacula, cicura omnia, & mansueta... Nihil tùm Serpens horroris faciebat, sed mitis, ac mansuetus erat, non agresti, sævoque modo undosè in terra faciem reptans, ventremque trahens, sed erectus, celsusque in pedes incedens. Illic itaque Deus hominem posuit, quem formaverat*. Idem sentit S. August. *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 11. ubi ait, quòd superbus ille Angelus, ut hominem seduceret, *colubrum in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo, & femina animalia etiam terrestria cætera subdita, & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum... operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit*.

XXXI. Opinionem hanc sustinent Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis cap.* 15. & Pererius *lib.* 2. *in Genesim*. Eorum rationes sunt. Primò. Quia homini in Paradiso existenti datum est imperium super animalia; ergo

go oportebat, ea esse in Paradiso, in quæ imperium exerceret. Secundò. Non potuisset, quin multum horresceret Heva ad primum serpentis adspectum, si nunquam illum, nec animal aliud vidisset. Tertiò. Multum ornatus, ac pulchritudinis defuisset Paradiso, si nulli in aquis pisces, nullæ in arboribus aves, præsertim discolores, & canoræ, nullæ in sylvis bestiæ, nulla in campis pecora conspici possent; & homo variis caruisset voluptatibus, quas ex volucribus, & aliis animantibus percipere poterat.

XXXII. Conciliari fortè possent hæ duæ opiniones dicendo, Paradisum non fuisse quidem proprium habitationis animalium irrationalium; non tamen adeò fuisse ab eo prohibita, ut in illum, maximè Adami imperio advocata, possent se transferre; sicut omnia divina jussione ad Adam sese præsentarunt, at serpens opera Dæmonis, Deique permissu. Erat enim terrestris Paradisus sicuti hominis innocentis, ita totius Orbis Domini propria sedes. Sicut ergo Regia folius Regis propria habitatio est; ad eam tamen possunt omnes subditi accedere, maximè mandante Rege: ita & animantia Paradisum intrassent, & fortè intrarunt etiam volente, & ea vocante Adamo. Quare autem periculum non fuisset, ut si aliqua eorum de ligno vitæ gustarent, immortalitatem consequerentur, inferiùs dicemus. Hoc interim certum est, de hisce rebus nihil certi statui posse.

DUBIUM III.

De arboribus Paradisi terrestris.

§. I.

Varia arborum species in Paradiso.

I. Pluribus arborum, ac plantarum speciebus ornatum fuisse Paradisum; in eoque plantasse Deum *omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*, dicit Moyses Genes. 2. v. 9. & ex concessione facta à Deo Adamo v. 16. *ex omni ligno Paradisi comede*, certum est. Quia verò communes arbores, aliæ sunt fructiferæ, aliæ infructuosæ, dubitatur ab aliquibus, an præter arbores frugiferas (quas in Paradiso fuisse, sicut & pulchras visu, ut cupressus, platani, ex dictis à Moyse, certum est) fuerint etiam aliæ infrugiferæ, ut quercus, abjetes &c. Fuisse tamen colligitur ex dicto Ezechielis 31. vers. 8. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, abjetes non adæquaverunt summitatem ejus &c.* Abjetes autem nec pulchræ visu, nec frugiferæ sunt. Quamvis autem ejusmodi arbores tunc nec usui ignis, aut ædificiorum, aut aliis humanæ vitæ utilitatibus inservirent; ad ornatum tamen, varietatem, & pulchritudinem illius conferebant, non minus ac cæteræ, quæ visum, ac odoratum oblectabant. Neque obstat, quòd Deus dixerit Adæ: *ex omni ligno Paradisi comede*. Nam hoc intelligendum est cum distributione accommoda, nempe de omni ligno ad comestionem idoneo. Quemadmodum cùm D. Paulus 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 4. Christianum debere vesci omni creatura cum gratiarum actione, se se explicat *v.* 3. se loqui de illa, quam *Deus creavit ad percipiendum*.

II. Ultra tamen arbores communes, erant in Paradiso duæ speciales arbores, quarum una dicebatur *lignum vitæ*, & hoc erat in medio Paradisi; altera *lignum scientiæ boni, & mali*. Utramque expressit Moyses Gen. 2. v. 9. *Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali*.

Hinc tria arborum genera erant in Paradiso. Unum, ut homo viveret; & hoc erat genus arborum datum ad vescendum, & ad oblectamentum. Aliud ut benè viveret: & hoc erat lignum scientiæ boni, & mali. Tertium, ut semper viveret: & hoc erat lignum vitæ. Ita Severianus Gabalitanus

tanus Orat. 5. *Tres arborum differentiæ erant in Paradiso. Una quidem data erat homini, ut viveret. Altera, ut benè viveret. Tertia ut semper viveret.* Seu, ut ait S. Bonaventura *in 2. dist.* 17. quædam proderant corpori, quædam animæ, & corpori. *Quædam* (inquit) *proderant corpori ad ejus nutritionem, & sustentationem, de quibus Moyses in universum dixit:* produxit Deus ex humo omne lignum ad vescendum suave. *Aliæ arbores proderant animæ hominis; hujusmodi erat* arbor scientiæ boni, & mali, *cujus fructus interdictus est homini ad probandam ejus obedientiam: à quo fructu, si præceptis Dei obediens, abstinuisset, procul dubio dulcissimam immortalitatis fructum esset adeptus. Tertii generis fuit* Arbor vitæ, *ipsi homini, hoc est conjuncto ex anima, & corpore profutura, quippe tribuens perpetuam homini vitam, & indissolubilem faciens corporis, & animæ conjunctionem.*

IV. Lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali fuisse in Paradiso juxta posita, credibile est. Sic enim Moses Bar-Cepha *lib. de Paradiso cap.* 20. inducit Deum Adamo loquentem: *Si ab illa arbore scientiæ boni, & mali te continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ præparavi, quâ vescens, vives in perpetuum.* Et Severianus Gabalitanus Orat. 5. *Lignum* (inquit) *scientiæ fuit instar palæstræ, & gymnasii: postquàm mandatum servasses, in ligno isto, præmium acciperes.* Congruum autem fuit, ut, sicut transgredienti indicebatur mors ad terrorem; ita in ligno vitæ ei demonstraretur vita in præmium, si pareret. Et, ut quantum timore mortis à transgressione deterrebatur, tantum ad obedientiam illectu præmii stimularetur. His prænotatis, de hisce duabus specialibus arboribus vitæ, & scientiæ boni, & mali agemus.

§. II.

De Ligno vitæ.

V. Constans est, quòd lignum vitæ homini tribuisset immortalitatem, si ex illo gustasset. Quod controvertitur est, de modo, quo immortalitatem contulisset: an ex natura sua, an vi divinitùs acceptâ: & an semel sumtum id præstasset: an verò pluries sumendum de eo esset: ac tandem quam immortalitatem tribuisset: an simpliciter talem, an solùm aliquo modo.

VI. Dico primò. Arbor vitæ vitam in perpetuum propagabat modo infra explicando. Hæc est sententia D. Augustini *lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 5.* ubi de fructu ligni vitæ hæc habet: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnullâ inspiratione salubritatis occultâ. Profectò enim licèt usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus unâ collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit* (alludit ad subcinericium panem, in cujus fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 3.Reg. 19. v. 8.) *An fortè credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, ejusdam altioris significationis gratiâ homini Deum præstitisse, ne corpus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina & oleum deficientes reficeret, nec deficeret?* (alludit ad hydriam farinæ, & lecythum olei, quæ, ex promisso Eliæ, viduæ illi Sareptanæ, quamvis illis continuò pasceretur cum tota familia, per multum temporis non defecerunt. 3. Reg. 17. v. 16.)

Discursus ergo Augustini est talis. Si potuit Deus facere, ut unus panis usita-

usitatus per quadraginta dies, & noctes absque ullo alio cibo conservaret in robore Eliam: si potuit facere, ut vas farinæ & olei, licèt continuò absumerentur in cibum, non tamen deficerent; potuit ergo & fructui ligni vitæ licèt corporali sic dare, ut hominem in robore servaret, nec infirmitate, vel ætate, vel morte absumeretur.

Quia verò aliquis opponere poterat, non esse fingenda miracula in Paradiso, quamvis ea facta legamus apud nos; sic prævenit: *Jam hîc de genere contentiosorum quisquam existat, & dicat, Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse, in Paradiso autem non debuisse.* Cui respondet: *quasi verò non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus ibi miraculum fecit, quàm quòd hîc mortuos suscitavit.*

Hoc idem exprimit *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 20. ubi ait de hominibus in Paradiso: *Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestia aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent: de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet; vel senectute confectâ decursis temporum spatiis interirent: tanquam cætera essent alimento, illud Sacramento.* Quare D. Bonav. in 2. dist. 17. *Sicut* (inquit) *Sacramenta nostra non creant gratiam, sed divina virtus ipsis assistens, in eorum legitima susceptione gratiam infundit: sic fructus arboris non dabat immortalitatem, sed divina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.* Et meritò quidem. Nam si naturalis vis illa fuisset; sequeretur, quòd animalia bruta, si Paradisum ingressa de fructu vitæ edissent, immortalitatem & ipsa fuissent consecuta: quod utique improbabile est.

VII. Quomodo autem fructus Ligni vitæ à morte homines præservasset, exponit D. Thomas 1. *p. q.* 97. *a.* 4. dicens: *Duo remedia ad conservationem vitæ habebat homo in primo statu contra duos defectus. Primus enim defectus est deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui est animæ instrumentum. Et contra hunc defectum subveniebatur homini per esum aliorum lignorum Paradisi; sicut & nunc subvenitur nobis per cibos, quos sumimus. Secundus autem defectus est, quia, ut Philosophus dicit* 1. *de generat.* (text. 34. & 39.) *illud, quod generatur ex aliquo extraneo, adjunctum ei, quod priùs erat, humido præexistenti, imminuit virtutem activam speciei: sicut aqua adjuncta vino, primò quidem convertitur in saporem vini; sed secundùm quòd magis, & minùs additur, diminuit vini fortitudinem, & tandem vinum fit aquosum. Sic igitur videmus, quòd in principio virtus activa speciei est adeò fortis, quòd potest convertere de alimento, non solùm quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum. Postmodum verò quod generatur, non sufficit ad augmentum, sed solùm ad restaurationem deperditi. Tandem verò in statu senectutis nec ad hoc sufficit: unde sequitur decrementum, & finaliter dissolutio corporis. Et contra hunc defectum subveniebatur homini per lignum vitæ. Habebat enim virtutem fortificandi virtutem speciei contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei. unde August. dicit* 14. *de Civit. Dei cap.* 26. *quòd* cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret; & lignum vitæ ne senectus eum dissolveret. *Et in lib. quæst. Vet. & Nov. Testam. qu.* 19. (olim August. tributo) *dicit, quòd,* vitæ arbor medicinæ modo corruptionem hominum prohibebat. Hactenus D. Thom. quod repetit *qu.* 6. *de Malo a.* 5. *ad* 9.

VIII. Censet tamen S. Doctor, virtutem hanc præservandi à corruptione fuisse non in cibo illo, seu fructu, sed in hominis anima, quam Deus in sumtione talis cibi illi conferebat; ut posset continere, & conservare corpus, ne quidquam illud lædere, aut intra dissolvere posset. Ita loco ex 1. *p. q.* 97. *a.* 4. recitato; *& q.* 6. *de Malo*

Malo a. 5. ad 9. dicens : *Sic ergo lignum vitæ coadjuvabat ad immortalitatem ; sed principalis causa immortalitatis erat virtus à Deo animæ collata.* Quod docet etiam in 2. *sent. dist.* 19. *qu.* 1. *a.* 4. *ad* 5. dicens : *Lignum vitæ non erat principalis causa immortalitatis, sed coadjuvans ad continuationem vitæ modo prædeterminato : & ideò immortalitas non est judicanda naturalis propter vigorem ligni vitæ, sed magis gratuita propter virtutem animæ supra naturam collatam, quæ principalis causa immortalitatis erat.*

IX. Dico secundò. Lignum vitæ semel sumtum non dabat immortalitatem, nisi ad determinatum tempus; quo labente oportebat illud iterum sumere. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 97. *a.* 4. citato, cujus hæc est ratio. Virtus enim illa ligni erat finita : sed virtus finita non potest dare corpori virtutem durandi tempore infinito ; ergo &c. *Virtus* (inquit) *cujuscumque corporis est finita. Unde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc se extendere, ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito, sed usque ad determinatum tempus... quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam ; vel indiguisset iterùm sumere de ligno vitæ.* Et *q.* 6. *de Malo a.* 5. *ad* 9. allegatâ, ait : *Non tamen ita, quòd semel assumtum in alimentum virtutem daret in perpetuum durandi : corruptibile enim erat ; unde perpetuitatis causa per se esse non poterat. Sed confortabat virtutem naturalem ad diutiùs durandum, secundùm determinatum tempus ; quo finito, iterùm assumi poterat, ut diutiùs viveret, & sic quousque homo transferretur in statum gloriæ, in quo jam alimento non indigeret.* Ex quibus patet, quòd cibus ille agebat secundùm virtutem suam naturalem : ideòque sic restaurabat corpus, ut fieret etiam successu temporis aliqua vel modica deperditio egens ulteriori reparatione ; & virtus, quæ à Deo conferebatur animæ, ei conferebatur ad conservandum corpus usque ad determinatum tempus.

X. Dico tertiò. Lignum vitæ non dabat corpori immortalitatem simpliciter, sed solùm aliquo modo. Sequitur ex dictis. Unde D. Thom. 1. p. loco citato. *Non tamen* (inquit) *simpliciter immortalitatem causabat : quia neque virtus, quæ inerat animæ ad conservandum corpus, causabatur ex ligno vitæ : neque etiam poterat immortalitatis dispositionem corpori præstare, ut nunquam dissolvi posset.* Sed erat purum coadjuvans, ut docet idem S. Doct. locis laudatis ex *qu.* 6. *de Malo a.* 5. *ad* 9. & *in* 2. *sent. dist.* 19. *a.* 4. *ad* 5.

XI. Dices primò cum Bellarmino *lib. de Gratia primi hominis*, & aliis, *Genes.* 3. *v.* 22. Deum ejecisse Adamum è Paradiso, ne sumens de ligno vitæ viveret in æternum : ait enim : *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum ;* ergo lignum vitæ conferebat immortalitatem simpliciter.

Dices secundò. Ita sensisse veteres Patres, Iræneum *l.* 3. *adv. Hæres. c.* 37. (modò 23.) dicentem, Deum ejecisse Adamum de Paradiso misericordiâ, *ut non perseveraret semper transgressor, neque immortale esset, quod esset circa eum peccatum.* Nazianzenum quoque *Orat.* 38. dicentem de Adamo è Paradiso, & ligno vitæ ejecto : *atque hic quoque tamen mortem ac peccati præcisionem elucratur, ne malum immortale esset. Ita pœna ipsa in misericordiam cessit.* Idem sentit Chrysostomus *homil.* 18. *in Genes.* ergo lignum vitæ dedisset immortalitatem simpliciter in sententia prædictorum Patrum.

XII. Respondeo ad primum, verba illa Domini ejicientis Adam de Paradiso, ne *fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*, intelligenda esse ironicè dicta, sicut & proximè præcedentia : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Amovetur autem inde, ne ibi manens, stultè sibi promitteret ex ligno vitæ immortalitatem, sicut stultè ex arbore scientiæ sibi promiserat scientiam

I 2 quasi

quasi Deo. Nec enim fructus ligni vitæ potuisset homini in peccatum lapso afferre immortalitatem: cum ei deesset justitia originalis; ac per consequens illa corporis dispositio, & virtus in anima, quæ, ut diximus, præter virtutem illius ligni necessaria erat, ut homo præservaretur à morte. Quia tamen potuisset homo stultè sibi promittere, ac sæpiùs manum ad illud lignum mittere, ad hoc avertendum, è Paradiso ejectus est.

XIII. Dici etiam potest cum Divo Thoma 2. 2. q. 164. a. 2. ad 1. *quòd homo, si post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset; sed beneficio illius cibi potuisset vitam magis prolongare. Unde quod dicitur*, & vivat in æternum, *sumitur ibi* æternum *pro* diuturno. *Hoc autem non expediebat homini, ut in miseria hujus vitæ diutiùs permaneret.* Hinc

XIV. Ad secundum dico, citatos Patres non intelligendos esse de immortalitate, æternitateque simpliciter, & propriè dicta, sed impropriè, pro vitæ longævæ diuturnitate, quam sæpius de illo ligno comedendo potuisset acquirere. Ne ergo diutiùs vivendo, diutiùs etiam in peccato continuaret, dicunt præfati PP. ejectum è Paradiso fuisse.

XV. Quæres: an primi Parentes antequam peccarent usi fuerint ligno vitæ?

Affirmativè respondet S. Aug. l. 2. de Peccat. merit. c. 21. *Quid enim* (inquit) *absurdius, quàm ut credantur, ex aliis arboribus alimenta sumsisse, non autem etiam ex illo, quod similiter permissum fuerat, & utilitate præcipuâ per ætatum labem mutari, quamvis animalia corpora, atque in mortem veterascere non sinebat; tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, & mysticâ significatione demonstrans, quid per sapientiam, cujus figuram gestabat, conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata, nequaquam in labem, mortemque nequitiæ verteretur?*

§. III.

De Ligno scientiæ boni, & mali.

ALtera specialis arbor, quam Deus in Paradiso plantavit, fuit lignum, seu arbor scientiæ boni, & mali; arbor toti generi humano nimis nota ex pravis effectibus, quos ejus fructus vetito esu gustatus, in Adamo, ejusque posteritate reliquit.

XVI. Circa hanc arborem Judæi de more fabulati, ita dictam putaverunt; quòd, cùm Adam & Heva conditi fuissent ut infantes absque ullo rationis usu, ex esu fructus illius arboris, hunc sunt affecuti. Nec magis sapuit Josephus, qui *lib. 1. Antiquit. c. 2.* dixit, quòd arbori illi *acuminis, & cogitandi vis inerat.* Cui fabuloso errori *Ophitæ* addentes impietatem (hi enim, latinè *Serpentini*) serpentem pro Christo colebant; quia, ut ait Philastrius *de Hæres. c. 1.* hic prior initium nobis scientiæ boni & mali attulerit. Unde & ei Dominum invidisse asserunt; quia scientiam primus detulerit mulieri bonæ rei, atque malæ, perque illam ita ad genus humanum permanaverit. Quod refert quoque S. Epiphanius *Hæres.* 37. & S. Aug. de *Heres. c.* 17. Inter hæreticos secundi seculi *Ophitæ* recensentur.

XVII. At arborem illam non habuisse vim scientiam ingenerandi, constat primò. Nam alioquin Deus non prohibuisset homini illius esum: impium enim est vel cogitare, Deum, qui hominem ad imaginem, & similitudinem suam fecit; qui ei dominium generale super omnia creata dedit, scientiam boni & mali homini invidisse. Secundò. Quia serpens non fuisset mentitus, cùm dixit: *Eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*; cùm tamen se à serpente deceptam Heva confessa sit. Tertiò. Non adeò dolere, & erubescere debuissent primi Parentes, si ex admissa culpa ingenio præstantiores evasissent. Quartò. Grande bonum ex culpa fuissent assecuti, quo antea carebant; quòd, nedum

dùm cogitare impium est, sed experientiâ constat esse falsum.

XVIII. Alii propterea dixerunt, fructum scientiæ boni, & mali, esse connubii usum, quem Adamo, & Hevæ Deus interdixit, donec ipsi placeret; ut refert Moses Bar-Cepha *lib. de Paradiso*. Idem sentit Aben-Ezra: unde factum esse ait, ut opus conjugii *cognitio* in Scriptura vocetur, Genes. 4. v. 1 *Adam verò cognovit uxorem suam Hevam*. Et puer statim ac notitiam boni, & mali adeptus est, istiusmodi cupiditate tentari incipit. Sed hoc falsitatis evincit Scriptura ipsa, quæ *c. 3. v. 6.* fructum dictæ arboris describens, ait: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis .... & tulit de fructu illius & comedit; deditque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum*. Tùm etiam; quia si scientia boni & mali esset usus conjugii, hæc Scientia cur in brutis non esset ponenda? quo quid stultius?

XIX. Dico ergo, arborem scientiæ boni & mali arborem fuisse sicut cæteras, fructuique illius nullam adfuisse vim scientiam ingenerandi; sed dictam fuisse arborem scientiæ boni, & mali ab eventu. Prior pars nedùm statuitur contra præfatos Judæos, & Hæreticos, sed etiam contra aliquos Veteres; qui, esto à fabulis, & impietate depuratam, sententiam tenuerunt, arbori illi insitam à Deo fuisse naturalem vim, quæ eam gustanti notitiam boni, & mali tribueret. Ita Nemesius *l. de Natura hominis c. 1.* & S. Jo Damascenus *l. 2. de Fide c. 11.* ubi ait: *iis, qui ex illa edebant, hanc vim afferebat, ut naturam suam perspectam haberent*. Sed oppositum, præter superiùs dicta, probatur. Nam vis ad spiritualem effectum producendum, qualis est boni, & mali scientia, naturali rei corporeæ inesse non potest.

XX. Secunda ergo pars, nempè arborem illam dictam fuisse scientiæ boni, & mali ex eventu; quia futurum erat, ut qui ex ea contra vetitum gustaret, dignosceret tandem practicè, quid interesset inter bonum obedientiæ, & malum culpæ, seu inobedientiæ, communis modò est. Eam docuerunt S. Joann. Chrysostomus *Serm. 7. in Genesim*. Non quia Adam ante nesciret: *Nam antea sciebat Adamus, obedientiam bonum esse, inobedientiam autem malum: manifestiùs autem postea ex ipsa rerum experientia didicit*. Deinde posito exemplo in Cain, subdit: *Mala scimus omnes, etiam antequam illa perpetremus, manifestiùs verò ea discimus, postquàm illa perpetravimus, ac multò etiam manifestiùs, cùm punimur. Sic etiam Cain sciebat quidem antea, cadem fraternam malum esse: postea verò didicit evidentiùs, cùm supplicio mulctatus est. Nos enim quoque sanitatem rem bonam esse novimus, & ægritudinem rem molestam, antequam illud experiamur: multò verò certiùs cùm in morbum inciderimus, utriusque rei discrimen agnoscimus*. Idem asserit Theodoretus *Interrogat. 26. in Genes.* afferens varia exempla rerum, quæ ab eventu secuturo nomen sortita sunt; ut in puteis, quibus Patriarchæ nomina dederunt, *Visionis*, *Latitudinis*, *Juramenti*; in Bethel dictâ *Domus Dei*; in Colle, qui dictus est *Testis*. Item Severianus Gabalitanus *Orat. 6. de Mundi creatione*, exemplum ponit in aqua dictâ *contradictionis: non quòd naturam ejuscemodi haberet, sed ejus rei causâ, quæ in illa accidit. Quia enim populus ibi contradixit, idcircò* Aqua contradictionis *vocata est*. *Alius locus* Pax Dei *appellatus est &c.*

XXI. In hoc consentit S. Augustinus *lib. 8. de Genes. ad litt. c. 6.* dicens: *Arbor itaque illa non erat mala; sed appellata est scientia dignoscendi bonum, & malum; quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura transgressio; in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum*.

XXII. Sed dices. Lignum vitæ non dicitur tale ex eventu solùm, sed quia ei ine-

ei inerat vis coadjuvans immortalitatem corporis modo dicto; ergo lignum scientiæ boni, & mali dicitur tale, non ex eventu solùm, sed quia ei inerat vis aperiens mentem ad cognitionem boni, & mali. Unde statim ac Adam, & Heva comederunt, dicitur Gen. 3. v. 7. *& aperti sunt oculi amborum.*

XXIII. Respondeo, neg. conseq. Discrimen quippe est, quòd corporis immortalitas, utpote effectus corporalis, poterat coadjuvari virtute naturali cibi corporalis. At cognitio boni, & mali, cùm sit effectus spiritualis, in virtute naturali cibi corporalis contineri non potest, nec ab ea produci. Nec apertio illa oculorum fuit effectus cibi, sed interioris conscientiæ exprobrantis illis transgressionem. Unde D. August. l. 14. de Civit. Dei c. 17. *Aperti sunt* (inquit) *oculi amborum, non ad videndum, nam antea videbant; sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, quò ceciderant. Unde & ipsum lignum, eò quòd istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum sciendi boni, & mali. Expertâ enim morbi molestiâ, evidentior fit etiam jucunditas sanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant; nudati scilicet eâ gratiâ, quâ fiebat, ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet &c.*

XXIV. Quæri solet, in qua specie arboris fuerit arbor scientiæ boni, & mali.

Respondeo, in hoc nihil, nisi divinando, dici posse. Quidam frumentum, quidam vitem existimarunt; sed nullo fulti, aut levi ad summum, fundamento: arbitrantur enim idcircò Christum suum Corpus in pane dedisse, ut quâ re contractum esset debitum, eâdem exsolveretur; & sanguinem suum in vino dedisse, ut primorum Parentum noxam expiaret. Sed benè dicit Moses Bar-Cepha: *Nos vera has esse non putamus: frumentum enim seges, non arbor dicitur, ut neque vitis.*

XXV. Ficulneam ergo fuisse alii opinati fuerunt; ex eo moti, quòd statim ac peccarunt, cognoscentes se esse nudos, *consuerunt sibi folia ficus* (Gen. 3. v. 7.) utique, inquiunt, ab arbore proxima: at nulla erat vicinior illâ, ex qua mox fructum decerpserant; videtur ergo illa fuisse ficus. Ita sentiunt Theodoretus *Interrogat.* 28. *in Genesim.* Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *Epist.* 2. Moses Bar-Cepha, aliique. Sed non magni ponderis hæc ratio videtur. Potuit enim illi arbori, ex qua Heva fructum carpserat, vicina fuisse ficus: nec videtur Adamo fructum porrexisse sub ipsa arbore. Accedit, quòd ficulneæ non conveniunt illa verba: *lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Tandem cùm vix gustato pomo, apertis oculis ad cognitionem delicti, erga arborem illam summum horrorem concepissent; credibile potiùs est, ab ea longiùs recessisse, quàm quòd ad eam manus ad carpenda folia iterum extenderint; & vel maximè, cùm sese abscondere à Deo tentarent, non est putandum se cooperuisse foliis illius arboris, quibus proderetur delictum.

XXVI. Alii itaque censent, fuisse *Malum* formæ, & fructus præstantissimi, nempè vel *pirum*, vel *malum punicum*. Et argumentum sumunt ex illo *Cantic.* 8. *v.* 5. ubi dicitur: *sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Ubi matris nomine Hevam intelligi volunt omnium viventium matrem, sub arbore *malo* violatam, & corruptam inobedientiæ peccato. Hæc opinio apud vulgus famam obtinuit; quamquam nec certum est, matris nomine ibi Hevam intelligi, sicut nec ibi agi de prima corruptione: & vox illa *Malum* non pomum solùm, sed quemlibet fructum odoriferum, & levioris, ac mollioris corticis significare solet in Scriptura. Hoc certum igitur est, Moysen arboris genus non expressisse, ne illud curiosiùs scrutemur.

XXVII.

XXVII. Præterire tamen non possum Judæorum fabulam, quam narrat Pineda *lib. 5. de Salomone c. 14.* nimirùm, ex hac arbore vetitâ Seth jussu Angeli recepisse semen, illudque indidisse ori Adami sepulti: ex quo succreverit arbor, ex qua Crux Christi confecta est; ut in eodem ligno, in quo peccaverat Adam, Christus Adæ peccatum deleret.

DUBIUM IV.

Utrum Paradisus Terrestris etiamnum supersit.

§. I.

Pars negans.

I. Controversia de Paradisi existentia etiam nunc non minùs incerta est, ac sint aliæ de Paradiso, quas hucusque agitavimus: & meo judicio ab illa quæstione maximè pendet, in qua quæsivimus, quo in loco fuerit Paradisus. In eorum enim opinione, qui extra Orbem hunc habitabilem, scilicet vel circa Lunarem orbem, vel in mediâ aeris regione, vel trans Oceanum, ut supra tetigimus, illum collocarunt, facile concipi posset, etiam nunc superesse: sed si in regione aliqua habitabili collocatus fuerit, ægrè crediderim posse sustineri, eum in sua amænitate, quâ fuit, adhuc constare; ac proinde superesse quidem locum, in quo Paradisus fuit, Paradisum tamen non superesse. Quapropter sicut de regione Paradisi nihil ausus sum determinare; ita nec de ejus superexistentia, sed utramque opinionem cum suis fundamentis Candidato meo proponere contentus ero.

II. Negativam ergo partem plerique Recentiorum amplectuntur, sequentibus moti conjecturis. Prima. Paradisus terrestris erat locus destinatus habitationi hominum in statu innocentiæ perseverantium; ergo per peccatum sublatis incolis, verisimile est, locum pariter, & incolatum fuisse sublatum.

Secundà. Cum à nullo per tot secula hominùm potuerit inveniri, nec etiam leve ejus vestigium reperiri, quamvis totus terrarum Orbis sit habitatus, & itineribus perlustratus; verisimile est, eum amplius non superesse. Quod enim legitur de Machario quodam Monacho, & tribus aliis, qui studio investigandi Paradisum longissimam peregrinationem emensi, cùm tandem ad locum Paradisi pervenissent, detenti, ac horribili Cherubim visione deterriti fuerint. Quod etiam à Joanne Gonzalo in *Itinerario novi Orbis cap. 18.* narratur de quodam Bengalæ Rege, qui eodem studio flagrans, speransque, se id consequuturum, si Gangis suæ regionis fluvii originem scrutaretur; instructis navigiis, ac plurium mensium commeatu adverso flumine navigari præcepit: cùmque tandem ventum esset ad campos, ubi Ganges blandè stagnabat segniùs fluens, & ubi aura spirabat lenior, & florum, & aromatum mirabilis odor incredibili voluptate animos omnium replebat, rati, fontem haud procul abesse, ac propterea remis, velisque ulteriùs procedere conati; nihil tamen ulteriùs, occultâ quâdam vi detenti, promovere potuerunt: unde parùm inde distare, & Gangis fontem, & Paradisum putaverunt. Hæc & similia ad aniles fabulas amandanda existimant.

Tertià. Quia regiones, quas alluunt præfata Paradisi flumina jam notissimæ sunt, & habitatoribus plenæ; quidni ergo incolarum aliquis tanto seculorum tractu potuisset dictorum fluminum fontes perquirere, & ad Paradisum, à quo effluunt, pervenire, si superesset?

Quartà. Si propter aliquid credi deberet, superstitem esse Paradisum terrestrem, hoc esset quia Ecclesiastici 44. *v. 16.* dicitur: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.* Et 4. Reg. 2. v. 11. Elias per turbinem elevanis

vatus fuit: at hæc non evincunt dari Paradisum terrestrem, in quo fuit Adam. Tùm quia de Henoch vox illa *Paradisus* in græco desideratur: tùm quia *Paradisus* in sacris Litteris non semper sumitur pro Paradiso Adamico, sed pro quocumque delicioso loco, ut Cantic. 4. v. 13. *emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. De Elia verò Scriptura nullibi dicit, eum raptum fuisse in Paradisum, sed *in Cœlum*. Ita 4. Reg. *c.* 2. *v.* 1. *&* 11.

Accedit, quòd Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 33. *Nusquam* (inquit) *Scriptura dat intelligi, quòd Henoch, & Eliam Deus tulerit in ipsum Paradisum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum: sed ita sublati sunt, ut in secretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis & spiritus quiete viverent, quòusque ad finem Mundi redeant, & mortis debitum solvant*. Idem de Elia iisdem verbis dicit S. Gregorius homil. 29. in Evangelia: *In Cœlum* (inquit) *aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repentè duceretur; ubi in magna jam carnis & spiritus quiete viveret, quò usque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit*.

Quinta, & potissima conjectura est. Quòd cùm aquæ diluvii anno integro continuâ inundatione euntes, ac redeuntes, omnes arbores, domos, urbes, quin & colles straverint, & totam ferè terræ superficiem dimoverint, credibile fit, quòd Paradisi formam, & decorem subverterint; aliàs sequeretur, quod diluvium universale non fuerit. Hâc ratione quamvis concederent, Henoch fuisse translatum in Paradisum Adami, quia hoc contigit 669. annis ante diluvium, quo tempore Paradisus ille fortè erat superstes; attamen eum adhuc superesse, & in eo Henoch vitam agere modò non concedunt. Hæc sunt præcipua pro sententia negante fundamenta.

§. II.

Pars affirmans.

III. Partem affirmantem tenet primò S. Irenæus *l.* 5. *contrà Hæres. c.* 5. ubi docet, Henoch, & Eliam translatos fuisse in Paradisum, de quo Adam inobediens ejectus fuit; addens, se hoc à Discipulis Apostolorum accepisse: *Quapropter dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum Discipuli, eos, qui translati sunt, illuc translatos esse*.

IV. Scio, adversæ sententiæ Patronos, non multi facere hâc in re Irenæi testimonium. Nam multa etiam prodidit tanquam ex Apostolorum Discipulis accepta, ut opinionem de Regno Millenario Christi in terris, sicut de ætate Christi propè quinquagenariâ, cùm pro nobis passus est; quorum tamen primum, sicut & receptaculum animarum Sanctarum post mortem, Ecclesia damnavit, & secundum exploditur ab omnibus.

V. Sed responderi potest, non propterea quòd aliquis Pater, vel Doctor in uno deceptus est, vel in altero, in omnibus deceptus fuisse putandus est. Opinionem de Millenario Christi Regno, de receptaculis animarum post mortem, quia erroneam Ecclesia postea judicavit, confixit: opinionem de ætate quinquagenaria Christi, quia singularem, omnes rejiciunt. At quòd Paradisus sit adhuc, quòd in illum translati fuerint Henoch, & Elias, Ecclesia nunquam damnavit, Patres non respuerunt; imò usque ad hæc nostra tempora ferè omnes, ut ostendetur, probarunt.

VI. Secundò idem testatur Teophilus Antiochenus *l.* 2. *ad Autolycum nu.* 33. dicens: *Paradisum esse* (non fuisse) *terram, & super terrâ exsultam... Paradisum esse sub hoc Cœlo, sub quo Oriens, & terra conspiciuntur*, & demonstrat ex quatuor fluminibus ab eo adhuc egredientibus.

VII. Tertiò. In Paradisum, in quo fuit

fuit Adam, translatum fuisse Henoch, ad eum raptum Paulum, ac promissum Latroni asserit S. Athanas. *de decret. Nicæna Synodi num. 6.* Estò autem non probemus, Paradisum, ad quem raptus fuit Paulus, & qui Latroni promissus fuit, fuisse Paradisum terrestrem Adami; constat tamen Athanasii tempore constitisse, Paradisum Adami superstitem esse. Idem de Henoch, & Elia sentit S. Hieron. *Ep. 61.* modò 38. *ad Pammach.* adversùs errores Joann. Jerosolimitani.

VIII. Quartò. S. Augustinus *l. 1. de Peccat. merit. & remiss. c. 3.* de Henoch, & Elia, postquàm ait, sine cibis vivere, subdit: *aut si, & his sustentaculis opus est, ita in Paradiso fortasse pascuntur, sicut & Adam, priusquàm propter peccatum exire meruisset.* Ubi ly *fortasse* non cadit supra existentiam Paradisi, sed supra esum ligni vitæ. Libro etiam *de peccato Origin. c. 23.* licèt inter quæstiones, quas in utramque partem, salva fide, resolvere possumus, ponat *qualis, vel ubi sit Paradisus; ubi sit nunc Elias, vel Henoch; an ibi vel alibi:* præmittit tamen: *cùm tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet.* Non dicit *fuisse*, sed *esse* non dubitet: videtur ergo sentire, quòd fides Christiana dubitare non debeat, Paradisum terrestrem esse. Et *l. 8. de Gen. ad litt. c. 7.* ait de fluminibus è Paradiso egredientibus, quorum fontes nobis sunt noti; non proinde existimandum esse, quòd ex uno Paradisi flumine dividantur: *cùm potiùs credendum sit, quoniam locus ipse Paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi iisse sub terras, & post tractus prolixarum regionum, locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere, quis ignorat?* En ergo Augustinus potiùs quàm neget, Paradisum superesse, negat, fontes fluminum, qui nobis apparent, esse veros eorum fluminum fontes, sed longissimo regionum tractu à vero Paradisi fonte iisse sub terras; ac tandem locis nobis notis, ac si inde primò manarent, erupisse.

IX. Quintò. Hoc idem fidelissimus S. Augustini discipulus testatur, Sanctum Thomam dico, tùm hîc 1. *p. q.* 102. *a.* 1. ubi ad præcipuum partis negativæ argumentum, nempè, quòd *aliqui diligentissimè inquisierunt omnia loca terræ habitabilis, qui tamen nullam mentionem faciunt de loco Paradisi*, respondet: *ad tertium dicendum, quod locus ille seclusus est à nostra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel Marium, vel alicujus æstuosæ regionis, quæ pertransiri non potest. Et ideò Scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt.* Et ibi *art. 2. ad 3.* ostendit, Paradisum non esse frustra, quamvis ibi non sit hominum habitatio post peccatum. *Per hujusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiserit. Quamvis (ut dicitur) nunc Henoch, & Elias in illo Paradiso habitent.* Tùm etiam 3. *p. q.* 49. *a.* 5. *ad* 2. ubi ait: *Henoch raptus est ad Paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi.*

X. Idem sentiunt Bellarminus *l. de Gratia primi hominis cap.* 14. ubi hæc habet: *Nullum unquam ex Veteribus legi, qui Paradisum terrestrem vel aquis diluvii, vel alia de causa periisse scripserit: & contra legi plurimos, qui illum extare affirmant, ut Scholasticos ferè omnes... ac præterea veteres Patres, Irenæum, Hieronymum, Augustinum, Theodoretum, Bedam, Alcimum Avitum, & cæteros...* unde *non facilè auderem à tam communi, celebrique opinione recedere.* Idem sentit Sylvius in 1. *p. q.* 102. *a.* 1. *quæsito* 2. citans Abulensem, Cajetanum, Bannez, Zumel, Bonaventuram, Granados &c.

XI. Videat ergo prudens Lector, quid in hac parte sibi statuendum censeat,

seat, quod præcipuè pendebit à loco, ubi fuerit Paradisus, determinando. Si enim cum Recentioribus eum statuerit in regione, quæ modò humanæ serviat habitationi, ut in Mesopotamia, vel alibi; ægrè tueri poterit, Paradisum etiamnum superesse. Si verò eum locaverit in regione remotissima, hominibus ignotâ, & imperviâ, ut facit cum Veteribus S. Thomas; facilè eum superesse tuebitur.

XII. Quòd enim aquis diluvii obrutus dicatur, ac dissipatus, non videtur esse tanti momenti, ut propter hoc negetur, eum adhuc superesse. Cùm enim, ut benè notat Sylvius, necesse sit, aliquem locum amænum agnoscere ab hominum cognitione remotum, in quo post diluvium, & nunc degant Henoch, & Elias; quid vetat, eum esse Paradisum terrestrem: maximè accedente auctoritate Scripturæ Ecclesiastici 44. dicentis, Henoch translatum esse in Paradisum? Cumque insuper sit agnoscendum miraculum, quo Henoch tempore diluvii fuerit ab aquis præservatus; sic ut esto cum Noe in arca non fuerit, fuerit tamen, vel sublimis in aere, vel si in terra, ab aquis intactus, vel alio modo soli Deo cognito: quid repugnat, eum in Paradiso fuisse, & Paradisum obrutum aquâ non fuisse?

XIII. Dices. Repugnare Scripturam, quæ Genes. 7. dicit, aquas diluvii operuisse omnem terram, & omnes montes excelsos sub universo Cœlo.

Sed hoc non videtur obstare. Sermo enim ibi est de universa terra ab hominibus peccatoribus habitabili, eorumque usui serviente, propter quos immissum est diluvium. Nam ibi etiam dicitur *vers.* 21. 22. 23. quòd *universi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est, in terrâ mortua sunt.... remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in Arca*. Et tamen necesse est excipere Henoch, qui non fuit cum Noe in Arca, quem quidem diluvio non periisse omnes credunt. Si ergo restringendus est Scripturæ textus ad solos homines vitam mortalem communi modo in terra degentes, cur restringi non poterit ad solam universam terram ab iisdem habitabilem? Quòd si etiam daretur, Paradisi locum aquis diluvii obrutum fuisse; quis prohiberet, eum postea suæ amænitati a Deo fuisse restitutum, nullo quidem eum colente, sed terrâ sponte suâ, & loci amænitate, aerisque temperie arbores, floresque germinante: Deo sic disponente, qui locum illum, ut amænitati, ac voluptati deserviret, produxit? Certè clausum quidem legimus Paradisum hominibus post peccatum, nullibi tamen legimus eum fuisse destructum, ac sublatum. Et propterea nullus eum unquam adire potuit, non quia ampliùs non sit; sed quia Deus non permittit illuc accedere, ut D. Thomas citatus docet, & insuper 2. 2. *q.* 164. *a.* 2. *ad.* 5.

Hæc sunt, quæ Paradisum superesse etiam nunc, probabile olim reddiderunt; an verò etiam modò probabile efficiant, pensatis omnibus, judicet prudens. Hoc unum Candidatum meum moneo: non proinde, quia aliquid non capimus, vel quia nobis difficile captu apparet, statim negandum esse, ac deserendum. Sed hæc satis.

QUÆSTIO III.

De statu Hominis Innocentis quoad animam.

STatus innocentiæ fuit ille, in quo homo è manu Dei exivit, in quo multis prærogativis à suo Conditore ornatus fuit. *Quid enim* (ait Bernardus serm. 2. de Annunciat.) *illi deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat? Qui erat Paradisi accola, terræ dominus, Cœli civis, domesticus Domini, frater Beatorum spirituum, & Cœlestium cohæres virtutum*. Has ergo sublimes dotes, quarum & nos hæredes essemus, nisi infelices Protoparentes

unico

unico actu omnes prodegissent, in præsenti, & sequentibus investigare cònabimur. Quia verò aliquæ ornabant animam, aliæ corpus; ideò S. Thomæ ordinem tenentes, priùs dotes, quibus anima primi hominis fuerat insignita, sive quoad intellectum, sive quoad voluntatem, cum eodem S. Doctore *1. p. q. 94. 95. & 96.* percurremus.

Conveniunt Theologi Catholici, in triplici statu posse considerari hominem; nimirùm in statu naturæ puræ, in statu naturæ integræ, seu innocentis, & in statu naturæ lapsæ. In primo statu nunquam homo fuit, potuisse tamen à Deo in illo condi ostendemus. In secundo fuit ante peccatum, & nisi peccasset, permansisset. In tertio jacet in præsenti post peccatum obrutus miseriis, ac ærumnis ex peccato relictis. De statu innocentiæ agemus modò, deinde de statu lapsus. Tandem de statu naturæ puræ aliqua dicemus.

DUBIUM I.

Quali, & quantâ scientiâ donatus fuerit Homo Innocens circa Deum, & Angelos.

§. I.

An status Naturæ integræ, & innocentis idem sit?

I. Dirimenda primò venit controversia, an status naturæ integræ, & innocentis pro eodem haberi debeant. Durandus enim *in 2. dist. 28.* existimavit, statum naturæ integræ nihil aliud dicere, quàm humanam naturam cum omnibus facultatibus ab ea naturaliter manantibus; quæ sunt corpus justæ magnitudinis cum suis omnibus membris, & organis sanitate, & vigore debito præditis; anima insuper cum omnibus suis facultatibus, tùm organicis, sensu scilicet, appetitu, & potentiâ locomotivâ; tùm inorganicis, intellectu nimirùm, & voluntate cum carentia peccati quoad reatum pœnæ, & culpæ. Ex quo infert, non posse hominem condi in pura natura, quin etiam in statu integræ naturæ creetur.

II. Verùm modum hunc explicandi statum naturæ integræ tanquam diminutum rejiciunt communiter Theologi; volentes, hunc statum ad prædicta addere insuper vigorem rationis ad continendum in debita obedientia appetitum sensitivum, ne præveniat rationem, ne repugnet ei; sed voluntati secundùm rationem imperanti statim obtemperet. Quem vigorem in ratione, dicit Cajetanus, non esse naturæ simpliciter, quia à natura non fluit, nec simpliciter gratiæ, quia ex se non petit extendi nisi ad bonum naturæ rationali proportionatum, nempe vivere secundùm rationem; sed esse potiùs quodammodo naturæ, & quodammodo gratiæ; inquantùm natura hoc non ex se habet, sed ex conjunctione cum justitia originali, vel cum alio speciali dono, quod præcisâ justitiâ originali, ei Deus conferre potuisset. Et hic meritò à Theologis status naturæ integræ nuncupatur; quia in eo omnia sunt integra, nempè suis locis, ac terminis omnia continentur.

III. Ex his infertur, quòd estò in Adamo status naturæ integræ cum statu innocentiæ, & justitiæ originalis conjuncti fuerint; est tamen status naturæ integræ à statu justitiæ originalis separabilis: potuit enim Deus dare naturæ rationali vigorem subjiciendi sibi appetitum in ordine ad bonum rationis naturale, ipsam in ordine gratiæ non collocando. Addo: quòd status innocentiæ, seu justitiæ originalis, estò statum integritatis naturæ, & vigorem subjicientem appetitum ad bonum rationis includat, aut supponat; plura alia addit dona, & privilegia, nempè immortalitatem, indolentiam, immunitatem à deceptione, & errore, ac vigorem subjicien-

tem appetitum etiam in ordine ad bonum supernaturale. Quapropter non improbabiliter ab aliquibus status naturæ integræ, & justitiæ originalis considerantur diversi status. Nunc ad rem veniamus.

§. II.

An Homo Innocens Deum clarè viderit?

IV. Dico primò. Primus homo innocens clarè, & per essentiam Deum non vidit secundùm communem statum illius vitæ. Ita S. Thomas 1. *p. q.* 94. *a.* 1. cujus ratio est ista. Nullus videns Deum per essentiam potest voluntate averti à Deo, quod est peccare: nam videns Deum possidet supernaturalem beatitudinem; nullus autem ab eo, beatitudine jam possessa, averti potest: & propter hoc omnes videntes Deum per essentiam sic in amore Dei stabiliuntur, ut in æternum peccare non possint: sed primus homo de facto peccavit; ergo secundùm statum illius vitæ Deum per essentiam non videbat.

V. Nec obstat, quòd Damascenus *lib.* 2. *Orthod. fidei c.* 11. S. Augustinus *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 10. & 26. dicant, quòd primus homo erat beatus, fruens Deo = Nam respondet D. Thomas hìc *ad* 1. quòd homo in Paradiso beatus fuit non illâ perfectâ beatitudine, in quam transferendus erat, quæ in visione Dei consistit, neque fruitione, quæ consequitur ad realem possessionem summi boni; sed beatitudine secundùm quemdam modum, inquantùm nihil ei deerat de integritate, & perfectione hujus vitæ, & fruebatur suo fine habito intentionaliter tantùm.

VI. An verò primus homo viderit divinam essentiam per modum transeuntis, sicut *in Tract. de Visione* probabile reputavimus cum S. D. de Moyse, & D. Paulo in raptu; hìc non determinat S. Tho. sed ait: *Nisi fortè dicatur, quòd viderit eum in raptu, quando Deus immisit soporem in Adam, ut dicitur Genes.* 2. attamen partem negantem, ut probabiliorem amplectitur *qu.* 18. *de Verit. a.* 1. *ad* 14. dicens: *quia non expressè habetur, quòd in illo sopore Deum per essentiam viderit, possumus dicere, quòd in illa ecstasi elevatus fuit, non ad ipsam Dei essentiam videndam, sed ad cognoscenda quædam profundiora de divinis mysteriis, quæ secundùm communem modum humanæ cognitionis tunc sibi competebant.*

VII. Dico secundò. Primus homo esto Deum per essentiam non viderit, habuit tamen altiorem de Deo cognitionem, quàm nos habeamus. Ita S. Tho. laudatus, quod explicat sic: Nos enim quia incurvati ad hæc sensibilia, & circa hæc occupati, impedimur, ne per aliud medium quàm per ea Deum cognoscamus: at, ut dicitur Ecclesiaste 7. v. 30. *Deus fecit hominem rectum*; hæc autem rectitudo hominis divinitùs instituti erat, ut inferiora subdita superioribus non impedirent hominem à rerum superiorum cognitione. Unde homo non solùm per effectus sensibiles, sed maximè per intelligibiles, quos per irradiationem primæ veritatis percipiebat, sive naturali cognitione, sive gratuitâ Deum cognoscebat, & sic etiam clariùs, quàm nos. Quia *quantò aliqua creatura est altior, & Deo similior, tantò per eam Deus clariùs videtur; sicut homo perfectiùs videtur per speculum, in quo expressiùs imago ejus resultat. Et sic patet quòd multò eminentiùs videtur Deus per intelligibiles effectus, quàm per sensibiles, & corporeos.*

VIII. Hinc apparet differentia inter modum, quo primus homo cognovit Deum, & quo nos cognoscimus. Nos enim per sola sensibilia Deum cognoscimus; ille per effectus intelligibiles Deum cognoscebat: deinde per sensibilia nos, quasi addiscentes, notitiam Dei ex sensibilibus comparamus; ille jam per intelligibiles species edoctus, Deum, quem jam noverat, ex creaturis considerabat. Ita D. Tho. q. 18. de

18. de Verit. a. 1. in c. *Nos nec Deum, nec alias substantias immateriales cognoscere possumus naturaliter, nisi per res sensibiles. Sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in statu innocentiæ, ut Deum cognosceret per inspirationem internam ex irradiatione divinæ sapientiæ; per quem modum Deum cognoscebat, non ex visibilibus creaturis, sed ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressâ. Ita igitur in homine duplex cognitio erat: una, quâ cognoscebat Deum conformiter Angelis per inspirationem internam; alia, quâ cognoscebat Deum conformiter nobis per sensibiles creaturas. Differebat autem hæc ejus secunda cognitio à cognitione nostra, sicut differt inquisitio habentis habitum scientiæ, qui ex notis considerat ea, quæ quandoque noverat, ab inquisitione addiscentis, qui ex notis ad ignota nititur pervenire. Nos autem Deum aliter notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus: Adam verò Deum aliter sibi notum, scilicet per illustrationem internam, ex creaturis considerabat*. Hæc D. Thomas.

IX. Observat quoque S. Doctor, quod duplex est medium: unum, *in quo simul videtur, quod per medium videri dicitur, sicut cum homo videtur per speculum, & simul videtur cum ipso speculo. Aliud medium est, per cujus notitiam in aliquid ignotum devenimus, sicut est medium demonstrationis.* Sine hoc medio primus homo videbat Deum, *non tamen sine primo medio. Non enim oportebat, primum hominem pervenire in Dei cognitionem per demonstrationem sumtam ab aliquo effectu, sicut nobis est necessarium; sed simul in effectibus, præcipuè intelligibilibus, suo modo Deum cognoscebat*. Ita hâc q. 94. a. 1. ad 3. *Fortassis* (inquit D. Augustin. l. 11. de Genes. ad litt. c. 33.) *Deus primis hominibus anteà loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsâ incommunicabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non tantâ participatione divinæ essentiæ, quantam capiunt Angeli*.

X. Nec dicas. Sicut lux corporalis facit visibile in actu, ita lux intelligibilis facit intelligibile in actu: sed non potest visibile actu videri, quin ipsa lux videatur; ergo non potest intelligibile videri, quin lux intelligibilis videatur; ergo si ista lux respectu primi hominis erat ipsa incommunicabilis veritas illustrans mentem, ipsa quoque à primo homine vidente mentem suam, & intelligibilia videbatur.

Nam respondeo, dist. min. quin ipsa lux, ut participata in subjecto, quod videtur, videatur, conc. min. Ut est in subjecto à quo emanat, nego min. & utramque conseq. Responsio est D. Thom. q. 18. de Verit. a. 1. ad 10. *Ipsa* (inquit) *essentia divina comparatur ad intelligibilia, sicut substantia Solis ad visibilia corporalia. Non est autem necesse, ut qui videt colorem aliquem, videat substantiam Solis, sed ut videat lumen Solis, prout eo color illustratur. Similiter non est necessarium, ut ille, qui cognoscit aliquid intelligibile, videat essentiam divinam; sed quod percipiat lumen intelligibile, quod à Deo originaliter manat, prout ipso est aliquid intelligibile actu*.

§. III.

An primus Homo clarè viderit Angelos?

XI. DIco. Primus homo non vidit Angelos clarè, & per essentiam, eos tamen clariùs cognovit, quàm nos. Ita D. Thom. hâc *q.* 94. *a.* 2. Et ratio est: quia anima primi hominis in statu innocentiæ habebat quidem corpus perfectè subditum, & in nullo eam impediens; erat tamen accommodata ad corporis perfectionem, & gubernationem secundùm vitam animalem, sicut nunc: at animæ sic accommodatæ tantùm competit modus intelligendi per conversionem ad phantasmata, quæ nullo modo repræsentare possunt Angelos secundùm essentiam: *Sic igitur* (concludit S. Doctor) *anima primi hominis non poterat* quidem

quidem videre Angelos per essentiam; sed tamen excellentiorem modum cognitionis habebat de eis, quàm nos habeamus; quia ejus cognitio erat magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia, quàm cognitio nostra: & propter tantam eminentiam dicit Gregorius [4. Dialog. c. 1.] *quòd intererat Angelorum spiritibus*, non enim à sensibilibus distrahebatur, sicut nunc.

Unde ibidem *ad secundum*, ait: *quòd hoc, quòd anima primi hominis deficiebat ab intellectu substantiarum separatarum, non erat ex aggravatione corporis, sed ex hoc, quòd objectum ei connaturale erat deficiens ab excellentia substantiarum separatarum. Nos autem deficimus propter utrumque.*

XII. Porrò hunc modum cognoscendi per conversionem ad phantasmata habebat anima primi hominis, nedùm quòad naturalia, sed etiam quòad supernaturalia; hoc enim expressè docet S. Magister *qu. 18. de Verit. a. 5.* Cognitio enim per gratiam est quidem elevatior quantùm ad res, quas facit cognoscere, sicut cùm per gratiam fidei elevamur ad cognoscenda mysteria, quæ sunt supra rationem, & similiter per gratiam prophetiæ; sed quantùm ad modum cognoscendi non elevatur humana cognitio, nisi status mutetur: cùm autem, ut dictum est, modus cognoscendi animæ primi hominis, etiam in statu innocentiæ, fuerit proprius animæ, dùm est in statu viæ, qui est per conversionem ad phantasmata; ideò hoc modo debuit anima Adami cognoscere tàm naturalia, quàm supernaturalia: nisi fortè ponamus, eum per gratiam in altiorem statum elevatum, sicut fuit Paulus in raptu. Hæc est doctrina S. Thomæ loco laudato.

XIII. Nec dicas, quòd Adamus in illo statu omnibus corporalibus dominabatur. Id enim concedo: sed dominium, quod habebat super res corporeas, non erat tale, ut posset exercere suas operationes absque corpore, & absque rerum corporalium ministerio. Erat ergo in hoc, quòd eis utebatur sine impedimento; ita quòd inferiora subderentur superioribus, nec illa ista impedirent. Sicut ergo pede, & manu utebatur, ut se inferioribus; ita & speciebus, ac phantasmatibus, ut nihil inferius posset illum impedire.

DUBIUM II.

Qualis, & quanta fuerit Hominis cognitio quoad alia.

§. I.

Resolutio circa naturalia.

I. Dico. Primus homo in sui conditione habuit cognitionem omnium rerum, quas naturaliter homines possunt cognoscere. Ita D. Tho. *q. 94. a. 3.* Id constare videtur ex *c. 17.* Ecclesiastici, ubi describuntur dona primis hominibus in eorum conditione collata; inter quæ v. 5. legitur: *cor dedit illis excogitandi, & disciplinâ intellectus replevit illos.* Et v. 6. *creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.* Quare D. Augustinus l. 5. Oper. imperfecti c. 1. contra Julianum, qui, utpote Pelagianus, oppositum sentiebat: *Neque* (inquit) *secundùm Christianam cogitatis fidem, qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit: quod excellentissimæ fuisse indicium sapientiæ, in secularibus etiam litteris legimus. Nam ipse Pythagoras, à quo Philosophia nomen exortum est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus.* Deinde ostendit, quòd, etsi hoc de Adamo non sciremus; id tamen apertè constaret ex natura, quam undequaque perfectam, & sine ullo vitio à Deo acceperat: quis enim, inquit, *existimet non esse animi vitia, vel memoriæ, vel intelligentiæ tarditatem?*

II.

II. Hinc probatur ratione D. Thomæ sic. Ille, qui esse debebat primum principium aliorum hominum non solùm per generationem, sed etiam per instructionem, & regimen, debuit fieri, & esse perfectus, non solùm quantùm ad corpus per virtutem generativam, ut statim posset alios generare, sed etiam quantùm ad animam, ut statim posset alios instruere, & gubernare: atqui primus homo factus fuit, ut esset primum principium omnium aliorum hominum, non solùm per generationem, sed etiam per instructionem, & regimen: nec potuisset benè alios instruere, & regere, nisi habuisset notitiam omnium eorum, quæ studio, & diligentiâ humanâ possunt cognosci; ergo &c.

III. Confirmatur primò. Quæ Deus proximè, & immmediatè producit, sunt perfectissima; sicut enim Cœli, & sydera cum tota sua perfectione creata sunt; sicut plantæ, cæteraque animalia producta fuere cum tota perfectione suæ naturæ debitâ: ita de quacumque alia re à Deo immediatè productâ, *Dei* enim *perfecta sunt opera* (Deuteron. 30. v. 4.) sed homo primus fuit immediatum opus Dei; ergo prodire debuit perfectus non solùm quantùm ad corpus, ac præditus omni vigore, quo absque defectu omnia corporis munia posset obire; sed etiam, imò magis, perfectus quantùm ad animam, ut nihil ei de scientia, quæ est animæ vigor, deesset.

IV. Confirmatur secundò. Si Adam creatus fuisset sine scientia, eamque studio, & operâ paulatim sibi acquirere debuisset, aliquo tempore in veritatis ignoratione versatus fuisset: ignorantia autem in homine sciendi cupido admodum molesta, & acerba, & felicitati illius status contraria fuisset. Adde: quòd si pro aliquo tempore in veritatis ignoratione fuisset, potuisset pro eo in multos errores prolabi, assentiendo falsis opinionibus pro veris, aut vera pro falsis reprobando, quod statui naturæ innocentis non conveniret. *Nam* (ut ait Aug. *l.* 3. *de Lib. arb. c.* 18. & confirmat l. de Natura, & gratia c. 67.) *sunt reverà omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus ... non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

V. Advertit tamen S. Thomas hic *in corp. art.* quod primus homo omnia quidem naturalia, & humano studio acquisibilia, sicut & omnia ad gubernationem vitæ humanæ cognovit. *Alia verò, quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitę humanę, primus homo non cognovit, sicut sunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quędam singularia; puta quot lapilli jaceant in flumine, & alia hujusmodi.* Quibus retractavit ea, quæ in oppositum docuerat *q.* 18. *de Verit. a.* 4. Quamvis, si benè consideretur, ejus mens ibi fuerit concedere primo homini solam cognitionem futurorum, quæ naturaliter in suis causis dignosci possunt, aliorum autem, non omnium, sed eorum solùm, quæ sibi fuerunt divinitùs revelata. Ita enim sese explicat *q.* 18. *citatâ a.* 4. *ad* 1.

VI. Advertit etiam S. Doctor hic ad primum: *Quòd primus homo habuit scientiam omnium per species à Deo infusas. Nec tamen scientia illa fuit alterius rationis à scientia nostra: sicut nec oculi, quos cęco nato Christus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit.*

VII. Advertit pariter ibidem ad tertium: *quòd Adam in scientia naturalium scibilium non profecisset quantùm ad numerum scitorum, sed quantùm ad modum sciendi; quia quæ sciebat intellectualiter, scivisset postea per experimentum. Quantùm verò ad supernaturalia cognita profecisset etiam quantùm ad numerum per novas revelationes, sicut & Angeli proficiunt per novas illuminationes.* Nota tamen, quòd cùm dicit, quod

quòd Adam non profecisset quantùm ad numerum naturalium scitorum, intelligendus est de numero scitorum, specie diversorum, quorum omnium notitiam à Deo accepit ab initio; non verò de numero individuorum, quæ in unaquaque specie continentur, sicut de numero lapillorum, qui jacent in fluvio, arenarum, quæ sunt in mari, & similium; sicut nec de cogitationibus cordium, de futuris contingentibus &c. hujusmodi enim, ut docet *q.* 18. *de Verit. art.* 4. *ad* 10. sensuum experimento, vel etiam cum adimplebantur, nota ei fiebant, cùm priùs ei fuissent ignota. Uno verbo quantùm ad ea, quæ ab initio non noverat, successivè proficere poterat, quantùm verò ad ea, quæ noverat, non proficiebat; sed quod priùs sciverat per scientiam mentis, postmodùm cognoscebat etiam per experientiam sensus, quod erat ei delectabile.

VIII. Si dicas. Primus homo profecisset quantùm ad meritum; ergo etiam profecisset quantùm ad scientiam rerum.

Respondeo ex D. Thom. hìc *ad* 3. disparem esse rationem inter scientiam, & meritum. Ideò enim debuit habere ab initio omnium naturalium, & ad regimen pertinentium cognitionem, quia cùm deberet esse hominum principium sciendi, & Magister ac Rector, debuit omnibus ad hoc pertinentibus esse ab initio plenè instructus: at non debebat esse aliis principium merendi; & propterea non debuit ab initio habere omne meritum, sed in illo paulatim proficere.

IX. Addendum tamen existimo ex eodem S. Thoma *in* 2. *dist.* 23. *a.* 2. quòd hanc rerum naturalium cognitionem aliter habuit Adam, aliter ad ejus Posteros pervenisset, si stetisset. Nam *Adam tanquam principium totius humani generis omnem perfectionem, qua natura humana competit, in sui primordio accepit, sicut secundùm corpus, ita & secundùm animam; ut esset potens ad propagandum alios corporaliter, & instruendum intellectum. Filii autem ejus, quia cum originali justitia nascebantur, qua sine prudentia esse non potest, sicut nec aliqua virtus..... Ideò oportuit quòd statim nati habitum habuissent cognitionis illius, per quam cognoscere possent, quid agere; & quid vitare deberent (quamvis fortè usus rationis impediretur, secundùm unam opinionem, propter organorum indispositionem) sed habitum cognitionis aliarum rerum non est necesse, quòd in sua nativitate habuissent, sed per inventionem, & doctrinam; ut tantùm simul cum perfectione corporis, & perfectio cognitionis compleretur.* Ita S. Thomas.

X. Oppones primò ex Cajetano, Adamum non novisse naturam elementorum, Cœlorum, & syderum, quæ tamen sunt præcipuæ Mundi partes. Tùm quia eorum cognitio est reservata soli Deo, Psalm. 146. v. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Tùm quia ex eo colligimus, Adamum habuisse scientiam omnium animalium, quia eis nomina imposuit: sed non imposuit nomina elementis, Cœlis, ac syderibus; ergo horum scientiam non habuit.

XI. Respondetur, negando ant. Nam ex persona Salomonis scribit Auctor libri Sapientiæ c. 7. se accepisse à Deo *horum, quæ sunt, scientiam veram*, ut sciat *dispositiones Orbis terrarum, & virtutes elementorum.... anni cursus, & stellarum dispositiones*. Quòd si hanc notitiam habuit à Deo Salomon, multò magis eam habuit Adamus, ut infra dicetur. Psalmus verò, vel de perfectissima stellarum notitia loquitur, quæ certè solius Dei est; vel de scientia cum imperio, & dominio conjunctâ. Sic enim solus Deus stellarum numerum, & proprietates novit, ut eas tanquam Dominus regat, & velut suis nominibus vocatas, ad nutum sibi obedientes faciat, juxta illud Baruch. 3. v. 35. *Stellæ.... vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus.*

Neque quòd eis nomina non imposuerit

fuerit Adamus, argumento est, eorum scientiam non habuisse. Etenim, puto, non negabitur Adamum habuisse scientiam lapidum, metallorum, stirpium, ac piscium, quibus tamen nomina eum imposuisse non legimus. Impositio ergo nominum est quidem argumentum cognitionis; attamen negatio impositionis nominum non arguit negationem cognitionis.

XII. Sed dices. Nec etiam cognitionem rerum inanimatarum, nec plantarum habuit Adamus. Nam Aug. *l.* 8. *de Gen. ad litt. c.* 9. dicit, quòd ideò positus fuit in Paradiso, ut naturas rerum experiretur: sed experimentum est principium cognitionis accipiendæ à sensibus; ergo &c.

Respondet D. Tho. in 2. sent. dist. 23. 2. 2. ad 2. *quòd aliquis experitur aliquid dupliciter. Vel ut ex sensibilibus, quorum experientiâ habitum cognitionis acquirit; sicut in nobis fit, qui mult s experimentis unum universale colligimus, quod est principium artis, vel scientiæ: & sic Adam experimento non indigebat. Alio modo, ut id, quod aliquis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videat; hoc enim facienti delectabile est: & sic Adam experimenta de naturis sumsisset.*

XIII. Oppones secundò. Adamus credidit, serpentem, qui eum decepit, esse loquacem; ergo ejus naturam non cognoscebat. Credidit insuper illi scientiam promittenti, & ut ipsam obtineret, fregit mandatum Dei. Denique post esum fructus vetiti testatur Scriptura, apertos fuisse oculos amborum; ergo prius erant cæci, non corpore, sed mente.

Respondeo primò, neg. ant. Non enim Adamus, sed Heva credidit, & à serpente decepta fuit; unde ipsa Genes. 3. *v.* 13. ait: *Serpens decepit me.* Ita S. Augustinus l. 14. de Civit. Dei c. 11. *sicut enim* (inquit) *Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus; nec Salomonem credibile est, errore putasse, Idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est, illum virum suæ femina, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquàm verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus* (1. *ad Timoth.* 2. *v.* 14.) sed & Adam non est seductus, mulier autem seducta est; *nisi quia illa, quod ei serpens loquutus est, tanquam verum esset, accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideò minus reus, sed sciens, prudensque peccavit. Unde & Apostolus non ait:* non peccavit, *sed* non est seductus. Hæc D. Augustinus. Et quidem in muliere, quæ ad alios instruendum ordinata non erat, tanta scientia non requirebatur, quæ à deceptione eam præservaret. Sed de his infra.

XIV. Respondeo secundò, negando ant. Nam Heva (& Adamus etiam) non existimavit serpentem suaptè naturâ esse loquacem, sed putavit, illi inesse virtutem aliquam superiorem latentem, ut ait D. Thom hàc *q.* 94. *a.* 4. *ad* 2. eò vel maximè, quòd illi promittebat scientiam, non naturalem, sed supernaturalem, & planè divinam, qualem Deus habet, dùm ait: *eritis sicut Dii scientes bonum, & malum* (Gen. 3. v. 5.) Quibus respondetur etiam ad secundum. Crèdidit enim Heva, credidit & Adam promittenti Diabolo non Scientiam, qualem decet homines habere, & qualem dicimus à Deo accepisse, sed scientiam, quam nec habebant, nec habere poterant, nempe divinam. Priori tamen solutioni standum esse, infra dicemus.

Quòd verò aperti sint oculi eorum, hoc non fuit per alicujus novæ scientiæ infusionem, aut acquisitionem, sed per prioris usum, & experientiam: aperti ergo sunt eorum oculi *ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod inciderant*, ut ait D. Aug. *l.* 14. *de Civit. Dei c.* 17. unde sermo est de scientia experimentali,

tali, quâ, peccato perpetrato, agnoverunt nuditatem sibi turpem ob insurgentes in carne libidinis motus inordinatos, quos antea non experiebantur.

XV. Observandum tamen censeo cum S. Thoma hàc *q.* 94. *a.* 4. *ad* 1. quòd antequàm Heva seducta esset à serpente, & Adam Hevæ peccato communicaret, uterque jam interiùs peccaverat, & innocentiam amiserat. Etenim, inquit: *illa seductio mulieris, etsi præcesserit peccatum operis, subsecuta tamen est peccatum internę elationis. Dicit enim August.* [lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 30.] *quòd mulier verbo serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor proprię potestatis, & quędam de se superba pręsumtio.* His addo eundem S. Augustinum *l.* 5. *contra Julian. c.* 4. ubi ait: *In Paradiso ab animo quidem cępit elatio, & ad pręceptum transgrediendum inde consensio; propter quod dictum est à serpente: eritis sicut Dii: sed peccatum illud homo totus implevit.*

XVI. Si quæras: an Adamus sapientiâ præcesserit cæteros homines, etiam Salomonem, de quo 3. Regum 3. v. 12. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.*

Respondeo affirmativè, & quoad tria. Primò. Scientia Adami excellentior fuit, quantùm ad amplitudinem; quia se extendebat ad omnia naturaliter scibilia, & ad permulta supernaturalia. Secundò. Quantùm ad modum, quo naturalia omnia sciebat certò, & ex causis propriis. Tertiò. Quantùm ad firmitatem; quia, durante statu innocentiæ, non poterat ullo modo, neque per diuturnam cessationem ab actu, neque per interioris sensus corruptionem, neque per oblivionem scientiam semel acceptam amittere.

Quod verò de Salomone dicitur, debet intelligi, quòd antecesserit sapientiâ omnes ante ipsum, & post ipsum: vel omnes, qui studio, ac labore scientiam sibi comparaverint, in quorum numero Adam non fuit; vel omnes non quidem homines, sed Reges, ac Principes, quod indicat ipse Ecclesiastæ 1. v. 16. *Pręcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalem.* Vel denique omnes, qui in præsenti statu naturæ corruptæ fuerunt, & erunt.

XVII. An verò Adam in sapientia excellentior quoque fuerit B. Virgine Mariâ, dum vitam hanc mortalem ageret?

Dico. Quo ad supernaturalia certum esse B. Virginem scientiâ excelluisse omnes, etiam Adamum in statu inocentiæ. Docet enim D. Tomas 3. *p. q.* 27. *a.* 5. quòd cum maximè appropinquaret Christo fonti gratiarum, quia ex ea accepit humanam naturam, debuit præ ceteris habere plenitudinem gratiæ. Et ad 3. dicit, *quòd non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetię.*

Quantùm verò ad sapientiam, pro ut complectitur notitiam omnium rerum, non solùm supernaturalium, sed etiam naturalium, moralium, & civilium, nihil vetare, quin Adamus habuerit majorem. Quamvis enim B. Virgini tanta fuerit scientia infusa, quanta ad perfectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, & ad penetranda, explicanda, ac suadenda fidei mysteria, itemque ad vitam purissimè instituendam, & transigendam, erat necessaria, vel expediens; quædam nihilominus sunt, quæ ipsam scire nihil referebat, cujusmodi sunt illæ artes, quæ omnino sunt virorum propriæ, ut ars militiæ, mercaturæ, lapidicidarum, idemque judicium de notitia ad populorum gubernationem necessaria. Ita S. Antoninus *p.* 4. *tit.* 15. *c.* 20.

Quòd si velimus, has etiam ad decorem animæ B. Virginis fuisse infusas, dicemus, fuisse in illa quantùm ad habitum, non quantùm ad usum.

Eo

Eo modo, quo D. Thom. 3. *p. q.* 27. *a.* 5. *ad* 3. citato loco docet, quòd estò omnia dona gratiarum acceperit, *non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundùm quòd conveniebat conditioni ipsius. Sapientia enim usum habuit in contemplando, secundùm illud Lucæ* 2. Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo. *Non autem habuit usum sapientiæ quantùm ad docendum, quia hoc non conveniebat sexui muliebri, secundùm illud* 1. *ad Timoth.* 2. Docere autem mulieri non permitto. *Miraculorum autem usus sibi non competebat, dùm viveret; quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis: & ideò soli Christo, & ejus discipulis, qui erant bajuli doctrinæ Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joanne Baptista dicitur Jo.* 10. *quòd* signum fecit nullum, *ut scilicet omnes Christo intenderent. Usum autem Prophetiæ habuit, ut patet in Cantico, quod fecit,* Magnificat anima mea Dominum. *Lucę* 1.

§. II.

Resolutio circa supernaturalia.

XVIII. Dico secundò. Primus homo in sui conditione tantam habuit scientiam supernaturalium, quanta necessaria erat ad suæ, & aliorum vitæ spiritualis regimen secundùm statum illum. Ita S Thom. hâc *q.* 94. *a.* 3. Primus enim homo ordinabatur ad vitam æternam, cæterosque homines tanquàm primus illorum parens debebat ad illam instruere, & præparare: oportebat ergo, ut de supernaturalibus tantam notitiam haberet, quanta requirebatur ad gubernationem vitæ spiritualis suæ, & aliorum. Si enim, quia debebat regere seipsum, & alios quoad vitam naturalem, & civilem, nihil ei defuit notitiæ ad hoc benè exequendum; multò magis debuit esse imbutus cognitione de pertinentibus ad finem supernaturalem, propter quem ipse, & ejus Posteri principaliùs conditi fuerunt.

XIX. His addo: quòd cùm primus homo [ut dicemus] formatus fuerit cum gratia, & justitia originali, habuit necessariò fidem, quæ rerum supernaturalium cognitio est. Ut enim ostendit D. Tho. 2. 2. *q.* 5. *a.* 1. cum gratia, quam accepit Adamus, nondum esset consummata; necesse est dicere, quòd *fuerit in eo inchoatio quędam speratę beatitudinis, quę quidem inchoatur in voluntate per spem, & caritatem, sed in intellectu per fidem.* Quia verò ejus contemplatio altior erat, quàm nostra, per quam ad Deum magis accedens, plura de divinis effectibus cognoscere poterat, quàm nos possimus: ideò (ait D. Tho. citatus ad 1.) *non inerat ei fides, quâ ita quæreretur Deus absens, sicut à nobis quæritur. Erat enim ei magis præsens per lumen sapientiæ, quàm sit nobis; licèt nec esset ei ita præsens, sicut est Beatis per lumen gloriæ.*

Quamvis autem fides requirat obscuritatem cognitionis, hæc benè poterat esse in illo statu, non tamen ut in nobis, in quibus est per modum culpæ, vel pœnæ; sed erat *quædam obscuritas naturalis, secundùm quod omnis creatura tenebra est comparata immensitati divini luminis: & talis obscuritas sufficit ad fidei rationem.* Ita D. Thomas laudatus *ad secundum.* Qui ibi *ad tertium* addit, non obstare, quòd Apostolus *Roman.* 10. *v.* 17. dicat; *Fides est ex auditu.* Etenim *in statu primæ conditionis non erat auditus ab homine exteriùs loquente, sed à Deo interiùs inspirante: sicut & Prophetę audiebant, secundùm illud Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

XX. Quarum autem rerum supernaturalium cognitionem per fidem Adam habuerit, modò videndum est. Primò certum est, Adamum novisse præmium supernaturale viris justis, ac

Deo sanctè servientibus, in Cœlis esse repositum; ac proinde Deum Auctorem gratiæ, & Remuneratorem in ordine gloriæ, ac beatitudinis æternæ, dicente Paulo Hebr. 11. v. 6. *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Illa enim duo explicitè credere omni tempore, & quoad omnes necessarium fuisse, docet D. Tho. 2. 2. *q.* 2. *a.* 8. *ad* 1. Hinc procul dubio noverat, se ob finem supernaturalem conditum, & eò seipsum, ac sua referre debere. Inde noverat etiam omnia media ad illum consequendum necessaria, gratiam gratum facientem, tres virtutes Theologales &c.

XXI. Secundò. Certum etiam esse debet, Adamum in statu innocentiæ distinctè novisse mysterium Trinitatis. Id affirmat S. Epiphanius initio libri *adversùs Hæreses.* D. Athan. *Orat. contra gentes n.* 2. *& l. de Decretis Synodi Nicænæ n.* 5. & revera quidem consentaneum non erat, primum hominem tot donis etiam supernaturalibus cumulatum, non edoceri mysterium Trinitatis. Tùm quia inter omnia præcipuum. Tùm quia in ipsius Adami formatione indicatum fuit his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ut de Trinitate ostendimus: & postea Adamum corripiens Deus ipse dixit Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Tùm denique quia, ut statim dicemus, Adamo revelatum fuit mysterium Incarnationis; hoc autem explicitè credi non potest sine fide Trinitatis, ut docet D. Tho. 2. 2. *q.* 2. *a.* 8. Hinc

XXII. Tertiò. Adamo revelata fuit Filii Dei Incarnatio, non tamen motivum proximum, nempè suum peccatum. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 2. *a.* 7. his verbis: *Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundùm quòd ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundùm quòd ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem, & Resurrectionem: quia homo non fuit præscius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Christi præscius fuisse per hoc, quod dixit*: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, *ut habetur Gen.* 2. *Et hoc Apostolus ad Ephes.* 5. *dicit*: Sacramentum magnum esse in Christo, & in Ecclesia. *Quod quidem Sacramentum non est credibile, primum hominem ignorasse.* Quomodo autem potuerit Adamo revelari mysterium Incarnationis, quin ei revelaretur peccatum suum, quod erat futurum principale motivum, ostendunt Nostrates in *Tract. de Incarnatione ex* D. Tho. 3. *p. q.* 1. *a.* 3. *ad.* 5. quia non est necesse, ut cui revelatur effectus, reveletur causa proxima, maximè si sit voluntaria, & libera.

DUBIUM III.

An primus Homo creatus fuerit in gratia Sanctificante?

§. I.

Quod certum est præmittitur.

I. Conveniens est, ut postquàm ostendimus, quot donis fuerit primi hominis intellectus rectificatus in cognitione veri, transeamus ad demonstranda dona, quibus rectificata fuit ejus voluntas in prosecutione boni. Inter hæc principem locum obtinet gratia sanctificans, quæ hominem Deo gratum facit, est radix cæterarum virtutum, principium merendi, & dat jus ad gloriam.

II. Concordant omnes Catholici, Adamum habuisse gratiam sanctificantem ante suum lapsum: & hoc contra Pelagianos, qui existimabant, Adamum in statu innocentiæ caruisse gratiâ sanctificante, ut patet ex *art.* 11. damnato in Synodo Palæstina, seu Diospolitanâ anno 415. quem etiam refert S. August. *Ep.* 186. aliàs 106. *ad Paulinum cap.* 9. nimirùm: *quòd infantes*

tes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Infantes autem recens natos, & nondùm Baptismo regeneratos, destitutos esse gratiâ sanctificante Pelagiani ipsi asserebant; quos propterea à Regno cœlorum excludebant, quòd morientes sine Baptismo non essent sanctificati, & adoptati.

III. Contrarium tamen statutum legimus tùm in Concilio Arausicano II. anno 529. c. 15. *Ab eo, quod formavit Deus, mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam:* ubi de mutatione à statu gratiæ ad statum peccati sermo est. Tùm in Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali Can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominum Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse &c. Anathema sit.*

IV. Quod igitur controvertitur est: an gratiam, & justitiam Adam acceperit in instanti suæ conditionis simul cum natura, ut diximus de Angelis; an verò post eâ à Deo donatus fuerit. Hanc secundam partem sustinent S. Bonaventura in 2. *dist.* 29. *a.* 2. *qu.* 2. & Scotus in *eadem distinct. num.* 7. qui propterea separant justitiam originalem à gratia sanctificante, & dicunt, accepisse Adamum initiò habitum quemdam, qui partem inferiorem superiori subjiceret, nondum tamen gratiam illam, quæ filios, & amicos Dei constituit, quæque ad vitam æternam promerendam necessaria est. Prior tamen pars communiter sustinetur cum D. Tho. 1. *p. q.* 95. *a.* 1. 2. 2. *q.* 5. *a.* 1. In 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *dist.* 29. *q.* 1. *a.* 2. & alibi.

§. II.

Nostra resolutio.

V. Dico primò. Primus homo in instanti suæ conditionis gratiam sanctificantem accepit, non postea. Ita D. Thom. locis relatis, & probatur. Primò: quia hoc consonat sacris Litteris: nam Ecclesiastæ 7. *v.* 30. dicitur: *Solummodo hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum*, idest bonum, ut exponunt Hieronymus in hoc caput, & August. *Serm.* 47. *de diversis, nunc serm.* 96. eâ quidem bonitate, à qua decidit per peccatum: sed per peccatum decidit à bonitate supernaturali, quæ est per gratiam; ergo in ea conditus fuit. Hoc idem indicat Apostolus *Ephes.* 4. *v.* 24. dicens: *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*; hoc est, quam in sui creatione acceptam amisit Adam peccando, ut indicat S. Augustinus *l.* 6. *de Genes. ad litt. c.* 27.

VI. Favet quoque Arausicanum II. tùm loco superiùs laudato, dicens: *Ab eo, quod formavit Deus, mutatus est Adam.* Tùm Can. 19. *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret.... quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Ubi sermo est de integritate, non naturæ, sed gratiæ; de hac etiam agebatur contra Pelagianos. Favet quoque Tridentinum loco supra citato illis verbis: *sanctitatem, atque justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.*

VII. Favent Patres. Hilarius apud D. August. lib. 2. contra Julian. c. 8. *Tanta enim* (inquit) *& tam admirabilis in nos misericordia Dei bonitas est; ut per quem in Ada offensa generositatem primæ, & beatæ creationis amisimus, per eum rursùm id, quod amisimus, obtinere mereamur.* Ubi gratiam, quam per Diabolum amissam, obtinemus Dei misericordiâ, vocat generositatem primæ, & beatæ creationis. Idem docet S. August. ipse L. de corrept. & gratia c. 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Si ergo Adam fecit in bona voluntate, eum fecit cum gratia. Idem *in Enchirid. c.* 104. dicit, quòd etiam primum homi-

hominem Deus *in ea salute*, *in qua conditus erat*, custodire voluisset; si ad permanendum, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Idem docet *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 13. 14. *&* 19.

Favent etiam Nazianzenus *Orat.* 42. S. Prosper *lib. contra Collatorem c.* 9. *aliàs* 18. Damascenus *l.* 2. *de Fide c.* 12. & omnes, qui similitudinem, ad quam *Gen.* 1. dicitur factus Adam, exponunt de similitudine, quæ in gratia, & virtutibus sita est.

VIII. Quamvis autem, ut rectè advertit D. Thom. *in* 2. *dist.* 29. *q.* 1. *a.* 2. non multùm efficaces rationes ad hoc probandum habeamus, sicut nec ad probandum *aliquid eorum*, *quæ ex voluntate Dei solà dependent*; congruentiæ tamen non desunt, quarum prima est. Homo in ea rectitudine fuit creatus, quâ ratio subdebatur Deo, vires sensitivæ rationi, & corpus animæ; harum autem subjectionum prima erat causa secundæ, & tertiæ: sed istæ duæ posteriores non erant naturales, alioquin post peccatum mansissent, sicut in Dæmonibus data naturalia post peccatum remanserunt; ergo cùm effectus nequeat esse potior suâ causâ, necesse est, ut etiam prior subjectio rationis ad Deum inesset ei per aliquod supernaturale donum: hoc autem est gratia justificans; ergo (concludit S. Thom. hâc q. 95. a. 1.) *datur intelligi*, *si deserente gratiâ soluta est obedientia carnis ad animam*, *quòd per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur*; & proinde homo in ea conditus fuit.

IX. Secunda congruentia est. Deus in aliarum creaturarum conditione dedit eis virtutem pertingendi ad fines, propter quos illas fecerat, puta arboribus ad ferendos fructus, & sic de aliis: sed hominem condidit præcipuè propter beatitudinem supernaturalem tanquam finem; ergo eum condidit cum virtute, quâ posset ad illam per media conari, & tandem pertingere; ergo cum gratia justificante, quæ est quasi gloriæ semen, & dat jus ad beatitudinem, & est principium bonorum operum, quibus ad eam pervenitur.

Confirmatur. Angelis, quos ad supernaturalem beatitudinem ordinaverat, in eorum conditione gratiam contulit, ut Tractatu præcedente *quæst.* 7. *Dub.* 2. §. 2. vidimus; & docet S. August. *lib.* 12. *de Civit. Dei c.* 9. dicens, quod erat Deus *simul in eis condens naturam*, *& largiens gratiam*; ergo eâdem ratione decuit, ut Adamo, seu primo homini, quem Chrysostomus homil. 15. in Genes. *Angelum terrestrem* appellat, dum conderet naturam, largiretur & gratiam.

X. Tertia est. Si Adam in gratia permansisset, Posteri ejus nascituri erant in gratia: sed non est credibile, quòd isti aliquam prærogativam in nativitate essent habituri, quam eorum Parens in sui exordio non habuerit; ergo Adam habuit gratiam in sui exordio. Unde D. Thom. *in* 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. dicit, quòd, si primus homo in solis naturalibus conditus, per actus personales se se ad gratiam præparavit: *talis gratia proprietas personalis erat ex parte animę*; *& ideò nullo modo transfusa fuisset*, *nisi secundùm aptitudinem tantùm*.

XI. Quarta tandem. Si non dicamus, gratiam in primo instanti collatam fuisse Adamo, non possumus, nisi divinando, tempus statuere, quo illam accepit: si enim non in primo, cur magis in hoc, quàm in illo instanti? Cur quando in Paradisum translatus est, non ante? An ante formationem mulieris ex eo, an post? Ergo melius est certum assignare tempus, & nullum aliud videtur congruentius, quàm instans conditionis.

XII. Dico secundò. Probabile est, quòd primus homo gratiam in primo instanti acceperit per propriam dispositionem. Ita S. Thomas *in* 2. *dist.* 29. *q.* 1. *a.* 2. dicens: *Hoc tamen probabilius est*, *ut cùm homo creatus fuerit in naturalibus integris*, *quę otiosa esse non pote-*

poterant, *quòd in primo instanti creationis ad Deum conversus*, *gratiam consecutus sit*. Probatur exemplo Angelorum. Angeli in instanti creationis gratiam sanctificantem acceperunt, ut probabiliùs, non solùm Thomistæ, sed & Scotistæ asserunt; & utrique admittunt, eam propriâ dispositione assecutos fuisse, ut nos superiùs diximus, & ex Scotistis Frassen *Tract. 1. de Angelis disp.* 3. *a.* 1. *q.* 2. & 3. cur ergo non idem dici poterit de primo homine, quòd statim conditus ad Deum oculos mentis, & cordis aperiens, luce divinæ gratiæ fuerit perfusus? Si Angeli propriâ dispositione gratiam acceperunt, quia hic erat nobilior modus, qui creaturam rationalem decebat; cur non item decebat in homine, qui erat creatura rationalis, & in suis operibus rectificata, quia talis, qualis à Deo exibat?

§. III.

Argumenta Scoti, & aliorum.

XIII. Oppones primò. Apostolus 1. *Cor.* 15. *v.* 45. distinguens Adam à Christo: *Factus est* (inquit) *primus homo Adam in animam viventem*, *novissimus Adam in spiritum vivificantem*: sed vivificatio spiritus est per gratiam; ergo solius Christi est, quòd sit factus in gratia.

Respondeo, Apostolum ibi non loqui de primo, & secundo Adam quantùm ad animam, sed quantùm ad corpus. Ita D. Tho. hâc *q.* 95. *a.* 1. *ad* 1. his verbis: *Apostolus illa verba inducit ad ostendendum esse corpus spirituale*, *sicut corpus animale*; *quia vita spiritualis corporis incepit in Christo*, *qui est* primogenitus ex mortuis, *sicut vita corporis animalis incæpit in Adam*. *Non ergo in verbis Apostoli habetur*, *quòd Adam non fuit spiritualis secundùm animam*, *sed quòd non fuit spiritualis secundùm Corpus*. Unde de corpore, quod habuit Adam in sui conditione, & de corpore, quod habuit Christus in sui Resurrectione sermo est: illud fuit animale, quia indigens cibis more cæterorum animalium: istud spiritale, quia more spirituum poterat absque corporeis alimentis in æternum subsistere. Ita quoque S. August. *epist.* 205. *aliàs* 146. *ad Consentium c.* 2. & *l.* 13. *de Civit. Dei c.* 23.

XIV. Oppones secundò August. *lib. Quæst. vet. & novi Testam. q.* 123. dicere, quòd Adam non habuit Spiritum Sanctum, & utitur testimonio Pauli mox relato: *factus est primus homo Adam in animam viventem &c.* unde infert: *quid tàm apertum*, *quàm quòd Adam non habuit Spiritum Sanctum?* sed quicumque habet gratiam, habet Spiritum Sanctum; ergo Adam non fuit creatus in gratia.

Respondeo primò. Quòd si Adam non habuit Spiritum Sanctum, & proinde nec gratiam; ergo nedum non fuit in gratia conditus, sed illam nullo modo habuit, quod tamen nec Scotista, nec ullus Catholicus admittet: omnes enim fatentur, Adamum gratiam habuisse, quamvis non omnes asserant, eam habuisse in instanti suæ conditionis

XV. Respondeo ergo secundò. Librum illum *Quæst. vet. & novi Test.* non solùm non esse Augustini, cùm diverso stilo contineat Doctrinam Augustinianæ oppositam: sed nec esse alicujus Auctoris Catholici, cùm plura in hoc libro habeantur, quæ hæretica sunt, aut erronea: ut *quæst.* 2. quòd Deus invidiâ Diaboli Mundum condiderit: *quæst.* 21. & 45. mulierem non esse creatam ad imaginem Dei, quod est etiam contra Augustinum l. 3. de Genes. ad litt. c. 22. q. 100. Melchisedech non hominem fuisse, sed Spiritum Sanctum: *q.* 79. 80. & 83. Pelagianam hæresim sapere videtur; & alia, quæ eruditissimi Patres Maurini in Admonit. dicto libro præfixâ observant. Qui propterea conjiciant, librum illum potiùs esse fœtum Hilarii Sardi Diaconi sectâ Luciferiani, cui tribuuntur quoque commentaria in Epist.

in Epist. Pauli, olim sub nomine S. Ambrosii evulgata. Cujuscumque tamen opus sit, nullius certè auctoritatis esse debet.

XVI. Respondeo tertiò. Quòd si nolimus hanc causam discutere, dici poterit cum S. Thoma *hoc a. 1. ad 2.* quòd, ut dicitur *in eodem libro, non negatur, quin aliquo modo fuerit in Adam Spiritus Sanctus, sicut & in aliis justis; sed quòd non sic fuerit in eo, sicut nunc est in fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem hæreditatis æternæ statim post mortem.* Sed tutiùs est illius libri auctoritatem respuere.

XVII. Sed dices. Augustini certè sunt libri de Libero arbitrio: & tamen *lib. 3. c. 24.* apertè dicit, Adamum nec stultum, nec sapientem esse conditum.

Respondeo, hoc verum esse: sed hæc, & alia similia, quæ ex *lib. 2. de Genes. contrà Manich. c. 8.* ex *lib. 11. de Genes. ad litt. c. ultimo*, & ex *libro 1. contrà Adversar. legis c. 14.* possunt opponi, omnia retractavit, aut explicavit, aut moderatus est tùm alibi; tùm *l. 1. Retract. c. 9. 10. & 14. & lib. 2. c. 24.* Quibus in locis protestatur, se, dùm ageret contra Manichæos, unicè intentum fuisse impietati eorum confundendæ, qui originem mali ex libero creato arbitrio dici negabant, & Deum omnium naturarum Creatorem culpandum esse contendebant, volentes immutabilem quamdam & Deo coæternam introducere mali naturam. Cæterum si incidentes nonnullas quæstiones, quas vel enodare non poterat; vel longam sermocinationem requirebant; nec adhuc apparebat, quid potiùs congrueret veritati, protestatur ingenuè, ad hoc sermocinationem suam respexisse; ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Ita præsertim *l. 1. Retract. c. 9.* ubi ea, quæ in libris de Lib. arbitrio scripserat, recenset. Quare non est, cur quis argumentum trahat ex eo, quòd ibi incidenter dixerit, Adam nec stultum, nec sapientem fuisse ex sua natura; sed solùm concludere ex eo debet, Adam non fuisse naturâ suâ malum, ut Manichæi contendebant.

XVIII. Replicabis. Idem August. *l. de Corrept. & grat. c. 10.* ait: quod *Deus sic ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut priùs in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Primò ergo condidit hominem, & Angelum in sola naturali arbitrii libertate, & postmodùm ei gratiam contulit.

Respondeo primò. Quòd si ex his Augustini verbis colligitur, hominem in solis naturalibus conditum fuisse, hoc idem colligi debebit de Angelis, quod tamen Scotistæ non admittunt. Deinde, quòd sicut qui lapsi sunt, proprio arbitrio lapsi sunt; ita & qui steterunt, & Adam si stetisset, proprio arbitrio sine gratia stetisset, aut stare potuisse, quæ est hæresis Pelagiana.

XIX. Respondeo igitur secundò cum D. Tho. hoc a. 1. ad 3. *quòd ex illa auctoritate Augustini non habetur, quòd Angelus, vel homo priùs fuerit creatus in naturali libertate arbitrii, quàm habuisset gratiam: sed quòd ostendit, quid in eis posset liberum arbitrium ante confirmationem; & quid postmodùm consecuti essent per auxilium gratiæ confirmantis.* Cùm ergo secundùm August. Angeli sint creati in gratia (estò non statim confirmati) ut ait l. 12. de Civit. Dei c. 9. *erat simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, & eodem modo loquatur de homine; sequitur de mente S. D. esse, quòd etiam homo in ea conditus fuerit.

XX. Oppones tertiò. Natura plus distat à gratia, quàm gratia à gloria, quæ nihil aliud est, quàm gratia consummata: sed in homine gratia præcessit gloriam; ergo multò magis natura præcessit gratiam.

Hoc argumentum, cui confidunt Scotistæ, evidentem patitur instantiam in Angelis, in quibus gratia præcessit gloriam, & tamen natura non præcessit

sit gratiam; cùm juxta Scotistas gratiam in primo instanti habuerint. Respondetur ergo cum D. Thoma hoc a. 1. ad 6. & in 2. dist. 29. q. 1. a. 2. ad 3. *Quòd per gratiam aliquis meretur gloriam: & ideò convenienter gratia tempore gloriam præcedit. Sed per naturam non meretur gratiam: unde nihil impedit, ut simul cum natura gratia infundatur*. Estò autem in primo homine natura non præcesserit tempore gratiam, eam tamen præcessit præcedentiâ naturæ; quia, ut diximus, natura hominis in primo instanti, quo creata fuit, per auxilium gratiæ moventis conversa in Deum, in eodem instanti gratiam justificantem accepit. Ut enim docet D. Tho. hoc a. 1. ad 5. *Cùm motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet, etiam in primo instanti suę creationis, primum hominem gratię consensisse*. Ex quo apparuit etiam gratiam donum Dei esse.

DUBIUM IV.

An primus Homo fuerit conditus in Justitia Originali?

§. I.

Quid sit Justitia Originalis.

I. Non sumitur hìc justitia, ut est una ex cardinalibus virtutibus, sed quatenus significat rectum ordinem alicujus totius, & omnium potentiarum ejus, quarum unaquæque in suo ordine contineatur; ita ut rectè se habeat, tàm in ordine ad alias, quàm in ordine ad suos actus. Quæ propterea dicitur originalis, eò quòd primi Parentes eam cum origine acceperint, eamdemque ad Posteros transmisissent, non quidem vigore generationis, sed Deo in singulorum origine eam infundente, si non peccassent. Hujus ergo justitiæ originalis tres præcipui erant effectus. Primus, ac præcipuus, quòd anima, ejusque potentiæ rationales continerentur in perfecta, & totali subjectione, & obedientia Deo Auctori, nedum naturali, sed & supernaturali. Secundus, ut potentiæ inferiores sensitivæ continerentur in debita subjectione, & obedientia rationi; ità ut illi in nullo repugnarent. Tertius, ut corpus totaliter subjiceretur, & obediret animæ. Hoc expressè docuit D. Thomas hîc q. 95. a. 1. ubi, loquens de justitia primi hominis, ait: *Erat rectitudo secundùm hoc, quòd ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & anima corpus. Prima autem subjectio erat causa, & secunda, & tertiæ*. Quod repetit 4. *Contrag. c.* 52. & alibi. Ut ante docuerat S. August. *l.* 2. *de Peccatorum merit. c.* 33. ubi, describens justitiam primi hominis in Paradiso, & justitiam post lapsum, ait: *Cùm itaque primorum illorum hominum fuerit prima justitia obedire Deo, & hanc in membris adversùs legem mentis suæ legem concupiscentiæ non habere: nunc post eorum peccatum, natâ ex eis nostrâ carne peccati, pro magno obtinetur ab his, qui obediunt Deo, desideriis ejusdem concupiscentiæ non obedire*.

II. His pro certo suppositis, in controversia est: an justitia hæc originalis esset habitus merè naturalis, an supernaturalis; & quatenùs sit supernaturalis, an sit donum realiter à gratia sanctificante distinctum.

Circa primum censet Henricus, justitiam originalem fuisse naturalem homini: putat enim humanam naturam ex naturalibus sibi vindicare, quòd sit recta, & quòd habeat appetitum rationi subjectum, & rationem Deo, ut Auctori naturali; quòdque rebellio appetitus rationi sit effectus, & pœna peccati; ac propterea homo in naturalibus, & ratione rectâ perseverans, eâ caruisset. Attamen communis sententia obstat. Unde

§. II.

An Justitia Originalis fuerit donum supernaturale?

III. Dico primò. Justitia originalis collata primis Parentibus fuit donum supernaturale. Ita D. Thom. *hâc q.* 95. *a.* 1. cujus ratione probatur sic. Præcipuus justitiæ originalis effectus erat perfectè subiicere rationem Deo, ex qua nascebatur subjectio virium inferiorum rationi, & corporis animæ: sed subjectio corporis ad animam, & virium inferiorum ad rationem non erat naturalis, seu naturæ debita, aliàs mansisset post peccatum, cùm etiam in Dæmonibus naturalia post peccatum manserint; ergo *& illa prima subjectio, quâ ratio Deo subdebatur, non erat solùm secundùm naturam, sed secundùm supernaturale donum gratiæ: non enim potest esse, quòd effectus sit potior, quàm causa.* Ita S. Thomas. Quod confirmat ex August. *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 13. dicente: *Posteaquàm præcepti facta transgressio est, confestim gratiâ deserente divinâ, de corporum suorum nuditate confusi sunt.... Senserunt ergo novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Si ergo deserente gratiâ divinâ cæperunt carnis inobedientis motus sentire; igitur gratia divina, non natura, erat, quæ priùs illos continebat.

IV. Secundò prob. Si rectitudo originalis esset ex natura hominis, jam esset ex se determinata ad bonum rationis, & non ampliùs libera ad se conformandum illi, vel non se conformandum; quod est contra illud Ecclesiastici 15. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui &c.* & Augustini de Corrept. & grat. c. 10. *Deus sic ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut priùs in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium.*

Confirmatur. Si rectitudo illa fuisset homini naturalis, æqualiter fuisset in homine in puris naturalibus constituto: hoc autem falsum esse ostendemus, dùm de statu puræ naturæ agemus. Et probatur. Nam omni appetitui naturale est ferri in suum objectum summè, & quantùm potest; maximè si sit naturalis, non liber: cùm ergo appetitus sensitivus hominis, in puris naturalibus conditi, naturaliter tenderet in suum objectum delectabile, & toto conatu ad illud niteretur, certè actum rationis impediret, eique reluctaretur.

V. Sed dices primò. Mortalitas, & rebellio partis sensitivæ contra rationem sunt effectus, & pœnæ peccati; ergo si natura in puris, & integris naturalibus consisteret, rebellione careret; ergo non est ponendum propter hoc donum supernaturale.

Confirmatur. Homo propter peccatum Adæ non solùm donis gratuitis spoliatus est, sed etiam in naturalibus vulneratus; ergo non benè dicebamus cum D. Thom. quòd si justitia originalis esset naturalis, mansisset etiam post peccatum.

VI. Respondeo primò, dist. ant. sunt effectus, & pœna peccati, de facto, co. ant. absolutè, & spectatâ naturâ secundùm se præcisè, neg. ant. Suppositâ ergo collatione supernaturalis doni, per quod mortalitas, & rebellio excluderentur, quo dono privatus fuit homo propter peccatum, hujusmodi privatio de facto evasit pœna. At consideratâ naturâ hominis præcisâ à tali dono, subjici morti, & pati rebellionem, conditio naturæ fuisset, non pœna. Quemadmodum si homo plebejus ad statum nobilem sublimetur, deinde ob demerita ad plebejum statum iterum detrudatur; huic evadet pœna id, quod alioquin, præcisâ tali elevatione, propria conditio foret.

Ad confirm. eodem modo respondeo, hominem per peccatum dici vulneratum etiam in naturalibus, non relatè ad naturam secundùm se spectatam; sed relatè ad eam, ut de-

facto

facto condita à Deo fuit, nimirùm cum justitia originali habente vim rectificandi omnia, etiam naturalia, in ordine ad omne bonum, etiam connaturale homini. Quâ justitiâ ob peccatum amissâ, illa quoque perfectio periit, quâ potentiæ naturales in ordine ad sua objecta pollebant. Et hoc est esse in naturalibus vulneratum. Quamvis autem in aliquo pares essent homo in puris naturalibus conditus, & homo lapsus, quia uterque careret præfatâ rectitudine naturali; discriminantur tamen: quia homo in Adamo lapsus eâ caret in pœnam tanquam reus, & in eo est vera privatio; estque sicut homo antea vestitus, deinde spoliatus. At homo in puris naturalibus eâ careret ex conditione naturæ, & talis carentia esset ei mera negatio; sicut nudus, qui nunquam fuit vestitus, & sicut plebejus, qui semper plebejus fuisset. Ita probabiliter.

VII. Attamen etiam probabiliter respondeo secundò, primum hominem fuisse per peccatum, & spoliatum, & nudatum, & etiam vulneratum: spoliatum quidem gratuitis, vulneratum autem in naturalibus. Unde homo, qui in puris naturalibus esset conditus, differret ab homine, qui nunc ex Adamo nascitur, sicut nudus differt à nudato simul, & sauciato. Certum enim est, quòd naturalia hominis sunt per peccatum valdè vitiata, debilitata, & in malum proniora, quàm fuissent in homine in puris naturalibus constituto. Unde S. Thom. 1. 2. *q.* 85. *a.* 3. recenset quatuor vulnera naturæ, quibus, & alia adjungit articulis sequentibus. Et huc pertinet, quod Lucæ 10. refertur de homine descendente ab Jerusalem in Jericho, qui non tantùm fuit à latronibus spoliatus, sed etiam vulneratus, & plagis impositis semivivus relictus. Unde Augstin. serm. 2. *de verb. Apostoli* modò serm. 131. c. 6. *In mortem* (inquit) *lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semivivus in via relictus est.* Et Ambros l. 7. in c. 10. Lucæ. *Qui sunt* (inquit) *isti latrones, nisi Angeli noctis & tenebrarum? Hi autem despoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueverunt. Cave ergo, ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati Cœlestis custodiâ destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic lethale vulnus accepit.* Sed de his fortè inferiùs.

VIII. Dices secundò. Voluntas in puris naturalibus est recta: curvitas enim non videtur pertinere ad naturam ejus, aliàs refunderetur in Deum, qui est illius Auctor; ergo si conderetur absque ullo supernaturali, haberet rectitudinem originalem.

IX. Respondeo primò, dist. ant. est recta rectitudine excludente peccatum, omitto ant. rectitudine excludente rebellionem appetitus, & mortalitatem, nego ant. & similiter dist. consequens. Dato enim voluntatem humanam ex suis naturalibus, secundùm quæ à Deo est, esse rectam, & non curvam ad malum morale; hoc enim habet ex quo est ex nihilo, & libertate defectuosâ: non tamen est recta per exclusionem rebellionis, & pugnæ appetitus contra ipsam; hoc enim est malum physicum ex conditione suæ naturæ illi conveniens.

X. Respondeo secundò, dist. aliter ant. voluntas naturalis, co. ant. voluntas libera, & moralis, nego ant. Responsio est D. Thom. *q.* 2. *de Malo a.* 3. *ad* 2. dicentis: *Voluntas secundùm suam naturam est bona, unde & actus ejus naturalis semper est bonus. Et dico actum naturalem voluntatis, prout homo vult felicitatem naturaliter, esse, vivere, & beatitudinem. Si autem loquamur de bono morali, sic voluntas secundùm se considerata, nec est bona, nec mala; sed se habens in potentia ad bonum, & malum.*

XI. Neque dicas, præsertim contra primam responsionem, hinc sequi concupiscentiam esse homini naturalem, & consequenter etiam à Deo.

Etenim dico, quòd naturale dupliciter dicitur. Uno modo, quòd ex na-

turæ principiis natum est sequi: & sic homini, secundùm solam naturam considerato, concupiscentia quodammodo est naturalis; quia in natura sufficiens principium est concupiscendi, ratione partis inferioris. Unde D. Thomas *q. 25. de Verit. a. 7. in corp.* ait: *Quòd enim homini in primo statu collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, & anima corpus: non fuit ex virtute principiorum naturalium, sed ex virtute originalis justitię, ex divina liberalitate superadditę. Quâ quidem justitiâ per peccatum sublatâ, homo rediit ad statum convenientem sibi per principia sua naturalia... sicut ergo naturaliter homo moritur, nec ad immortalitatem reduci potest, nisi miraculosè; ita naturaliter concupiscibilis tendit in delectabile, & irascibilis in arduum pręter ordinem rationis.* Et in respons. ad 5. *Hujusmodi* [inquit] *corruptio quamvis sit contra statum naturę primitùs institutę: est tamen consequens principia naturę sibi relictę.* His consentiens Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis c. 7.* affirmat, concupiscentiam futuram fine dubio naturalem in puris naturalibus; non quidem ut bonum, sed ut defectum naturæ, ac morbum ex conditione materiæ consequentem.

XII. Neque tamen dicendum absolutè est, quod concupiscentia sit à Deo. Primò. Quia non est secundùm conditionem naturæ primitùs ab eo institutæ, sed ex defectu naturæ degenerantis ab eo statu, in quo Deus eam condiderat. Secundò. Quia facultas quidem, seu potentia concupiscibilis à Deo Auctore naturæ est: at, quod ea, etiam in puris naturalibus constituta, ferretur in delectabilia præter ordinem rationis, esset morbus, vel naturæ defectus, quem Deus non caufaret, neque vellet, quamquam non impediret, cuique homo deberet resistere.

XIII. Alio modo naturale dici potest id, quòd vel est bonum naturæ, vel ex intentione Auctoris naturæ; & sic concupiscentia non est naturalis, sed contra naturam, cui naturale est sequi rationem, & ei omnia subjicere. Unde si homo fuisset conditus in statu purè naturali, fuisset constitutus cum aliqua rectitudine partium inferiorum ad superiores, & ad Deum; naturale enim est inferiora à superioribus regi. Unde D. Tho. 1. 2. *q. 82. a. 3. ad 1.* docet, quòd *in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione; quòd concupiscere est homini naturale, inquantùm est secundùm rationis ordinem: concupiscentia autem, quę transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* Quia tamen homo in puris naturalibus conditus non habuisset gratiam; & talis rectitudo non potest esse firma sine gratia, ut tradit idem S. Doct. *q. 5. de Malo a. 1. ad 13.* ideò concedendum est, quòd in illo statu non defuissent motus concupiscentiæ, mali quidem, & pudendi, quatenùs essent contra rationem, & ad peccatum inclinarent; eorum tamen malitia in Deum referenda non esset, qui hominem in aliqua rectitudine constituisset, quamvis pronum ad errores, voluptates, & oblectamenta sensuum.

§. III.

An Justitia Originalis esset distincta à gratia sanctificante?

XIV. Loquor de justitia originali, quæ de facto fuit in Adamo elevato ad ordinem supernaturalem. Nam de justitia originali, in qua condi homo potuisset, si vel in puris naturalibus, vel sine gratia formatus fuisset; nimirum de quadam rectitudine, seu justitia naturali, quâ absque gratia gratum faciente esset rectus, haberetque omnes partes, seu potentias, saltem ad aliquod tempus, benè ordinatas, dubium non est, quin à gratia esset distincta, imò separata.

Scotistæ, imò & Thomistarum aliqui censent, justitiam originalem fuisse

fuisse donum à gratia sanctificante distinctum, imò plura dona animam, & potentias rectificantia. Alii etiam ex nostris volunt, justitiam originalem fuisse ipsam gratiam sanctificantem cum speciali vigore.

XV. Circa quod noto, justitiam originalem posse sumi dupliciter. Vel adæquatè, ut includebat omnes eas perfectiones, quæ Adamo (& Posteris ejus, si permansisset) collatæ fuerunt, quarum aliquæ animam, aliæ potentias ejus rectificabant. Vel inadequatè, pro ea dumtaxat perfectione, quæ erat primaria, principalis, & radix, seu origo cæterarum. Hoc notato.

XVI. Dico primò. Justitia originalis, adæquatè sumta, non erat unus simplex habitus, sed plurium donorum, vel habituum aggregatio residentium partim in anima, partim in potentiis ejus. Hæc assertio manifesta est, & si hoc intendant Contrarii, non dissentimus. Etenim unus, & idem habitus non potest tam diversas inter se animi, corporisque facultates regere, aut in subjectis tàm diversis residere; ergo si justitia originalis adæquatè sumatur, plures habitus includebat.

XVII. Dico secundò. Justitia originalis inadęquatè, & secundùm effectum formalem primarium, quem ponebat in anima, & quo erat origo, & radix cæterorum, erat unus realiter habitus, nempè gratia sanctificans; quæ licèt esset ejusdem speciei cum nostra, ex diverso tamen modo informandi ab eo, quem habet nunc, erat origo multarum perfectionum, quæ modò ex ea non pullulant. Hanc judico esse mentem D. Thomæ. Nam hìc 1. p. q. 95. a. 1. ubi inter effectus justitiæ originalis, primum, & qui erat causa cæterorum, ponit subjectionem animæ, seu rationis ad Deum *secundùm supernaturale donum gratiæ:* & referens Augustinum 13. *de Civit. Dei* dicentem, quòd primi Parentes *gratiâ deserente Divinâ*, post peccatum statim rebellionem carnis experti sunt; concludit: *ex quo datur intelligi, si, deserente gratiâ, soluta est obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur:* porrò gratia in anima existens est gratia gratum faciens. Et q. 100. a. 1. ad 2. ex quo gratia gratum faciens sit radix originalis justitiæ, probat, quòd in statu innocentiæ homines, si nati fuissent in justitia originali, nati quoque fuissent in gratia. En verba S. D. *Sed cùm radix originalis justitia, in cujus rectitudine factus est homo, consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, qua est per gratiam gratum facientem, ut supra dictum est* [q. 95. a. 1.] *necesse est dicere, quòd si pueri nati fuissent in originali justitia, etiam nati fuissent cum gratia.* Hæc antem illatio bona non fuisset, si justitia originalis fuisset habitus à gratia sanctificante realiter distinctus; potuisset enim ab illa separari.

XVIII. Deinde 1. 2. q. 83. a. 2. ad 2. ostendit, quòd sicut peccatum originale, quia traducitur cum natura, per priùs est in essentia animæ: ita justitia originalis, quia erat donum datum naturæ. *Etiam*, inquit, *originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ. Erat enim donum divinitùs datum humana natura, quam per priùs respicit essentia anima, quàm potentia. Potentię enim magis videntur pertinere ad personam, inquantùm sunt principia personalium actuum: unde sunt propria subjecta peccatorum actualium, qua sunt peccata personalia.* Atqui sola gratia sanctificans residet in essentia animæ; virtutes verò, habitus infusi, & alia dona sunt in ejus potentiis, ut tradunt Theologi *in Tract. de Gratia*, & docet D. Tho. 1. 2. q. 110. a. 4. ergo justitia originalis quantùm ad primarium illius effectum, qui erat radix, & origo cæterorum, non erat aliqua virtus, donum, vel habitus à gratia sanctificante distinctus.

XIX. Adesse potest etiam ratio. Nam

Nam gratia gratum faciens est formalis participatio divinæ naturæ, & quasi natura in ordine supernaturali radicans in creatura intellectuali omnes habitus, ac virtutes in tali ordine; ergo sicut in Deo omnium, quæ essentialiter illi conveniunt, radix, & primum principium est natura divina: ita omnium, quæ in ordine ad finem supernaturalem creaturæ rationali participatè communicantur, radix, & principium erit gratia sanctificans. Unde ex primo ejus effectu, qui est animam subdere, & conjungere Deo, originantur omnes alii effectus, nempè subjectio appetitus rationi, & corporis animæ.

XX. Secunda vero pars, quòd nimirùm ejusmodi effectus provenirent quidem à gratia, non præcisè secundùm suam speciem sumtâ, sed ratione alicujus modi specialis, quo in illo statu animam informabat, patet. Nam in Adamo per pœnitentiam recuperata fuit gratia, & in omnibus Justis gratia est secundùm suam speciem; & tamen nec in Adamo post pœnitentiam radicavit, neque in Justis modò radicat ea dona, quæ justitiam originalem constituebant.

Quemadmodum igitur eadem gratia specie est in Justo viatore, & in Beato erit post Resurrectionem: & tamen in isto ab ea redundabunt dotes in corpus, quæ in illo non redundant; & hoc ex plenissimo dominio, quod habebit supra animam, à quo redundabunt dotes in corpus: ita proportionaliter in statu innocentiæ ratione dominii, quo sibi perfectè subjecisset mentem, radicasset subjectionem perfectam appetitus rationi, & corporis animæ, quibus omnibus donum justitiæ originalis integrabatur.

Nec mirum, quòd gratia invariata secundùm speciem, ratione diversi modi, fiat potens radicare diversos effectus in uno, quos non radicat in altero. Quod patet in gratia Christi, quæ cùm sit gratia Capitis, influit gratiam in nos; & in gratia sacramentali, quæ tribuit diversos effectus, quos gratia secundùm se non præstat. Et hoc est quod ait D. Thomas *in 2. dist. 32. q. 1. a. 2. ad 2.* quod *excludere hujusmodi pœnalitates non est effectus justitię, quantùm justitia est: sed fuit effectus originalis justitię ratione cujusdam accidentis sibi annexi, inquantùm scilicet fuit continuata, & non intercisa in natura humana: decuit enim, ut sicut anima sine interruptione in Deum dirigebatur per justitiam: ita etiam corpus animę sine interruptione totaliter obediret: & ideò non oportet, quod ille effectus gratuitę justitię conveniat, cùm facta fuerit interruptio rectitudinis humanę naturę ad Deum.*

XXI. Quâ doctrinâ prævenitur principale contrariæ sententiæ fundamentum, nempe, quòd si justitia originalis esset indistinctum donum à gratia habituali, sequeretur, quòd cùm Adamo per pœnitentiam restituta fuerit gratia habitualis, restituta quoque ei fuisset justitia originalis; sicut & nobis in Baptismo conferretur cum gratia justitia originalis.

Respondeo enim, quòd esse justitiam originalem non conveniebat justitiæ, seu gratiæ, inquantùm justitia, seu gratia est, sed ratione cujusdam accidentis annexi; quia scilicet continuata, & non interrupta in natura humana, ratione cujus, sicut anima sine interruptione obediebat Deo; ita partes inferiores sine interruptione obediebant animæ, & rationi. Verùm gratia, quæ Adamo per pœnitentiam restituta fuit, & quæ datur nobis in Baptismo, est gratia in humana natura discontinuata, & intercisa per peccatum Adæ; unde non datur cum pleno dominio supra animam, seu cum vigore subjiciendi perfectè corpus animæ, & appetitum rationi: ideòque est quidem eadem specie justitia, sed non qualis in origine fuit.

XXII. Sed objicies primò. Non potest idem habitus per se primò respicere naturam, & personam: sed justitia

tia originalis per se primò respiciebat naturam, erat enim bona dispositio naturæ, ut à primo capite per generationem propagandæ: gratia verò sanctificans per se primò respicit personam, quam sanctificat; ergo &c.

Respondeo, omissâ maj. neg. min. Gratia enim primi hominis cùm esset gratia Capitis totius generis humani, & transfundenda cum natura in Posteros, si in ea permansisset; non solùm respiciebat personam, cui erat principium merendi, sed etiam naturam, & erat gratia naturæ: sicut in sententia contraria habitus justitiæ originalis non solùm respiciebat personam, quam justam, rectamque faciebat, sed etiam naturam; quia cum natura transfundenda erat, utpote originalis: & sicut gratia Christi, quia gratia Capitis, nedùm Christi animam, cui erat connaturale merendi principium, respiciebat, & adhuc respicit, sed dat potestatem filios Dei fieri hominibus, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* [Jo. 1. v. 13.] Quomodo autem cum natura transfusa fuisset gratia, dicemus infra.

XXIII. Objicies secundò ex Scoto. Justitia originalis se habet ad gratiam, quæ est principium merendi, sicut excedens ad excessum; nam firmiùs conjungebat voluntatem ultimo fini, quàm gratia; & ità, ut secum non pateretur aliquod peccatum adhuc veniale: subigebat adeò inferiores vires, ut ab eis nullam pateretur resistentiam; ergo &c.

Confirmatur. Gratia perficit hominem solùm in ordine ad finem supernaturalem; justitia autem originalis perficiebat etiam in ordine ad finem naturalem: unde poterat dari etiam in homine constituto in puris naturalibus; ergo est donum diversum à gratia.

XXIV. Respondeo, negando conseq. Solùm enim sequitur, gratiam prout erat quoque justitia originalis, habuisse diversum, ac firmiorem statum, eo modo, quo dicitur de gratia consummata; & habuisse plenius dominium supra corpus, & supra vires inferiores, ut nuper dicebamus: non autem quòd fuerit habitus essentialiter diversus.

Ad confirmationem fateor, posse dari justitiam originalem merè naturalem, qualis potuisset esse, si homo in integritate merè naturali conditus fuisset. Verùm quia jam dictum est, justitiam originalem, quæ de facto fuit collata Adamo, non fuisse merè naturalem, sed subjicientem rationem Deo ut Auctori supernaturali; nego hanc potuisse à gratia separari: imò dico, esse eamdemmet gratiam, quæ, cùm perfectè dominaretur rationi, & inferioribus viribus, eas ad finem supernaturalem, & consequenter etiam ad naturalem, immobiliter ordinasset.

§. IV.

Effectus, & dona ex Gratia Originali procedentia.

XXV. Ex dictis apparet, quòd gratia, seu justitia originalis quamvis secundùm primarium suum effectum resideret in essentia animæ, eam firmiter cum Deo conjungendo, eique subjiciendo; ex hoc tamen refundebantur in ejus potentias plures alii habitus, & dona eas rectificantia. Modò examinare placet, quænam ista fuissent.

XXVI. Primò ex hac felici subjectione ad Deum redundabat in intellectu lumen, quo adeò firmiter vero adhæreret, ut nec errare, aut decipi posset; omnium enim naturaliter cognoscibilium certam cognitionem habuisset, modo superiùs explicato, sicut & omnes scientias, quæ ad rectam hominum administrationem necessariæ sunt.

Et quidem in illo felici statu Adamum errare, aut decipi non potuisse, communiter sentiunt Theologi cum D. Th. 1. p. q. 94. a. 4. post D. August. *lib. 3. de*

3. *de Lib. arb. c.* 18. dicentem: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Quare in *Enchiridio* c. 21. inter mala, & miserias hujus vitæ deputat errorem, ac deceptionem. Sic ergo dico: omnis error, vel deceptio, est malum hominis pertinens ad malum pœnæ: sed malum pœnæ non infligitur ante malum culpæ; ergo in statu, in quo non fuisset culpa, nec fuisset error. Si namque in eo statu nullum pateretur homo malum in corpore, puta mortem, ægritudinem, famem, sitim; multò minus malum aliquid, seu defectum pateretur in anima, & mente.

XXVII. Accedit etiam ratio. Nam error, sive deceptio dupliciter contingere potest. Vel involuntariè simpliciter; vel aliquo modo voluntariè, voluntate nimirùm applicante intellectum ad judicium falsum, vel erroneum de aliquo objecto, quod, passione instigante, inordinatè amat, vel detestatur: sed neutro modo, statu innocentiæ durante, contingere potuisset. Et quidem non hoc secundo modo: nam tunc, cùm pars inferior perfectè obediret rationi, nulla esset passio obscurans, ac perturbans rationem, quâ voluntas mota applicaret mentem ad judicium falsum, vel erroneum. Nec etiam potuisset contingere primo modo; quia teste D. Tho. *a.* 4. citato, hoc rectitudo illius status non patiebatur. Involuntaria enim deceptio, sive error, non contingit, nisi ex aliquo inferiori, puta phantasiâ, quo ligato, vel turbato, mens quoque in suo judicio turbatur, ut in amentibus, vel dormientibus apparet; intellectus enim circa proprium objectum semper verus est, nec ex seipso decipi potest: at in statu innocentiæ, in quo, ratione perfectè subjectâ Deo, inferiora omnia rationi adeò obsequebantur, ut ejus officium nullatenus impedirent, quin potiùs ei sincerè inservirent, phantasiæ turbatio accidere non poterat; ergo neque involuntarius error, seu deceptio circa intellectum. *Sicut enim* (inquit S. Tho. citatus) *in membris corporis primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicujus, puta claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat; ita in intellectu poterat esse carentia notitiæ alicujus, nulla tamen poterat ibi esse existimatio falsi.* Quomodo autem contingere potuerit deceptio Hevæ, & si velis etiam Adami, ex suggestione serpentis, dictum est supra *Dub.* 2. §. 1. *n.* 13. 14. & 15. cum D. Tho. hoc *a.* 4. *ad* 1.

XXVIII. At dices primò. August. 12. *de Genes. ad litt. c.* 2. dicit, quòd *in somno adhæret anima similitudini, tanquam ipsi rei*: sed homo in statu innocentiæ comedisset, & per consequens dormivisset, & somniasset; ergo deceptus fuisset adhærendo similitudinibus tanquam rebus.

Variæ sunt de somniis in statu innocentiæ opiniones. Quidam putant, nulla tunc futura fuisse somnia. Alii pro somniis futuram fuisse dicunt continuam Dei contemplationem. Alii divinas revelationes loco somniorum futuras arbitrantur. S. Thomas tùm hìc *ad* 4. tùm *q.* 18. *de Verit. a.* 6. *ad* 14. admittit in eo statu somnia.

Respondeo ergo cum S. D. hìc *ad* 4. quòd id, quòd accidit in somnio, non est actus hominis, quia non est cum usu rationis. Et loco citato de Verit. ait: *Somnii visio non est in parte intellectiva, sed in sensitiva; unde deceptio non fuisset in intellectu, qui liberum usum in somno non habuisset, sed magis in parte sensitiva.* Eò vel maximè, quia, ut docet hoc *a.* 4. *ad* 3. si aliter præsentatum fuisset in somnio sensui, vel phantasiæ, quàm sit in rerum natura, cùm evigilasset, per rationem veritatem dijudicaret.

XXIX. Dices secundò. Homo in statu innocentiæ nescivisset secreta, & cogitationes cordis, & futura contingentia, ut diximus supra; ergo si super his aliquis ei falsum diceret, deceptus fuisset.

Respondeo cum D. Tho. *hoc a.* 4. *ad* 5. ne-

5. negando conseq. Nam *alicui dicenti falsum de contingentibus futuris, vel cogitationibus cordium, homo in statu innocentiæ non credidisset ita esse; sed credidisset, quòd hoc esset possibile. Et hoc non esset existimare falsum. Vel potest dici, quod divinitùs ei subventum fuisset, ne deciperetur in his, quorum scientiam non habebat. Nec est instantia, quam quidam afferunt, quòd in tentatione non fuit ei subventum, ne deciperetur, licèt tunc maximè indigeret: quia jam praecesserat peccatum in animo, & ad divinum auxilium recursum non habuit.* De hoc alia plura videantur *q.* 18. *de Verit. a.* 6.

XXX. Secundò in voluntatem redundassent dona, quibus in bono supernaturali, & naturali firmaretur; habitus spei, caritatis, religionis, quà Deo cultum, & honorem, tàm interiori animi veneratione, quàm externis ritibus, & cæremoniis exhiberent; justitiæ quoque, quæ cuique suum præberet. Unde D. Thom. 1. *2. q.* 82. *a.* 3. ostendit, quòd præcipuus effectus originalis justitiæ priùs erat in voluntate, quàm in aliis potentiis. *Tota enim ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quòd voluntas hominis erat Deo subjecta. Quæ quidem subjectio primò, & principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem.* Ex quo infert ab opposito, id, quod formale est in peccato originali, esse in voluntate; quia ex aversione voluntatis à Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis viribus, quæ ad peccatum originale se habet tanquàm materiale.

XXXI. Tertiò. In appetitu sensitivo, nempè irascibili, & concupiscibili aderant virtutes morales, quibus appetitus domatur, & rationi obediens efficitur; præsertim verò temperantia, & fortitudo, quas justitia originalis in gradu perfectissimo continebat; ut inferiores vires adversùs rationem insurgere nequaquam possent.

XXXII. Ex hoc D. Tho. 1. 2. *q.* 89. *a.* 3. *Q.* 7. *de Malo a.* 7. & alibi infert, hominem in statu innocentiæ permanentem nec venialiter peccare potuisse. Nam veniale peccatum *in nobis contingit, vel propter imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere peccatorum mortalium; vel propter inordinationem existentem circa ea, quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem. Utrumque autem horum contingit propter quemdam defectum ordinis, ex eo, quòd inferius non continetur firmiter sub superiori. Quòd enim in nobis insurgat subitus motus sensualitatis, contingit ex hoc, quòd sensualitas non est omninò subdita rationi. Quòd verò insurgat subitus motus in ratione ipsa, provenit in nobis ex hoc, quòd ipsa executio actus rationis non subditur deliberationi, quæ est ex altiori bono* (nempè lege æterna, quam deliberans consulit, ut docuit 1. 2. q. 74. a. 10.) *Quòd verò humanus animus inordinetur circa ea, quę sunt ad finem, servato debito ordine ad finem, provenit ex eo, quòd ea, quę sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine, qui tenet summum locum, quasi principium in appetibilibus ... In statu autem innocentię, ut in prima parte habitum est* (q. 72. a. 5.) *erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiù summum hominis contineretur sub Deo, ut etiam August. dicit* 14. *de Civit. Dei* (cap. 13.) *& ideò oportebat, quòd inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc, quòd summum hominis non subderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet, quòd homo in statu innocentię non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.* Ita D. Tho. 1. 2. *q.* 89. *a.* 3. laudato. Quare ibidem *ad secundum*, & citatâ *q.* 7. *de Malo a.* 7. *ad* 12. & 13. docet, quòd primum peccatum hominis fuit elatio, quà contra Deum superbivit, quam subsequuta est cupiditas experiendi in viro, & dubitatio in muliere. Sed de hoc fusior sermo erit *Qu.* 5. *Dub.* 7.

Alia privilegia redundabant ex justitia originali etiam in corpus, ut-

potè immunitas ab ægritudinibus, morte, &c. de quibus erit quæstio inferiùs.

DUBIUM V.

An in statu Innocentiæ transfusa fuisset justitia originalis in Posteros, & simul gratia ut sanctificans, & an in gratia fuissent confirmati?

§. I.

Resolvitur prima pars.

I. Dico. In statu innocentiæ transfusa fuisset justitia originalis in Posteros, & consequenter etiam gratia sanctificans: unde in illo statu homines nati fuissent cum justitia, & gratia. Ita S. Thomas 1. *p. q.* 100. *a.* 1. in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *I.* 2. *q.* 81. *a.* 2. & alibi. Probatur primò ratione ejusdem S. Doct. Homo generans naturaliter generat sibi simile in natura speciei, & in accidentibus, quæ consequuntur naturam speciei, vel sunt ipsi debita; ergo necesse est, ut in his filii similentur parentibus, nisi sit error in operatione naturæ, qui in statu innocentiæ non fuisset: sed justitia originalis, in qua primus homo conditus fuit, erat accidens naturæ speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantùm sicut quoddam donum divinitùs datum toti naturæ; ergo omnes, qui ex illo primo homine naturam traxissent, cum natura traxissent etiam originalem justitiam. Eo ferè modo, quo si in aliquo uno tota familia Feudo, vel titulo honorifico à Rege donaretur, omnes ex illa familia per illum unum prognati, eodem Feudo, vel titulo decorati nascerentur.

II. Confirmo ex eodem D. Thom. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. & in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. In generatione est quædam circulatio, quæ redit non ad idem numero, sed ad idem specie: homo enim generat hominem, non Sortes Sortem: unde genitum assimilatur generanti in omnibus illis, quæ ad naturam speciei pertinent, nisi adveniat impedimentum, non autem in illis, quæ consequuntur rationem individui. Et licèt aliquando contingat filium assimilari generanti in aliquibus accidentibus individualibus, & personalibus, hoc tantùm accidit in corporalibus; ut si robustus generet robustum, albus album, & podagricus podagricum; non tamen in perfectionibus animæ, saltem secundùm actum: unde Grammaticus non generat, nec traducit in filium scientiam Grammaticæ, quam personali studio acquisivit, nisi fortè secundùm aptitudinem; quia ex complexione corporis unus est habilior altero ad scientiam, vel virtutem. Atqui justitia originalis fuit donum datum Adamo, non ratione personæ, sed naturæ: fuit enim gratia toti naturæ humanæ divinitùs collata in ipso, si permansisset; ergo simul cum natura in Posteros traducta fuisset.

III. Probo secundò ex eodem Sancto Doctore loco ex 1. *par.* laudato. Oppositorum eadem ratio est: sed peccatum Adami, & inobedientia illius fuit peccatum originis, & inobedientia totius naturæ, quam privatio justitiæ in tota natura secuta est; ideòque originale peccatum traducitur in Posteros, dicente Paulo Rom. 5. v. 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; ergo ab opposito obeditio Adami fuisset obeditio, & conservatio justitiæ totius naturæ, & traducta cum natura in Posteros. Videatur S. Doct. in *c.* 5. *ad Roman. lect.* 3. ubi docet, amissionem originalis justitiæ simul cum natura traduci in Posteros, sicut originalis justitia; quia primo homini erat divinitùs collata *non solùm, ut erat persona quadam singularis, sed etiam, ut erat principium humanæ naturæ; ut scilicet eam simul cum natura in Posteros traduceret.*

IV.

IV. Ex his infertur secunda pars, nempè in statu innocentiæ homines nascituros in gratia sanctificante. Cùm enim, ut superiùs dicebamus, hæc non distingueretur à justitia originali; imò præcipuus hujus effectus, qui erat perfectè subdere animam Deo, præstaretur ab illa; consequens est, ut in quos transfunderetur originalis justitia, transfunderetur & gratia. Unde D. Thom. 1. p. q. 100. a. 1. ad 2. *quidam* (inquit) *dicunt, quòd pueri non fuissent nati cum justitia gratuita, quæ est merendi principium, sed cum justitia originali. Sed cùm radix originalis justitiæ, in cujus rectitudine factus est homo, consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem.... necesse est dicere, quòd si pueri nati fuissent in originali justitia, etiam nati fuissent cum gratia; sicut & de primo homine supra diximus, quòd fuit cum gratia conditus.*

V. Quia verò potuisset aliquis objiecere, quòd gratia non esset ampliùs gratuita, sed naturalis; prævenit hanc objectionem, subjungens: *Non tamen fuisset propter hoc gratia naturalis: quia non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim cùm habuisset animam rationalem. Sicut etiam statim cùm corpus est dispositum, infunditur à Deo anima rationalis, quæ tamen non est ex traduce.* Unde Anselmus *lib. de Conceptu Virg. c.* 10. relatus à S. Thoma ibi *in arg. sed contra*, dicit: quòd *simul cùm rationalem haberent animam, justi essent, quos generaret homo, si non peccaret.* Quod dixerat quoque S. Thom. in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. in fine art. dicens: *non intelligitur gratia in Posteros propagari à parentibus, quasi per virtutem seminalem gratiam filii consequerentur: sed quia cum transfusione naturæ, cui ex provisione divina gratia debebatur, simul gratia infusa fuisset.* Hinc justitia originalis erat naturalis, non quasi causata ex principiis naturæ; sed quasi propaganda cum natura ex pacto, & ordinatione divina, ut docet hîc *q.* 100. *a.* 1. *I.* 2. *q.* 81. *a.* 2. 4. *Contrag. c.* 52. *&c.*

§. II.

An Homines in statu Innocentiæ nati fuissent in gratia confirmati?

VI. Negativè respondet D. Thom. hîc *q.* 100. *a.* 2. & in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. cujus hæc ratio est. Manifestum est, quòd pueri in sua nativitate plus perfectionis non habuissent, quàm eorum Parentes in statu generationis: sed Parentes quamdiù generassent, non fuissent confirmati in justitia, seu gratiâ; ergo nec qui ex illis nascerentur. Min. prob. Creatura rationalis secundùm legem communem (quidquid sit de aliquo privilegio speciali, sicut creditur de Virgine Matre Dei) quamdiu vivit in hac vita, in justitia, & gratia non confirmatur; sed tunc solùm, quando efficitur beata per claram Dei visionem; *cui viso non potest non inhærere, cùm ipse sit ipsa essentia bonitatis, à qua nullus potest averti, cùm nihil desideretur, & ametur, nisi sub ratione boni.* Et rationem reddit etiam *q.* 5. *de Malo a.* 5. *ad* 8. quòd conditioni corporis correspondere debebat conditio animæ; sed dùm homo etiam innocens hîc viveret, & generaret, habebat adhuc corpus animali vitâ vivens; ergo & anima mutabilis erat, & nondum firmata in bono, & perfectè spiritualis effecta.

VII. Hoc idem docet in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. ubi postquàm ut magis probabile asservit: *quòd si Adam in prima tentatione perstitisset, nondùm statim confirmationem justitiæ fuisset adeptus: sed quando in spiritualem vitam fuisset translatus, simul immortalitatem accepisset in corpore, & justitiæ confirmationem in anima*; post multa subjungit: *si tamen concedatur, quòd Adam confirmatus fuisset statim post victoriam tentationis, adhuc non sequitur,*

quòd filios confirmatos in justitia genuisset; quia hoc sequebatur actus personales ejus: at ita erat perfectio ad personam pertinens, quam non opottet in filios propagari; sicut si Adam donum Philosophiæ habuit, vel miracula faciendi, non oportet, quòd filii ejus hoc habuissent.

VIII. At dices. Si in statu innocentiæ homines non essent confirmati in gratia, jam possent peccare, & aliquis eorum de facto mortaliter peccaret; & sic fieri possent filii gehennæ: sed hoc est contra Gregorium *L. 4. Moral. c. 28.* dicentem: *si parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed hi, qui nunc per Redemtorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur*; ergo &c.

Primò respondet D. Thom. hâc *q. 100. a. 2. ad 1.* dist. maj. filii gehennæ per peccatum propriâ voluntate patratum, co. ma. per peccatum ab Adamo contractum, nego maj. *Si Adam* [inquit] *non peccasset, non generaret ex se filios gehennæ, ita scilicet, quòd ab ipso peccatum contraherent, quod est causa gehennæ, possent tamen fieri filii gehennę per liberum arbitrium peccando.*

Secundò respondet, quòd *si filii gehennę per peccatum non fierent, hoc non esset per hoc, quòd essent in justitia confirmati; sed propter divinam providentiam, per quam à peccato conservarentur immunes.* Unde etsi ex speciali gratia Dei de facto nullus eorum peccasset, quilibet tamen eorum peccare potuisset. Vel si aliquis etiam peccasset, nullus impœnitens, peccato non expiato, decessisset; & sic verum est, quod Gregorius dicit: *soli ab illo electi nascerentur.*

IX. Dubium tamen exurgit ex illis Gregorii verbis: *hi qui nunc per Redemtorem salvandi sunt;* an solæ eædem numero personæ tunc nascerentur, quæ modò salvantur.

Cui negativè respondeo. Multi enim, qui nunc salvantur, nati sunt ex eodem quidem Parente, sed ex diversis uxoribus, ut filii Jacob: multi nati sunt ex fornicatione, vel adulterio. In statu autem innocentiæ, nec essent pluralitas uxorum, nec fornicationes, nec adulteria: & proinde alii essent Parentes, & alii filii; ergo multi, qui nunc nascuntur, & salvantur, tunc nec nascerentur, nec salvarentur. Ita S.Th. *Quodlibeto 5. a.8.* qui ad Gregorii verba: *hi soli, qui nunc salvandi sunt, nascerentur* (dicit) quòd *pronomen facit simplicem demonstrationem; quia scilicet soli Electi nascerentur, quantùm est ex ratione originis, non quantùm ad demonstrationem personalem, quia aliæ personæ essent hominum, qui salvarentur.*

X. Dices secundò. Anselmus *l. cur Deus homo c. 18.* dicit: quòd *si primi parentes vicissent, ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, ut ultra peccare non possent;* ergo pueri nascerentur in justitia confirmati.

Scotus in *2. dist. 20. q. 1.* estò non admittat, pueros tunc nascituros in gratia confirmatos, ac si confirmatio in gratia transfunderetur, quasi jure hæreditatis; admittit tamen, quòd, si primam tentationem vicissent, confirmandi fuissent in gratia, ut non essent amplius peccaturi, estò maneret in eis potentia peccandi: & hoc ad differentiam Beatorum, qui sic in gratia confirmantur, ut nec de facto peccaturi sint, nec possint peccare. Hoc autem dicit Scotus, quia putat, quòd etiam Adamus, si primam illam tentationem vicisset, in gratia confirmatus fuisset. Unde juxta hanc doctrinam dicit, Anselmum velle, non quòd si Adam non peccasset, eo ipso ipsius filii essent in gratia confirmati, sicut & ipse esset: sed quòd futurum esset, ut filii post devictam primam tentationem fuissent confirmati, sicut ipse confirmatus fuisset, si revera primam tentationem superasset.

XI. Non displiceret hæc doctrina, si Scotus, quod supponit, etiam probaret; nempe, quòd Adam, si primam tenta-

tentationem vicisset, in gratia confirmatus fuisset: & rursùs, quòd Posteris ejus, similiter primâ tentatione devictâ, confirmationem in gratia obtinuissent. Sed cùm pro hoc asserendo privilegio, nec rationem, nec auctoritatem, nec pactum afferat, standum potiùs est legi communi cum D. Th. quòd nec Adamus, nec Posteri confirmationem in gratia adepti fuissent, nisi cùm per visionem beatam Deo conjungerentur. Probabile quidem reputat Posteros Adæ fortè non peccaturos; at non per confirmationem in gratia, & post primam tentationem devictam, sed speciali Dei providentiâ eos ita gubernante, ne peccarent.

Quare ad Anselmum respondet S. D. hâc q. 100. a. 2. ad 2. *Quòd Anselmus hoc non dicit asserendo, sed opinando. Quod patet ex ipso modo loquendi, cum dicit:* videtur, quòd si vicissent.

XII. Replicabis tamen. Bonum est potentius, quàm malum: sed propter peccatum primi hominis consecuta est necessitas peccandi in his, qui nascuntur ex eo; ergo si perstitisset, consecuta esset necessitas non peccandi, & conservandi justitiam. Et hæc est ratio, quæ movit Anselmum citatum.

Respondeo cum D. Tho. laudato loco *ad tertium*, neg. min. Nam ratio ista efficax non est, *quamvis per eam Anselmus motus fuisse videatur... Non enim sic per peccatum primi Parentis ejus Posteri necessitatem peccandi incurrunt, ut ad justitiam redire non possint, quod est tantùm in damnatis. Unde nec ita necessitatem non peccandi transmisisset ad Posteros, quòd omnino peccare non possent, quod est tantùm in Beatis.* Eodem modo respondet in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. ubi addit: concludere ad summum, hominem ex peccato Adæ contraxisse necessitatem peccandi venialiter, vel peccandi dùm est in peccato; quia per se licèt peccare possit, dùm tamen in peccatum lapsus est, per se non potest à peccato resurgere, nisi gratiæ divinæ adjutorio, & infusione.

Unde argumentum posset retorqueri sic: sicut malum Adæ non fuit causa, cur ejus Posteri essent confirmati in malo, nec etiam postquam primæ tentationi succubuerunt, sed solùm cur nascantur mali: ita bonum Adæ meritum non esset causa, cur nascerentur confirmati in bono, nec quòd devictâ primâ tentatione, in bono confirmarentur, sed solùm cur nascerentur justi.

XIII. Dices tertiò. Angelus adhærens Deo, aliis peccantibus, statim est confirmatus in bono, ut ulterius peccare non posset; ergo & homo, si tentationi restitisset, confirmatus fuisset; ergo similiter ejus Posteri.

Respondeo primò. Quòd si exemplum Angelorum in homine valeret, probaret, quòd sicut Angeli, qui adhæserunt Deo, confirmati fuerunt in bono, & qui à Deo recesserunt, confirmati fuerunt in malo; ut nec illi peccare ampliùs, nec isti ad Deum ampliùs reverti possint: ita Adamus per obedientiam persistens, fuisset confirmatus in bono, ut peccare ampliùs non posset; & per inobedientiam lapsus, sic confirmaretur in malo, ut ad Deum non posset ampliùs per pœnitentiam reverti, eodemque modo nec ejus Posteri; quod esset de hominibus facere Dæmones.

Respondeo ergo secundò cum D. Th. q. 100. a. 2. citato ad 4. *quòd non est simile de homine, & Angelo. Nam homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & post; non autem Angelus, sicut supra dictum est* (q. 64. a. 2.) *cùm de Angelis ageretur.* Quod nos quoque *eodem Tractatu q.* 9. *dub.* 2. §. 2. ex eodem S. Doctore stabilivimus.

DU-

DUBIUM VI.

An in statu Innocentiæ Homines nati fuissent in scientia perfecti, & in perfecto usu rationis?

§. I.

Resolutio primæ partis.

I. Duæ circa hoc (referente Divo Thoma *q.* 18. *de Veritate a.* 7.) fuerunt opiniones. Una: *quòd pueri in statu innocentiæ quantùm ad ea, quæ sunt animæ, perfecti fuissent, sicut & Adam, & quantùm ad virtutes, & quantùm ad scientiam. Quòd autem non essent perfecti quantùm ad corpus, hoc erat propter necessitatem materni uteri, quia oportebat nasci.* Alia: *quòd sicut secundùm corpus non statim accepissent perfectam staturam, sed ad eam profecissent tempore; ita ad perfectam scientiam tempore pervenissent.... Sufficiebat autem, si habebant tantum de perfectione mox nati, quantum initium perfectionis naturalis requirit.*

II. Circa verò initium naturalis perfectionis, quoad cognitionem, duas opiniones, recenset S. Doct. ibi. *Quidam enim, ut Platonici, posuerunt, quod anima ad corpus venit plena omnibus scientiis; sed nube corporis opprimitur, & impeditur, ne scientiâ habitâ liberè uti possit, nisi quantùm ad quadam universalia; sed postmodum per exercitium studii, & sensuum hujusmodi impedimenta tolluntur, ut liberè suâ scientiâ uti possit; & sic discere dicunt esse idem, quòd reminisci.* Quâ opinione positâ, pergit S. Doct. *oporteret dicere, quòd pueri mox nati in statu innocentiæ omnium scientiam habuissent; quia corpus illud in statu innocentiæ illo erat omnino subditum animæ, quia per molem corporis non potuisset anima ita opprimi, ut suam perfectionem omnino amitteret.*

Sed (prosequitur Angelicus Magister) *quia hæc opinio procedere videtur ex hoc, quòd eadem ponitur natura Angeli, & animæ, ut sic anima in sui creatione plenam scientiam habeat, sicut & intelligentia dicitur esse plena formis creata, & ratione cujus Platonici dicebant, animas fuisse ante corpora, & post corpus redire ad compares stellas, quasi quasdam intelligentias; quæ quidem opinio non est consona Catholicæ veritati.*

Ideò, secundùm opinionem Aristotelis, alii dicunt, quòd intellectus humanus est ultimus in ordine intelligibilium, sicut materia prima in ordine sensibilium; & sicut materia prima, secundùm sui essentiam considerata, nullam formam habet; ita intellectus humanus in sui principio est sicut tabula, in qua nihil scriptum est, sed postmodum in eo scientia per sensus acquiritur, virtute intellectus agentis. Hæc D. Thomas. Ex quibus

III. Dico. Pueri in statu innocentiæ non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo, vel addiscendo. Ita expressis verbis S. Thomas 1. *p q.* 101. *a.* 1 cujus ratione probatur sic. Ubi divina auctoritas, quæ dictet oppositum, deficit, sequi debemus naturæ conditionem: sed naturale est homini, ut scientiam per sensus acquirat: *ideò enim anima unitur corpori, quia indiget eo ad suam propriam operationem, quod non esset, si statim à principio scientiam haberet non acquisitam per sensitivas virtutes;* ergo cum divinâ auctoritate non constet oppositum, dicendum est, quòd pueri &c. Sicut ergo non statim à principio habuissent perfectum usum membrorum; ita neque habuissent perfectum usum cognitionis.

IV. Notat tamen S. Doct. ibi *ad* 3. quòd cùm pueri mox nati justitiam habuissent, sufficientem quoque habuissent scientiam ad dirigendum eos in operibus justitiæ, & multò pleniùs, quàm nunc naturaliter habeamus. Et q. 18. de Verit. art. 7. citato: *Sed tamen* (inquit) *aliquam scientiam in eis ponere perfectam oportet, scilicet eligendorum,*

dorum, & vitandorum scientiam, quæ ad prudentiam pertinet; quia sine prudentia cæteræ virtutes esse non possunt, ut probatur 6. Ethic. quas utique oportebat pueros habere propter originalem justitiam. Et hoc est, quod naturæ integritati conveniebat. *Si autem* (ait S. Doct. ibi) *aliquid aliud ex divina gratia eis fuisset collatum supra id, quod naturę integritas requirebat, hoc asseri non potest, cùm non habeatur ex auctoritate expressum*.

V. Sed dices primò. Sicut Adam habuit justitiam, ita habuit plenam omnium scientiam: sed quia generabat filios sibi similes, nati fuissent cum justitia; ergo eâdem ratione nati fuissent cum scientia.

Respondeo cum D. Tho. hâc *q.* 102. *a.* 1. *ad.* 1 neg. conf. Justitia enim erat accidens gratuitum totius naturæ; ideòque eam derivare debebat ad omnes, quibus communicabat naturam. At esse perfectum in scientia statim ab initio, sicut etiam in adulta ætate, fuit individuale accidens ei conveniens, inquantùm instituebatur ut Pater, & instructor totius generis humani. Et ideò, quantùm ad hoc, non generabat filios similes sibi, sicut neque ætatis adultæ, sed solùm quantùm ad accidentia naturalia, vel gratuita totius naturæ. Ita quoque respondet *q.* 18. *de Verit. a.* 7. in corp. & *ad* 1. dicens: *Qualis fuit Adam, tales filios generasset quantùm ad ea, quæ sibi debebantur ex natura speciei; sed quantùm ad ea, quæ sibi debebantur, ut erat principium humani generis, non oportebat, quòd filii ei similes nascerentur*. Hinc ibi *ad* 6. dicit: *quòd quamvis anima Adæ, & anima filiorum ejus fuerint ejusdem naturæ, non tamen ejusdem officii; quia anima Adæ constituebatur, ut quidam fons, unde in Posteros omnis disciplina perveniret; & ideò oportebat, eam statim esse perfectam, quòd non oportuit de animabus filiorum*.

VI. Dices secundò. Si pueri in illo statu non statim habuissent scientiam, sed eam paulatim, ac sensuum usu acquirere debuissent, sequeretur primò, in eis per aliquod tempus futuram ignorantiam; quæ cum ex peccato causata sit, indecens fuisset in statu innocentiæ. Secundò: quòd usus intellectus impediretur à corpore, quòd esse non poterat. Tùm quia actus intellectus, utpote spiritualis, est à corpore independens. Tùm quia anima tunc perfectè dominabatur corpori. Tertiò: quia, quòd superiores vires ab inferioribus accipiant, videtur esse perversitas ordinis, quæ in illo statu, in quo omnia benè ordinata erant, concipi non potest.

VII. Respondeo ad primum cum D. Tho. hâc *q.* 101. *a.* 1. *ad* 2. quòd *ignorantia* (propriè talis, & pœna peccati) *est privatio scientiæ, quæ debet haberi pro tempore illo, quòd in pueris mox natis non fuisset. Habuissent enim scientiam, quæ eis competebat secundùm tempus illud: unde ignorantia in eis non fuisset, sed nescientia respectu aliquorum, quam etiam Dionysius ponit in Angelis sanctis in* 7. *Cœlestis Hierarchiæ*.

Ad secundum dico cum eodem in 2. dist. 20. q. 2. a. 2. ad 1. *quòd operatio intellectus non impeditur propter defectum corporis per se, sed per accidens, scilicet ex defectu virium, à quibus intellectus accipit*.

Ad tertium dico, quòd esset quidem perversitas ordinis, si intellectus, qui est superior, à viribus inferioribus acciperet immediatè perfectionem intelligibilem; non verò si ab eis mediatè solum accipiat materiam, quæ illi quasi materialiter administretur, & offeratur ab imaginativa; quæ postea formaliter in esse intelligibili compleatur ex lumine intellectus agentis: ex quo solùm sequitur, quòd intellectus possibilis formaliter accipiat perfectionem, & perficiatur ab intellectu agente, qui est potentia altior, non à sensu, qui se habet ut purè administrans materiam. Ita respondet S. Th. *in* 2. *sent.* citato loco *ad secundum*.

VIII. Dices tertiò. Magis decuisset,

set, homines nasci perfectos in anima, quàm in corpore: sed in corpore absque omni defectu nati fuissent; ergo & in anima.

Respondet S. Tho. q. 18. de Verit. a. 7. ad 4. *Quòd in corpore puerorum non fuisset aliquis defectus, quo privarentur bono tunc eis debito. Erat tamen in eorum corporibus carentia alicujus boni, quod eis postea accessisset, sicut staturę perfectę, & donum glorię. Similiter est dicendum ex parte animę.*

IX. Dices quartò. Perfectioris cognitionis, secundùm suam naturam, aliis animalibus est homo: sed alia animalia mox nata habent cognitionem convenientis, & nocivi; unde agnus mox natus fugit lupum, & sequitur matrem; ergo &c.

Respondeo, duplicem cognitionem esse in homine: unam ex naturali instinctu æstimativæ virtutis, & hâc solâ potiuntur bruta; unde sicut bruta mox nata fugiunt nociva, & convenientia prosequuntur; ita & pueri mammillas accipiunt, & alia sibi convenientia, quin ab aliis doceantur; & multò magis id præstitissent in statu innocentiæ, quibus naturaliter inesset prudentia, & in ea perfecti essent: Aliam per rationis deliberationem, ad quam propriâ inquisitione pervenire potest homo, quâ carent bruta; & hâc non oportuit, ut homo statim præditus esset circa omnia, maximè speculabilia; sed conveniens fuit, secundùm suam naturam, ut inquisitione, vel magisterio, absque tamen difficultate, processu temporis perveniret. Ita D. Tho. tùm in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 5. tùm *q.* 18. *de Verit. a.* 7. *ad* 7.

§. II.

Resolutio secunda partis.

X. Duplex quoque circa hoc est opinio, ait S. Tho. q. 18. de Verit. a. 8. *Quidam enim dicunt, quòd pueri in statu innocentię habuissent plenum usum omnium membrorum; & ista ineptitudo membrorum, quæ in pueris nunc videtur, scilicet, quòd non possint uti pedibus ad incedendum, manibus ad scalpendum, & sic de aliis, ex primo peccato pervenit. Alii autem considerantes, hujusmodi ineptitudines ex principiis naturalibus causari, utpotè ex humiditate, quam necesse est, in pueris abundare, dicunt, quòd in statu innocentiæ membra puerorum non fuissent omnino habilia ad suos actus, quamvis nec omninò ita deficerent, sicut & modò; quia cum eo, quòd est natura, additur id, quod est corruptionis.* Ita D. Thomas, qui cùm huic adhæreat opinioni. Ideò

XI. Dico. Pueri in statu innocentiæ non habuissent perfectum usum rationis, sicut habituri erant in perfecta ætate; habuissent tamen perfectiorem, quàm nunc, quantùm ad ea, quæ ad eos pertinebant, quantum ad statum illum. Ita iisdem terminis S. D. tùm *q.* 18. *de Verit. a.* 8. citato: tùm hâc 1. *p. q.* 101. *a.* 2. cujus hæc est ratio. Perfectus usus rationis in anima conjuncta corpori pendet à perfecto usu sensuum; unde ligatis, vel impeditis, vel turbatis sensibus, maximè æstimativâ, & imaginativâ, perfectus rationis usus non habetur, ut patet in dormientibus, vel phreneticis: sed in pueris perfectus usus sensuum esset impeditus ob nimiam humiditatem cerebri, quâ etiam impeditus esset perfectus usus membrorum; ergo &c. min. explicat S. Doct. q. 18. de Verit. a. 8. ad 5. *Nam imaginativę virtutis organum, & memorativa, & cogitativa est in ipso cerebro, quod est locus summæ humiditatis in corpore humano. Et ideò propter abundantiam humiditatis, quæ est in pueris, magis impediuntur actus harum virium, quàm sensuum externorum. Intellectus autem accipit immediatè non à sensibus exterioribus, sed interioribus.* Circa tamen hoc impedimentum

XII. Notat S. Præceptor citatâ q. 18. de Verit. a. 8. ad 1. *Quòd anima à corpore dupliciter potest impediri. Uno modo*

modo per modum contrarietatis, inquantùm corpus animæ resistit, & eam obnubilat, quòd quidem in statu innocentiæ non fuisset. Alio modo per modum impotentiæ & defectus, inquantùm scilicet corpus non est sufficiens ad omnia illa explenda, ad quæ anima quantùm est de se sufficiens esset. Et hoc modo animam in statu innocentiæ à corpore fuisse impeditam nihil prohibet. Sic enim constat, quòd per corpus impediebatur, ne obstrusa transiret, ne tantâ facilitate locum mutaret, quantâ, cum est separata, mutat; & per hunc modum impediebatur, ne usum potentiarum perfectè habere posset. In hoc tamen nullus dolor fuisset, quia anima propter sui ordinationem non imperasset, nisi quod corpus exequi posset.

XIII. Hinc ibid. *ad* 7. ait: quòd modò *corpus, quod corrumpitur aggravat animam, non solùm per impotentiam, sed per resistentiam, & obnubilationem; sed corpus hominis in statu innocentiæ impediebat actus animæ, solùm propter imperfectionem virtutis, vel dispositionis*. Hæc D. Thomas, quibus præveniuntur objectiones, quæ fieri possent. Non tamen adeò ligatus fuisset usus intellectus, sicut nunc est, sed expeditus esset saltem ad ea, quæ statui puerili convenirent.

QUÆSTIO IV.

De statu Hominis Innocentis quoad corpus.

Status innocentiæ felicitas nedum in anima sistebat, sed extendebatur etiam ad corpus. De hac igitur in præsenti quæstione sermo erit, & quantùm ad ea, quæ tangunt conservationem individui, cum D. Thom. 1. *p. q.* 97. & quantùm ad ea, quæ respiciunt conservationem speciei, cum eodem *q.* 98. quibus addemus aliqua de dominio, & politia illius status.

DUBIUM I.

An Homo in statu Innocentiæ fuisset immortalis, & unde hoc proveniret?

§. I.

Asseritur Hominis Innocentis immortalitas.

I. Adamum conditum fuisse immortalem, sicut, nisi peccasset, nec ipse, nec ullus hominum unquam fuisset moriturus, & mors non necessitate naturæ, sed merito peccati in Mundum intraverit, fides Catholica docet contra Cœlestium, & Pelagium. Hoc enim primò docet Scriptura, tùm Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit*, humanam scilicet. Hoc est: non ita hominem condidit, ut mortis necessitati subjaceret, morique deberet, si maneret in eo, in quo Deus illum condiderat. Tùm Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, idest immortalem: exterminatio enim mortem significat ex usu legis Mosaicæ.

Deinde *Gen.* 2. *v.* 17. Deus comminatur Adæ mortem in pœnam, si transgrederetur præceptum de non comedendo: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; ergo antea non erat mortalis; ergo si non comedisset, moriturus non fuisset: De morte autem corporis sermonem esse constat. Et quia, teste Hieronymo in quæst. Hebraicis, loco *morieris*, benè vertit Symmachus *mortalis eris*. Et quia ita intelligunt PP. Augustinus *l.* 13. *de Civit. Dei c.* 12. Gregorius *lib.* 4. *Moral. c.* 30. & alii. Sed Deus ipse hoc indicavit *Gen.* 3. *v.* 19. ubi Adæ in pœnam præcepti violati dicit, eum reversurum in terram, de qua sumtus est; *& in pulverem reverteris*.

II. Hoc textu S. Augustinus *lib.* 1. *de Peccat. merit. cap.* 2. Pelagianos ita aggreditur: *Qui dicunt, Adam sic creatum,*

tum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœnâ culpa; sed necessitate naturæ; profectò illud, quod in Lege dictum est: Quâ die ederitis, morte moriemini, *non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur. Quâ morte mortuos significavit Dominus infideles, de quibus ait:* sine mortuos sepelire mortuos suos. *Quid ergo respondebunt, cùm legitur, hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando, & damnando dixisse:* Terra es, & in terram ibis? *Neque enim secundùm animam, sed, quod manifestum est, secundùm corpus terra erat, & morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundùm corpus terra esset, & corpus, in quo creatus est, animale gestaret; tamen, si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionem, quæ fidelibus, & Sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus.*

III. Hoc etiam apertè pronunciat Paulus Rom. 5. c. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Roman. 6. v. 23. *stipendia enim peccati mors.* Et 1. Cor. 15. v. 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* ubi de morte, & resurrectione corporali evidens est. Quia tamen ad mortem animæ, non corporis, etiam præfata verba Pelagiani detorquebant, dicentes hanc mortem animæ per peccatum, *non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse:* sic eos arguit idem S. August. laudato lib. 1. de Peccat. merit. c. 9. *Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quòd in hunc Mundum, non propagatione, sed imitatione intraverit, ejus principem, non Adam, sed Diabolum diceret, de quo scriptum est* 1. Joann. 3. v. 8. Ab initio Diabolus peccat. *De quo etiam legitur in libro Sapientiæ* (2. v. 24.) Invidiâ autem Diaboli mors intravit in Orbem terrarum. *Nam quoniam ista mors sic à Diabolo venit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, sed quòd eum fuerint imitati, continuò subjunxit* (v. 25.) Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. *Proinde Apostolus cùm illud peccatum, ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transisset, eum Principem posuit, à quo propagatio generis humani sumsit exordium.* Sed de hoc fusiùs, cum de peccato originali inferiùs sermo erit. Videri potest etiam *lib. 6. Oper. imperf. contrà Julian. c.* 36. ubi exponens prælaudata Pauli verba: *Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum*, ait: *De resurrectione corporis loquitur: Huic ergo è contrario mors opponitur corporis, eisque, idest morti corporis, & resurrectioni, singuli distribuuntur auctores, homines duo... sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.* Moriuntur, *ait, non ait:* morientur; *ex altera verò parte, non ait:* vivificantur, *sed* vivificabuntur. *Nunc enim moriuntur ex pœna, tunc vivificabuntur ex præmio &c.* Constat ergo ex Scriptura, & August. hominem sic conditum fuisse, ut corpore non moreretur, si non peccaret, & mortem corporis pœnam esse peccati.

IV. Meritò igitur Ecclesia Catholica oppositum Pelagianum dogma confixit tùm anno 416. in Concil. Milevitano II. Can. 1. his verbis: *Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum; ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ; anathema sit.* Hunc errorem sibi oppositum in Judicio Palæstino damnare coactus fuit Pelagius, & damnavit, ficto tamen corde, de quo August. *lib. de Gestis Pelagii c.* 11. Tùm in Arausicano II. anno 529. ubi Can. 2. expressè dicitur, quòd mors est pœna peccati: & tandem in Tridentino *sess.* 5. in *Decreto de peccato Originali* dicitur anathema ei, qui non confitetur, *primum hominem Adam..... incurrisse per offensam prævaricationis.... iram, & indignationem Dei, atque ideò mortem,*

tem, quam illi comminatus fuerat Deus.

V. Pro hac veritate S. Thomas in 2. *dist.* 19. *q.* 1. *a.* 2. hanc congruentiam adhibet. Ea enim, quæ fiunt ob aliquem finem, instituuntur, ut sint apta ad illum finem, ut patet in artificialibus: sed homo fuit institutus ad finem æternæ beatitudinis excedentis omnem facultatem naturæ; ergo oportuit, ut in sui institutione aliquid ei conferretur, quo æternitati beatitudinis consequendæ esset idoneus. Sed ex principiis naturalibus hoc esse perpetuum habere non poterat, cùm esset compositus ex contrariis, quorum pugna inducit corruptionem; ergo oportuit, ut aliquid ei, vel animæ ejus conferretur supra communem naturæ cursum, quo contrariorum componentium pugnam cohiberet.

Quia verò hæc potestas data animæ super Corpus consequebatur ex ordinatione ejus in finem, impediri ejus effectus non poterat, nisi per deordinationem ejus à fine, quæ sine peccato esse non poterat; ergo si non peccasset, continuasset in anima potestas supra corpus, ut à corruptione præservaretur, & ejus esse non interciperetur morte. *Et ideo* (concludit S. Tho.) *quodammodo erat mortalis; inquantùm poterat mori, & quodammodo immortalis, inquantùm poterat non mori. Sed potentia moriendi non poterat reduci statim in actum, nisi præcedente immutatione animæ secundùm actum peccati: ideò simpliciter dicendus erat homo in statu illo immortalis, & mortalis nonnisi secundùm quid, scilicet si peccaret. Quia ut in 9. Metaph. dicitur, illud dicitur simpliciter esse in potentia ad aliquid, quod potest statim reduci ad actum uno motore. Sicut non dicimus, quod ex terra possit fieri statua, sed ex cupro, quamvis ex terra fiat cuprum.*

§. II.

Unde Immortalitas in Homine Innocente proveniret?

VI. Statutâ tanquam catholicâ veritate hominis innocentis immortalitate, id, quod controvertitur, est: unde ista immortalitas proveniret.

Pro quo sciendum ex D. Thom. hîc 1. *p.* *q.* 97. *a.* 1. quòd *aliquid potest dici incorruptibile tripliciter. Uno modo ex parte materiæ, eò scilicet, quòd, vel non habet materiam, sicut Angelus; vel habet materiam, quæ non est in potentia nisi ad unam formam, sicut corpus Cœleste: & hoc dicitur secundùm naturam incorruptibilem. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ; quia scilicet rei corruptibili per naturam inhæret aliqua dispositio, per quam totaliter à corruptione prohibetur: & hoc dicitur incorruptibile secundùm gloriam.... Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte causæ efficientis.*

VII. Certum est, corpus hominis innocentis non futurum incorruptibile, nec primo, nec secundo modo. Non secundo: quia nondum fuisset in statu beatitudinis, & gloriæ per claram Dei visionem, & perfectam adhæsionem summo bono, sed adhuc in statu viæ. Neque primo: cum enim homo habuisset materiam, sicut modò, non cœlestem, sed terrenam, in potentia ad plures formas; corpus insuper ex contrariis compositum, quæ contrarietas est causa corruptionis; & quamvis anima ex se ad perpetuitatem inclinet, utpote spiritualis, quia tamen unitur corpori secundùm ejus capacitatem, & dispositionem, quæ non est, ut semper sit, sed ut aliquando dissolvatur: ideò non sic illud perficit, ut inseparabiliter illud contineat. Restat ergo, ut homo innocens non haberet ex suis principiis, quòd esset immortalis; & immortalitas non esset ei naturalis, quasi consequens naturam speciei; nisi fortè dici posset na-

turalis, quia si non peccasset, simul cum natura ei collata fuisset; eo modo, quo de justitia originali superiùs dicebamus.

VIII. Superest ergo ut dicatur, solùm fuisse immortalis ex parte causæ efficientis, & ex gratia Conditoris, qui hoc dedit homini, ut, quandiù non peccaret, immortalitate vigeret. Ita S. Thom. tùm hâc *q.* 97. *a:* 1. Tùm in 2. *dist.* 19. *a.* 2. supra relato. Tùm 1. *p. q.* 76. *a.* 5. *ad* 1. ubi hæc habet: *Corpus hominis ante peccatum immortale fuit, non per naturam, sed per gratiæ divinę donum: aliòquin immortalitas ejus per peccatum sublata non esset, sicut nec immortalitas Dæmonum.* Ex quo sic discurro. Si homo ante peccatum fuisset immortalis per naturam, etiam post peccatum mansisset immortalis; sicut, quia Angeli sunt immortales per naturam, etiam qui per peccatum facti fuerunt Dæmones, immortales perstiterunt: sed homo post peccatum mortalis evasit; ergo ante non erat immortalis per naturam. *Sed* (ut ait D. Thom. q. 5. de Malo a. 5.) *quia Deus, qui est hominis institutor, hanc necessitatem materiæ suâ omnipotentiâ potuit prohibere, ne in actum prodiret, ejus virtute collatum est homini ante peccatum, ut à morte præservaretur, quousque tali beneficio se reddidit peccando indignum. Sicut & faber præstaret ferro, ex quo operatur, si posset, quòd nunquam frangeretur.* Hoc idem docet 1. p. q. 102. a. 4. *Incorruptio* primi status *non erat homini secundùm naturam*, sed ex *supernaturali Dei dono*. Et propterea subdit: *Ut ergo hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra Paradisum fecit, & postea ipsum in Paradiso posuit*, vidilicet tanquam in loco congruo habitationi humanæ quantùm ad incorruptionem primi status.

IX. Hanc sententiam communiter tenent Scholastici, & ante illos Cyrillus *lib.* 1. *in Joann. c.* 15 & S. Aug. *l.* 1. *de Peccat. meritis c.* 3. dicens: *Neque enim metuendum fuit, ne fortè, si diutiùs hic viveret, in corpore gravaretur, & paulatim veterascendo perveniret ad mortem.* Deinde explicans modum, quo hoc factum fuisset, subdit: *Si enim Deus Israelitarum vestimentis, & calceamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum, si obedientiâ homini ejusdem potentiâ præstaretur; ut animale, ac mortale haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore, quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus.* Et *cap.* 4. observans, quòd Apostolus Roman. 8. v. 10. dicit: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, subdit: *Vigilantissimè non ait, mortale; sed* mortuum; quia scilicet ante peccatum erat mortale, licèt non moriturum. Unde c. 5. ait: *Namque antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in Sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum: sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum...... Sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum &c.* Erat ergo corpus Adæ naturâ mortale, quamvis, si non peccasset, non moriturum. Quod adeò verum est secundùm Catholicam fidem, ut inter articulos à Summis Pontificibus damnatos septuagesimus quintus sit: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

X. Sed dices. Mors non lege naturæ, sed merito peccati inflicta est. Unde Augustinus *lib.* 4. *contra duas Epist. Pelag. c.* 4. injustum reputat, quòd mors sine peccato propagetur.

Respondetur, mortem dici non lege naturæ, sed merito peccati inflictam de facto, & sumtâ naturâ, ut de facto à Deo fuit instituta, & præsuppositâ Dei ordinatione; quæ sic hominem constituerat, ut nunquam moreretur, si non peccaret; & hoc modo mors est contra naturam, atque adeò pœna propter peccatum inflicta.

At

At si homo consideretur secundùm pura suæ naturæ principia, sic naturale est ei secundùm corpus dissolvi, & mori. Quia licèt animæ immortali benè congrueret corpus immortale, dùm tamen est forma corporis requirentis contrariarum qualitatum temperiem, naturaliter postnlat corpus, quod, nisi aliunde præservetur, corruptibile fit.

Videndum modò est, quomodo corpus primi hominis, cæteroquin mortale, à Deo præservatum fuisset à morte, si non peccasset.

XI. Dico. Multas fuisse causas, quæ simul conjunctæ hoc bonum homini contulissent. Prima, & principalis à S. Thoma hâc *q.* 97. *a.* 1. statuitur virtus à Deo animæ collata, quâ poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiù ipsa Deo mansisset subjecta. *Inerat* (inquit) *animæ vis quædam supernaturaliter divinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiù ipsa Deo subjecta mansisset. Quod rationabiliter factum est. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ..... conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporalis materiæ.*

Quid porrò esset illa virtus supernaturaliter animæ concessa: videtur sentire, fuisse ipsam justitiam originalem, seu gratiam gratum facientem, quæ in illo statu potiebatur vi perfectè dominativâ in corpus, ut ei perfectè in omnibus obediret. Hoc indicat præsenti *a.* 1. *ad* 3. superiùs *q.* 95. *a.* 1. & *q.* 5. *de Malo a.* 5. *ad* 11.

XII. Secunda causa erat bona quædam corporis constitutio, ac temperies, quâ, accedentibus aliis, mortem effugere poterat. Neque obstat, quòd S. Thomas hâc *q.* 97. *a.* 1. dicat: *non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem.* Nam S. Doct. solùm negat in corpore hominis innocentis qualitatem, seu dispositionem, quæ redderet ipsum immortale, & incorruptibile totaliter, eo modo, quo, ut superiùs dixerat, fiet incorruptibile in gloria: non tamen negat, in corpore innocente quamvis intrinsecè mortali, talem futuram bonam complexionem, & temperiem, quâ esset idoneus, ut ab anima præservaretur à morte. Ideo autem vim præservativam in sola anima statuit, non in corpore; ut ostendat, totam rationem corruptionis in illo corpore, esse obedientiam animæ, quam cùm amiserit per peccatum, suæ corruptioni relictus est. Unde S. Aug. *lib.* 13. *de Civit. Dei c.* 23. ostendens, etiam ante peccatum habuisse hominem corpus animale: *Non enim* (inquit) *existimandum est, eum priusquàm peccasset, spiritale corpus habuisse, & peccati merito in animale mutatum.* Sed, ut ait lib. 1. de Peccat. merit. c. 16. *Quando peccavit Adam, non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale, ac mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat.* Et hac ratione dicit Concil. Arausic. II. *Can.* 1. per offensam prævaricationis Adæ totum hominem, idest secundùm corpus, & animam, in deteriùs esse commutatum; quia anima perdidit virtutem sibi subigendi corpus, & corpus obedientiam animæ cæpit excutere.

XIII. Tertia causa erat usus Ligni vitæ, quo virtus speciei in pristinum vigorem reparabatur: de quo supra egimus, & inferiùs statim dicemus.

XIV. Quarta causa adjungi potest, nempè prudentia hominis innocentis, quâ ab omnibus noxiis, & periculis cavisset.

XV. Quinta tandem specialis Dei providentia, & Angelorum custodia. Nam quamvis corpus hominis tale esset, ut ab igne, aliisque noxiis lædi posset, si quid eorum ipsi inferretur; sic tamen protegebatur, ut ei in innocentia permanenti, nihil unquam tale accideret. Utramque hanc præ-

præservationis causam complectitur S. Thom. hâc *q. 97. a. 2. ad 4.* dicens: *Corpus hominis in statu innocentiæ poterat præservari, ne pateretur læsionem ab aliquo duro; partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare; partim etiam per divinam providentiam, quæ sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso, à quo læderetur.*

DUBIUM II.

An in statu Innocentiæ Homo fuisset passibilis, & an indiguisset cibis?

§. I.

Resolvitur prima pars.

I. PAssio, secundùm S. Thomam hâc *q. 97. a. 2.* & in *2. dist. 19. q. 1. a. 3.* dupliciter dicitur. Uno modo propriè; & sic pati dicitur, quod actione contrarii à sua naturali dispositione removetur; sicut dùm aqua calefit, aer inspissatur, homo infirmatur, dicuntur propriè pati, quia actione contrarii à sua debita, & naturali dispositione, quæ est, ut acqua sit frigida, aer sit rarus, & homo sit sanus, removentur. Alio modo dicitur passio, & pati minùs propriè, & communiter, pro quacumque immutatione, seu dùm aliquis de novo quidquam recipit quocumque modo, idest, etsi hoc, quod recipit, non removeat ipsum à sua naturali dispositione, sed potiùs secundùm suam naturalem dispositionem ipsum perficiat; sicut intelligere, sentire, pati dicitur.

II. Certum est, hominem innocentem hoc secundo modo passibilem fuisse, & secundùm animam, quia poterat novam sensationem, intellectionem, volitionem recipere, & secundùm corpus, quia novis accidentibus perfici poterat. Hoc enim modo solus Deus impassibilis est. Hoc enim modo *dicitur pati, quidquid recipit aliquid quocumque modo: & sic cùm omne recipiens careat eo, quod recipit, & sit in potentia ad illud; & è contrario, omne, quod est in potentia ad aliquid, sit receptivum alicujus; à tali passibilitate nihil absolvitur, nisi illud, quod est actus purus, scilicet Deus: omnis enim creatura passibilis dici potest, secundùm quòd alicujus perfectionis receptibilis est.* Ita S. Thom. in *2. sent. dist. 19. q. 1. a. 3.* citato. Sed quia illud, quod perfectionem recipit, non propriè dicitur passum, vel alteratum, sed magis perfectum; ideò, quod solùm hoc modo patitur, dici potest impassibile. Dubium restringitur ad passionem removentem subjectum à sua naturali dispositione.

III. Dico ergo. Homo innocens non erat, nec fuisset in eo statu passibilis passione removente ipsum à sua naturali dispositione, nec quantùm ad animam, nec quantùm ad corpus. Ita S. Thom. hâc *q. 97. a. 2.* Prima pars ex dictis superiùs constat, & traditur à D. Thoma *1. p. q. 95. a. 2.* ubi docet: quòd durante statu innocentiæ non erant, nec futuræ erant in homine passiones, quæ respiciunt malum, ut timor, dolor, & hujusmodi: non enim in illo statu ullum malum aderat, nec imminebat. Similiter nec illæ, quæ respiciunt bonum non habitum, quod tamen esset tunc habendum, ut cupiditas æstuans; quia nullum bonum aberat, quod bona voluntas cuperet pro illo tempore habendum. Illæ verò passiones, quæ possunt esse de bono præsenti, ut gaudium, & amor; vel quæ sunt de futuro bono suo tempore habendo, ut desiderium, & spes non affligens, fuissent in statu innocentiæ, aliter tamen, quàm in nobis. Nam in nobis appetitus sensualis, in quo sunt passiones, non totaliter subest rationi: unde passiones quandoque in nobis præveniunt judicium rationis. In illo autem statu nec præveniebant judicium rationis, nec illud impediebant,

sed

sed sequebantur; cùm appetitus inferior, non in aliquibus tantùm, sed in omnibus rationem sequeretur, eique obediret.

IV. Secunda autem pars probatur. Nam sicut, ex dictis præcedente Dubio, in eo statu inerat animæ vis quædam supernaturalis divinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare; ita inerat ei virtus, quâ posset ea omnia, quæ alterationem, & passionem corruptivam inferrent, impedire, & præcavere: & hoc etiam per prudentiam, & sapientiam, quâ Deus hominem donaverat, & maximè per peculiarem Dei providentiam, quæ illum in eo statu custodiret.

V. Dices primò. Somnus est passio quædam, & immobilitatio organorum sensibilium: sed homo in eo statu dormivisset, imò de facto Adam dormivit, cùm *Gen.* 2. *v.* 21. dicatur: *Immisit Deus soporem in Adam*; ergo &c.

VI. Dices secundò. Ibidem subditur, quòd *tulit unam de costis ejus*: ergo corpus Adæ erat, & fuisset passibile etiam per abscissionem partis.

VII. Respondeo ad primum cum D. Tho. in 2. dist. 19. q. 1. a. 3. ad 3. *Quòd, secundùm quosdam, homo in primo statu non dormivisset. Sed quia hoc ratione, vel auctoritate firmari non potest, probabilius videtur, ut ex quo vitam animalem habebat, ea, quæ talem vitam consequuntur, sibi non deessent. Somnus autem quandoque convenit ex causa naturali, sicut ex vaporatione alimenti, vel ex humiditate cerebri, ut in prima ætate; & sic videtur, utrâque de causa potuisse esse somnum in primo statu. Quandoque verò ex causa innaturali, sicut ex labore, aut ægritudine: & sic non fuisset ibi somnus. Somnus enim quantùm in se est, est passio ad perfectionem totius animalis pertinens, eò quòd in somno intenduntur virtutes naturales, & quietantur virtutes animales, ut postmodum fortiores sint in actibus suis.* An verò fuerint in illo statu etiam somnia, diximus superiùs.

VIII. Ad secundum respondet idem S. Doct. q. 97. 1. p. a. 2. ad 3. *Quòd costa illa fuit in Adam, inquantùm erat principium humani generis, sicut semen in homine, inquantùm est principium per generationem. Sicut igitur decisio seminis non est cum passione, quæ removeat hominem à naturali dispositione; ita etiam est dicendum de separatione illius costæ.*

§. II.

Resolvitur secunda pars.

IX. Dico. Homo in illo statu indiguisset cibis. Probat S. Doct. hâc *q.* 97. *a.* 3. Anima rationalis in illo statu communicabatur corpori non solùm secundùm ea, quæ sunt sibi propria inquantùm est spiritus, scilicet secundùm intelligere & velle, sed etiam secundùm ea, quæ aliis animabus sunt communia, nempè sentire, & vegetare, & quæ vitam animalem consequebantur: sed vitæ animalis, & vegetabilis actus sunt alimento uti, generare, & augeri; ergo homo &c. Maj. explicatur à S. Doct. ex differentia, quâ anima communicabatur in illo primo statu, & quâ communicabitur corpori in ultimo statu. In hoc enim communicabit quodammodo corpori ea, quæ sunt sibi propria, inquantùm est spiritus; immortalitatem quidem quantùm ad omnes, impassibilitatem verò, & gloriam, & virtutes quantùm ad bonos, quorum corpora spiritualia dicentur: unde post resurrectionem homines cibis non indigebunt. Non sic in primo statu, in quo corpora animalia gerebant, & anima conditioni corporis se accommodabat.

X. Sed dices. Indigentia cibi nascitur ex necessitate reparandi deperditum; ergo fuisset in primo statu deperditio substantiæ corporis; ergo passio corruptiva contra resoluta §. præcedente.

Respondet S. Tho. in 2. *dist.* 19. *q.* 1. *a.*

1. a. 2. ad 2. quosdam dicere: *Quòd nulla dissolutio, vel deperditio facta fuisset in corpore Adæ: & cibus ab eo non sumebatur ad restaurationem deperditi; sed contra hunc defectum communem omni creaturæ, qui est vertibilitas in nihil. Sed hoc ridiculum videtur* (inquit S. Doct.) *quia secundùm hoc, etiam corpora cœlestia cibis indigerent, & etiam incorporeæ substantiæ. Nec contra hunc defectum per cibos subvenitur, ut vel tollatur dependentia sui esse per cibum, vel saltem minuatur. Irrationabile autem est, quòd indiguerit* (cibo) *propter defectum aliquem, propter quem illi defectui subveniri non possit.*

Ideo aliter respondetur, dist. ultimum consequ. passio corruptiva secundùm partem, transeat consequ. secundùm totum, nego consequ. Ita D. Tho. citato loco. *Ideò* (inquit) *dicendum est, quod cibus sumebatur ad restaurationem deperditi, & ad augmentum corporis in quantitate perfecta, & ad multiplicationem speciei per viam seminalem, secundùm quòd nutritiva, augmentativa, & generativa deservire dicitur. Et ideò oportet ponere, quòd aliqua particularis deperditio in corpore Adæ fieret: non tamen poterat subsequi dissolutio in toto, propter virtutem regitivam corporis, quæ erat ex parte animæ, ut dictum est. Sicut etiam in partibus Mundi contingit elementorum in partibus corruptionem fieri, non autem in totum contingit elementa corrumpi; ex eo quòd inferiorum corporum ordo virtute superiorum conservatur.* Neque inconveniens fuisset, quòd per actionem caloris aliquid de humido illius corporis deperderetur: non enim erat incorruptibile per aliquam dispositionem ipsi corpori inhærentem, sed per virtutem animæ insidentem; ut ait S. Doct. hâc q. 97. a. 3. ad 1.

XI. Instabis tamen. Si cibus in illo statu erat corpori necessarius ad conservandam vitam; ergo si cibum, ut poterat, non sumsisset, mortuus fuisset. Unde ergo homo erat immortalis?

Rursùs. Nutritio non est sine passione: si ergo egebat cibo nutriri, quomodo corpus illud erat impassibile?

Tertiò. Si in eo statu fuisset indigentia cibi, & potus, fuisset quoque fames, & sitis.

Quartò. Fuisset emissio superfluitatum, quæ quamdam turpitudinem secum affert non convenientem dignitati primi status.

XII. Respondeo ad singulas instantias. Ad primam respondeo cum Divo Thoma hâc q. 97. a. 3. ad 3. & in 2. dist. 19. q. 1. a. 2. ad 3. conc. cons. *Si enim Adam non comedisset, moreretur: nec tamen mori poterat ante peccatum, quia hoc ipsum, quod erat non comedere tempore determinato, fuisset sibi peccatum. Tùm quia erat contra præceptum divinitùs promulgatum, quo præceptum erat sibi, ut de omni ligno Paradisi comederet, Genes. 2. Tùm quia, non existente præcepto, foret contra legem naturaliter insitam* (de conservanda vita) *Tempus autem determinatum comedendi, non per experientiam defectus cognovisset; sed judicio rationis.* Ita D. Tho. *in 2. sent.* citatus. Peccasset ergo, si non comedisset, vel contra præceptum divinum, vel saltem contra præceptum naturale: ideòque si mortuus fuisset, mors secuta esset peccatum.

XIII. Ad secundam, vel dist. ant. sine passione alimenti, conc. ant. aliti, nego ant. *In nutritione* (ait D. Th. 1. p. q. 97. a. 3. ad 2.) *est quadam passio, & alteratio, scilicet ex parte alimenti, quod convertitur in substantiam ejus, quod alitur. Unde ex hoc non potest concludi quòd corpus hominis fuerit passibiles; sed quòd cibus assumtus erat passibile.* Vel dist. aliter ant. sine passione perfectiva ejus, quod alitur, conc. ant. corruptivâ, nego ant. Passio enim nutritiva fuisset *in perfectionem naturæ*, non remotiva subjecti à naturali sua dispositione, qualis est passio corruptiva. Ita S. Tho. citatus.

XIV. Ad tertiam, conc. sequelam. Fuis-

Fuisset tamen fames, & sitis sine ulla molestia: sed, ut dicit nudum appetitum edendi, & bibendi; quo modo fames est appetitus calidi, & sicci; sitis appetitus frigidi, & humidi, cibus enim gratus, & jucundus non esurienti non est: gratus autem, & jucundus fuisset in eo statu; ergo fuisset in eo fames, idest appetitus cibi. Quòd si D. Augustinus *lib. 14. de Civit. Dei cap. 26.* dicit: *Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret;* exponendus est de esurie, & siti adferente molestiam, ut ipse sese explicat *lib. 13. de Civit. Dei cap. 20.* dicens: *Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, & sitiendo sentirent.*

XV. Ad quartum, respondet S. Th. hàc q. 97. a. 3. ad 4. *Quòd quidam dicunt, quòd homo in statu innocentiæ, non assumsisset de cibo, nisi quantum fuisset ei necessarium. Unde non fuisset ibi superfluitatum emissio. Sed hoc irrationabile videtur, quòd in cibo assumto non esset aliqua fæculentia, quæ non esset apta, ut converteretur in hominis nutrimentum: unde oportebat superfluitates emitti. Tamen fuisset divinitùs provisum, ut nulla ex hoc indecentia esset.*

Superesset cum S. Doctore hàc *q. 97. a. 4.* quærendum: an homo in statu innocentiæ, per lignum vitæ, immortalitatem consequutus fuisset. Sed quia de hoc satis loquuti fuimus superiùs *Quæst. 2. de Paradiso terrestri, Dubio 3. §. 2.* Ideò illuc studiosum remitto.

DUBIUM III.

An in statu Innocentiæ fuisset generatio, & quomodo?

§. I.

Resolutio primæ partis.

I. Dico. In statu innocentiæ futura fuisset generatio. Ita S.Th. *1. p. q. 98. a. 1.* & in *2. dist. 20. q. 1. a. 1.* Et probat primò. Quia *Genes. 1. v. 28.* hominibus ante peccatum dixit Deus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* sed hæc multiplicatio absque nova generatione fieri non potuisset, cùm illi duo primitùs instituti aliâ viâ multiplicari, & replere terram non possent; ergo &c.

Confirm. Quod Deus citato loco dixit Adamo, & Hævæ *Crescite, & multiplicamini &c.* dixerat *v. 22.* piscibus, & avibus. Et *Cap. 9. v. 1. & 7.* repetivit Noe, ac filiis ejus post diluvium: sed pisces, aves, bruta, & homines post diluvium generatione multiplicantur; ergo ita quoque multiplicari homines voluisset Deus ante peccatum. Alioquin, ait S. Thomas hàc q. 98. a. 1. *peccatum hominis fuisset valdè necessarium, ex quo tantum bonum consecutum est;* nimirum multiplicatio generis humani, & specialiter multiplicatio Electorum.

II. Probatur secundò ratione S. D. in *2. sent. dist. 20. q. 1. a. 1.* Per peccatum natura hominis specie variata non est: unde quæcumque pertinent ad perfectionem humanæ speciei, oportet ei attribuere in statu innocentiæ: sed ad perfectionem humanæ speciei pertinet, ut per generationem perpetuetur; ergo &c. Min. prob. Species humana ex sua natura est in linea generabilium, & corruptibilium: sed in omnibus generabilibus & corruptibilibus per naturam, perfectio est, ut unumquodque tale alterum facere possit, quale ipsum est, ut in *4. Metheor.* & *2. de anima c. 34.* dicit Philosopus; ergo *oportet in natura humana ponere aliquem statum naturalis generationis, etiamsi in ea nunquam peccatum fuisset, & hic est status innocentiæ, priusquàm homines transferendi erant in statum gloriæ, ubi omnino generationis cessat officium, ut dicitur Matth. 22.* In Resurrectione, neque nubent, neque nubentur; ergo &c.

III. Confirmo ratione ejusdem S. D. hàc *q. 98. a. 1.* In rebus suaptè naturâ corruptibilibus id per se est de intentione

tione naturæ, quod est semper, ac perpetuum: sed homo, estò quantùm ad animam incorruptibilis sit, quantùm tamen ad corpus naturâ corruptibilis est; ergo id, quod per se est de intentione naturæ humanæ, illud est, quod semper, ac perpetuum: sed in rebus corruptibilibus sola species est semper, ac perpetua, singularia enim sunt fluxa, & temporanea; ergo quod per se intendit natura humana, est conservatio suæ speciei, quam cùm non possit habere, saltem quantùm ad corpus in uno singulari homine, eam intendit consequi per multiplicationem hominum sibi invicem succedentium, & consequenter per generationem. Et ideò ad multiplicationem humani generis, etiam in statu innocentiæ, necessaria fuisset generatio.

IV. Sed dices. Quidquid sit, an natura humana secundùm se hoc petat; non tamen hoc illi conveniebat in statu innocentiæ. In hoc enim sicut præservati fuissent à morte, & corruptione; ita quoque dispensati fuissent à generatione: cùm sinè ista speciei perpetuitas in eisdem individuis haberi potuisset, sicut habetur in Angelis, & in corporibus Cœlestibus.

V. Sed contra. Nam in primis, ut ait D. Thom. hoc a. 1. ad 1. & in 2. sent. dist. 20. q. 1. a. 1. ad 2. *corpus hominis in statu innocentiæ, quamvis fuerit incorruptibile per gratiam innocentiæ, erat tamen corruptibile per naturam: & ideò naturali virtute ad generandum non privabatur; quia etsi quodammodo immortalis esset, ut posset non mori; alio tamen modo mortalis erat, quia poterat etiam mori, nimitùm peccando.*

Quia tamen adhuc replicari posset, in eo statu homines habituros quidem virtutem ad generandum, sed non usum, & actum generationis; quia estò possent mori, morituri tamen non essent: cessante autem fine, ob quem modò datur generatio, generatio ipsa cessare debuisset.

VI. Idcircò datæ responsioni addendum est cum eodem S. Doctore, quòd in statu innocentiæ generatio *etsi non fuisset propter conservationem speciei, fuisset tamen propter multiplicationem individuorum*. Ita hîc *q.* 98. *a.* 1. *ad* 2. & in 2. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 3. ubi docet, in aliis naturis corruptibilibus tàm quoad corpus, quàm quoad formam, seu animam, generationem unicè intendi propter conservationem speciei: in natura autem humana, quæ, estò sit corruptibilis quantùm ad corpus, est tamen incorruptibilis quantùm ad animam, generatio per se intenditur etiam propter multiplicationem individuorum: quare in statu innocentiæ, estò non fuisset generatio propter primum, fuisset tamen propter secundum. *Secundùm quòd aliqua se habent ad perpetuitatem, hoc modo sunt de intentione naturæ. Quædam igitur sunt, quæ non habent perpetuitatem, nisi ratione speciei, & in his multiplicatio individuorum, non est per se intenta à natura, sed per accidens; prout scilicet in tali multiplicatione, speciei perpetuitas conservatur. Unde in his non est generatio, nisi ut conservetur idem secundùm speciem, quod secundùm numerum idem conservari non potest. In hominibus autem secùs est: quia, quantùm ad aliquam partem sui, scilicet, animam incorruptibilem* (perpetuitatem) *habent etiam secundùm naturam: & ideò hominum multiplicatio est per se intenta, etiam sine hoc, quod ad conservationem speciei pertinet.*

VII. Quod si dicas ex S. Damasceno *lib.* 4. *Fidei orthodoxæ c.* 24. verba illa *crescite, & multiplicamini* non eam propagationem significare, quæ per conjugalem amplexum efficitur: *Deus enim alio quoque modo genus nostrum propagare poterat, si integrum ipsint mandatum, ad extremum servassent.*

Respondeo cum D. Thom. in 2. sent. loco sæpè laudato ad 1. *quòd quamvis Deus potuisset, sine operatione alicujus naturalis principii, humanum genus multipli-*

tiplicare ; *tamen hoc magis congruum ex ordine sua sapientia decrevit*, *ut rebus omnibus operationes proprias conferret*, *in quibus earum perfectio consistit*. Et quidem poterat enim etiam homines absque cibo conservare : voluit tamen , ut in illo statu vitam ciborum alimento fulcirent ; & ne senectus , & mors eos opprimeret, de Ligno vitæ eis providit.

§. II.

Resolutio secunda partis.

VIII. Non fuisse futuram in statu innocentię generationem per conjunctionem maris, & fœminæ, sicut modò, quorumdam Veterum fuit opinio considerantium turpitudinem , quæ nunc in humano coitu invenitur. In his sunt S. Greg. Nyss. *lib.* 8. *de Provid. c.* 8. Chrysost. *homil.* 18. *in Genes.* (quamvis videatur solùm velle , ante peccatum non fuisse inter Adam, & Hevam carnalem congressum ; non verò non futurum, si in innocentia permansissent) Damascenus *lib.* 4. *de fide Orthod. c.* 24. & S. Augustinus ; quamvis hanc opinionem retractaverit, ut apparet ex *lib.* 1. *Retract. cap.* 10. 13. 19. & ex *lib.* 2. *c.* 22. Attamen S. Thomas, & cum eo Scholastici omnes oppositum sentiunt , cum quibus

IX. Dico. In statu innocentiæ futura fuisset generatio per carnalem conjunctionem, & congressum viri, & mulieris, seu maris, & fœminæ. Probatur primò à D. Thom. hâc *q.* 98. *a.* 2. Deus ante peccatum masculum, & fœminam fecit, ut dicitur *Gen.* 1. *&* 1. sed non erat opus hâc sexuum distinctione, nisi ad commixtionem , ut hâc viâ genus humanum propagaretur ; ergo etiamsi homo non peccasset, fuisset coitus, ad quem distinctio sexuum ordinatur.

Scio, responderi posse ex Damasceno loco citato , Deum præscium futuri lapsus , post quem futura erat carnalis generatio , utrumque sexum produxisse.

Sed contra . Nam hinc sequeretur sexum fæmineum fuisse à Deo volitum , & productum solùm per accidens, & occasionaliter à peccato ; non autem per se ad perfectionem speciei, sicut in aliis animalium speciebus, in quibus utrumque sexum per se produxit. Deinde discurro sic : quemadmodum in cæteris animalium speciebus utrumque sexum Deus produxit, ita & in specie humana : rursùs quemadmodum aliis animalium speciebus, masculo, & fæminâ productis, dixit, ut crescerent , & multiplicarentur ; ita hoc idem dixit, masculo, & fæminâ in specie humana productis : sed in cæteris animalium speciebus hoc indicat commixtionem maris , & fæminæ ad multiplicationem esse de institutione naturæ ; cur ergo non in specie humana ? Maximè cùm Deus protestatus sit, se fæminam fecisse in adjutorium viri . Quale autem erat hoc adjutorium, cui sola fæmina inservire posset, nisi generatio, & conjunctio ad propagationem ? Nam operibus à generatione diversis, & aliis, quæ generationem comitantur , meliùs juvari potuisset per alium virum.

X. Audiendus propterea est S. Augustinus *lib.* 9. *de Genes. ad litt. c.* 3. dicens : *Si autem quæritur , ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos ; sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur : hoc enim & in prima conditione dictum est :* masculum, & fæminam fecit eos.... crescite, & multiplicamini &c.

Et cap. 5. *Aut* (inquit) *si ad hoc adjutorium gignendi filios non est facta mulier viro , ad quod ergo adjutorium facta est ? Si qua simul operaretur terram ; nondum erat labor, ut adjumento indigeret : & si opus esset , melius adjutorium masculus fieret. Hoc & de solatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. Quantò enim congruentiùs ad con-*

convivendum, & colloquendum duo amici pariter, quàm vir, & mulier habitarent? Quòd si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent: nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maximè si posterior ex prioribus crearetur, sicut fœmina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum fœminam tantùm, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio, ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur. Hæc Augustinus, ut ostendat, non ad alium finem, quàm ad gignendum, & pariendum, factam esse mulierem: & propterea, sive peccarent, sive non, futuram generationem per coitum viri cum muliere.

XI. Probatur ulteriùs. Adam sui peccati non præscius dixit Gen. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Nec refert dicere, Deum peccati præscium fecisse mulierem, non facturum alioquin, si peccatum futurum non fuisset. Nam hæc evasio jam præclusa est: quia sexus diversitas in specie humana non est ex peccato, sed ex intentione naturæ universalis, ut in aliis animalium speciebus: alioquin sequeretur, illam non futuram post Resurrectionem in beatitudine, sicut nec cætera, quæ ex peccato consecuta sunt. Cujus tamen oppositum tenendum est, & ostendit D. Thom. in supplem. 3. *p. q.* 81. *a.* 3. ubi etiam *ad tertium* docet: quòd *quamvis fœminæ generatio sit præter intentionem naturæ particularis, est tamen de intentione naturę universalis, quę ad perfectionem humanę speciei utrumque sexum requirit.* Et propterea 1. *p. qu.* 92. *a.* 1. mulierem in prima productione fieri debuisse, ostendit.

XII. Probatur igitur tertiò ratione D. Thom. hâc *q.* 98. *a.* 2. Homini in statu innocentiæ, utpote animalem vitam habenti, data fuerunt membra ad usum generationis, sicut & cætera ad alios usus inservientia: sed usus aliorum membrorum fuisset, etiam si non peccasset; ergo fuisset quoque usus membrorum generationi inservientium.

XIII. Tandem. In statu innocentiæ fuisset in hominibus generatio, ut §. præcedente ostensum est: sed in omnibus viventibus perfectis, in quibus est sexus distinctio, generatio fit per hoc, quòd fœmina se habeat, ut patiens, & materiam ministrans, & mas se habeat, ut agens, & ad formam inducens; ergo in eo statu generatio humana compleri non poterat, nisi per conjunctionem viri ut agentis, & fœminæ ut patientis; cùm nedum oppositum in Scriptura non habeatur, sed potiùs hoc ex eadem inferatur. Hâc ratione utitur D. Thom. *in* 2. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 2.

XIV. Advertit tamen S. Præceptor hâc q. 98. a. 2. *quòd in coitu duo sunt consideranda secundùm præsentem statum. Unum, quod naturæ est, scilicet conjunctio maris, & feminæ ad generandum. In omni enim generatione requiritur virtus activa, & passiva. Unde cùm in omnibus, in quibus est distinctio sexuum, virtus activa sit in mare, virtus verò passiva in femina; naturæ ordo exigit, ut ad generandum conveniant per coitum mas, & femina. Aliud autem, quod considerari potest, est quadam deformitas immoderatæ concupiscentiæ, quæ in statu innocentiæ non fuisset, quando inferiores vires omninò rationi subdebantur. Unde August. dicit lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 26. Absit, ut suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cætera, & sine ardore, & illecebroso stimulo, cum tranquillitate animæ, & corporis.

XV. Sed dices primò. Admissâ in illo statu generatione per coitum, deberet admitti quoque libidinis æstus, quod probatur. Quò natura purior est,

est, eò major est consensus convenientis cum conveniente, ex quo causatur delectatio: sed natura humana in illo statu purior erat, quàm post peccatum; ergo major fuisset delectatio. Cùm ergo post peccatum delectatio, quæ est in coitu, propter suam magnitudinem, usum rationis absorbeat, videtur, quòd multò amplius in eo statu hoc fuisset.

Si respondeatur cum S. Thom. in 4. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. quòd absolutè loquendo, major delectatio fuisset in primo statu: *sed secundùm proportionem ad rationem fuisset multò minor; quia ratio in suo actu fortiter persistens delectationi penitùs dominaretur: & ideò non fuisset superabundans, vel fervens delectatio, sicut modò est*. Unde D. August. lib. 14. de Civit. Dei c. 26. *Ut enim* (inquit) *ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus faminea viscera relaxaret: sic ad fatandum, & concipiendum, non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret*.

XVI. Contra dices. Vis generativa, sicut, & nutritiva, & augmentativa sunt potentiæ animæ vegetabilis: sed ratio imperare non poterat actibus potentiarum animæ vegetativæ; quare imperare non poterat nutritivæ, & augmentativæ, ut homo sine cibo nutriri, & augeri posset; ergo neque generativæ, ut delectatio actui ejus conveniens remitteretur.

Respondeo cum D. Tho. loco laudato *ad* 3. dist. min. non potest immediatè, conc. min. mediatè, neg. min. *Potentia anima vegetabilis in actibus propriis non obediunt rationi, ut in* 1. *Ethic. dicitur* (cap. 16.) *sed quidam actus sunt sensitiva partis, vel motiva ordinati ad actus vegetativa, & illi actus subjacent rationis imperio. Delectatio autem non est per se ad generativam pertinens, sed ad sensitivam*. Ita S. Tho. Unde ratio poterat eam suo imperio moderari.

XVII. Dices secundò. In conjunctione carnali homo maximè efficitur similis bestiis ob vehementiam delectationis. Unde etiam continentia laudatur, per quam homines ab hujusmodi delectationibus abstinent: sed homo bestiis comparatur propter peccatum, ut dicitur Psal. 48. *Homo cùm in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*; ergo ante peccatum non fuisset conjunctio maris, & fæminæ ad generandum.

Respondeo cum eodem S. Doct. 1. *p. q.* 98. *a.* 2. *ad* 3. dist. maj. ob vehementiam delectationis absolutè, nego maj. delectationis, quam ratio moderari non potest. co. maj. *Bestia* (ait D. Th.) *carent ratione. Unde secundùm hoc homo in coitu bestialis efficitur, quia delectationem coitus, & fervorem concupiscentia ratione moderari non potest*. Unde etsi homo innocens in tali actu delectationem experiretur, & fortè majorem, quantò purior esset natura, & corpus magis sensibile; quia tamen fuisset totaliter regulata à ratione, supra quam vis concupiscibilis ausa non fuisset insurgere, fuisset delectatio non brutalis, sed rationalis, *Sicut sobrius in cibo moderatè assumto non minorem habet delectationem, quàm gulosus; sed minus ejus concupiscibilis super hujusmodi delectatione requiescit*. Exemplum est D. Tho. Excluderetur ergo à statu innocentiæ, non quidem delectationis magnitudo, sed ardor libidinis, & concupiscentiæ motus, voluntate, & ratione membra regente, & ad nutum movente. Et hoc est, quod ait August. supra laudatus, quòd *eo voluntatis motu moverentur illa membra, quo catera, & sine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate anima, & corporis*.

XVIII. Quod verò de continentia dicitur, negat S. Thomas ibi, nempè *ad tertium*, continentiam fore tunc laudabilem; quamvis modo sit laudabilis, imò laudabilior Matrimonio, ut 2. 2. *q.* 152. *a.* 4. docemur. Et rationem dat: non enim modò magis laudatur continentia propter defectum

fæcun-

fæcunditatis, sed propter remotionem inordinatæ libidinis, quæ ab actu conjugii modò inseparabilis est. Quare cùm in eo statu esset fæcunditas sine motibus illecebrosæ libidinis, aliisque, quæ vel turpitudinem, vel solicitudinem, vel distractionem à divinorum contemplatione secum ferunt; laudabilior esset Matrimonii status, quàm continentiæ. Ex quo sequitur, nullum tunc Virginitatis statum perpetuò servaturum, sed omnes Matrimonio jungendos, eoque ad propagationem usuros.

XIX. Sequitur præterea, quòd in quolibet actu, quo vir cognovisset uxorem, ex ea prolem suscepisset; quia nunquàm usi fuissent Matrimonio, nisi ad finem, ad quem erat institutum, qui erat generatio prolis; & proinde nulla tunc fuisset sterilitas. Non oportet tamen, quòd mulieres in quolibet partu edidissent gemellos marem, & fæminam; cùm aliter facilè servata fuisset virorum, ac mulierum paritas; eò etiam, quia neque Heva simul cum Adamo condita fuit.

XX. Dices tertiò etiam contra dicta. Copula conjugalis secum affert corruptionem, & virgineæ integritatis amissionem: sed in eo statu nulla fuisset corruptio, neque integritatis læsio; ergo &c.

S. Thomas in hoc anceps fuisse videtur. Etenim in 2. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 1. admittit, quòd in eo statu per copulam conjugalem soluta quidem fuisset integritas carnis, non tamen integritas mentis. *Ad perfectionem* (inquit) *virginitatis duo concurrunt, scilicet integritas carnis cum integritate mentis, quorum alterum, scilicet integritas mentis, honorabilius est, reliquum virginitati essentialius. Dicendum ergo, quòd in omni concubitu solvitur virginitas quantùm ad integritatem carnis, etiam in primo statu: sed integritatem mentis contingit solvi dupliciter. Vel quantùm ad habitum; & sic solvitur per illicitum concubitum, qui tollit habitum castitatis. Vel quantùm ad actum; & sic in statu post peccatum solvitur etiam per concubitum matrimonialem, eò quòd propter vehementiam delectationis ratio in ipso actu absorbetur. In primo verò statu neutro modo integritas mentis soluta fuisset, sed sola integritas carnis, cui praponderasset fæcunditas prolis.*

XXI Verùm hàc 1. *p. q.* 98. *a* 2. *ad* 4. negat, solutam fuisse in primo statu etiam integritatem carnis, motus auctoritate S. Augustini *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 26. dicentis: *In illo statu nullâ corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Ita enim potuit utero conjugis, salvâ integritate fæminei genitalis, virile semen immitti, sicut nunc potest, eâdem integritate salvâ, ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maternitatis impulsus fæminea viscera relaxaret: sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* Ita apud D. Thom. S. Augustinus.

XXII. Conciliari tamen posset utraque solutio, dicendo: quòd si per integritatem carnis intelligatur ea, quæ opponitur fractioni, violentiæ, & læsioni, quæ nulla tunc fuisset, sicut nec ullus dolor in partu, aut violenta partium disruptio; sic cum D. August. dici posset, tunc ullam etiam læsionem Virginitatis carnis fuisse aut corruptio; nam illa viscerum relaxatio, quæ in semine recipiendo, aut partum emittendo contingeret, esset prorsùs naturalis, sicut apertio oris, vel manus. Si verò per integritatem carnis sumatur ea, quæ opponitur etiam apertioni, & cuicumqe viscerum relaxationi, sic non mansisset integritas carnis: quia fæminæ nec concepissent, nec peperissent sinè aliqua viscerum apertione, seu relaxatione, ut ipse S. Augustinus fatetur.

XXIII. Dices quartò. Si ante peccatum fuisset generatio per coitum, cùm primi homines fuerint in perfecta ætate conditi, fuissent in Paradiso car-

so carnaliter conjuncti: sed hoc est falsum, quia contra Scripturam; ergo &c.

Respondet D. Thomas hâc *q.* 98. *a.* 2. *ad* 2. ex S. August. *l.* 9. *de Genes. ad litt. c.* 4. neg. maj. Quòd *ideò primi Parentes in Paradiso non cojerunt, quia, formatâ muliere, post modicum, propter peccatum de Paradiso ejecti sunt.* Vel, *quia exspectabatur divina auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua acceperunt universale mandatum.* Ita S. Thomas. *Cur enim* (addit S. August. laudato loco) *non ad hanc rem divina exspectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundùm suam præscientiam, disponebat omnia, in qua & eorum casum procul dubio præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.*

XXIV. Ex dictis sequitur, in statu innocentiæ gignendos, & nascituros fuisse non solùm mares, sed etiam fœminas: Tùm quia, ut docet D. Thomas 1. *p. q.* 99. *a.* 2. diversitas sexuum pertinet ad perfectionem humanæ naturæ. Tùm quia cùm ex dictis genus humanum esset multiplicandum carnali propagatione, quæ fit maris, & fœminæ commixtione, ad hoc officium necessariæ fuissent fœminæ. Neque ad hoc satis fuissent primus homo, & prima fœmina, quamvis in perpetuum victuri essent. Nam (ut notat D. Tho. *a.* 2. *citato ad* 3.) cùm proles, per ipsos genita, fuisset vivens vitâ animali, ad quam sicut pertinet alimento uti, ita & generare; conveniebat, quòd non soli primi Parentes, sed omnes generarent; & quòd *natura sic processisset in generando, sicut eam Deus instituit: sed Deus instituit marem, & fœminam in natura humana, ut dicitur Genes.* 1. *&* 2. *ergo etiam in statu illo fuissent mares, & fœminæ generati.* Ita S. Thom. citatus *in Arg. sed contra.*

XXV. Nec refert, quòd fœmina dicatur *mas occasionatum*, quasi præter intentionem naturæ, & quòd modò ex debilitate feminis contingat fœminam, & non marem generari.

Nam ad primum respondet D. Tho. citatus, fœminam dici *marem occasionatum*, quia est præter intentionem naturæ particularis, non autem præter intentionem naturæ universalis. Ad secundum etiam dicit, quòd *generatio fœminæ non solùm contingit ex defectu virtutis activæ, vel indispositione materiæ.....sed quandoque quidem ex aliquo accidente extrinseco, sicut Philosophus dicit lib.* 2. *de Animal. cap.* 2. *quod* ventus septentrionalis coadjuvat ad generationem masculorum, australis verò ad generationem fœminarum. *Quandoque etiam ex conceptione animæ, ad quam de facili immutatur corpus. Et præcipuè in statu innocentiæ hoc esse poterat, quando corpus magis erat animæ subjectum; ut scilicet secundùm voluntatem generantis distingueretur sexus in prole.*

XXVI. Sequitur tandem, quòd ut ait D. Tho. hic ad 3. *tot fuissent generatæ fœminæ, quot mares.* Cùm enim distinctio sexuum esset propter multiplicationem generis humani, & completionem numeri Electorum; & hoc ad omnes spectaret: cùmque insuper, ut docet idem S. Doct. *Quolib.* 5. *a.* 8. hæc multiplicatio haberetur solùm secundùm legem Matrimonii, quod omnes contraxissent, in quo tantùm una erat unius: necesse est, quòd tot fuissent mulieres, quot viri; nulla mulier careret viro, nullus vir careret uxore, nec una esset plurium, nec plures unius.

DU-

DUBIUM IV.

De conditione Prolis generandæ quantùm ad Corpus.

§. I.

In qua ætate nati fuissent homines.

I. VIdimus, in statu innocentiæ nascituros fuisse non solùm mares, sed etiam fœminas: modò videndum est, in qua ætate nati fuissent, an in adulta, an verò puerili. Quia verò aliqua diximus superiùs *quæst. præced. Dub. 6.* agentes de conditione quoad animam; ideò breviter expediemur.

II. Dico igitur. Homines in eo statu nascerentur in ætate puerili; ideòque mox nati non habuissent sufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, sed ad actus pueritiæ convenientes, puta ad sugendum ubera, & alia hujusmodi. Ita D. Th. 1. *p. q.* 99. *a.* 1. & in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 1. cum Magistro Sent. ibi. Prior pars prob. Nam ex dictis, pueri nati fuissent carnali generatione ex utero matris; ergo nati fuissent parvuli: conditio enim uteri fœminei non patitur, ut contineat, & emittat hominem adultum.

III. Secunda verò pars etiam probatur ratione D. Thomæ hoc a. 1. Quòd ea, quæ sunt supra naturam, solà fide tenemus: unde in omnibus asserendis sequi debemus naturas rerum, nisi oppositum auctoritate divinâ, cui soli fides innititur, nobis fuerit revelatum: sed de hominibus in statu innocentiæ nascituris, nihil speciale nobis supra naturam est revelatum, & aliunde naturale est pueris, ut mox nati modo consueto, non statim habeant perfectam virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus; ergo ita est asserendum. Min. prob. Homo enim naturaliter habet cerebrum majus in quantitate, quàm cætera animalia; ergo naturale est, ut propter maximam humiditatem cerebri in pueris, nervi, qui sunt instrumenta motus, non sint idonei movere membra ad omnes eos motus, ad quos possunt viri ea movere. Rursus corpora puerorum ex utero egredientia tenera sunt, & mollia: sed teneritudo, & mollities corporis non est idonea ad omnes eas operationes, & motus, qui viris perfectis convenire possunt; ergo &c.

IV. Tertia quoque pars ex eodem probatur. Nam ut dicitur Ecclesiastæ 7. v. 30. *Deus fecit hominem rectum*, hoc est, ut ait August. *l.* 14. *de Civit. Dei c.* 11. habentem voluntatem bonam, & rectam, & talem, qui si servasset suam innocentiam, etiam pueros rectos genuisset: quæ rectitudo importaret etiam perfectam subjectionem corporis ad animam; ergo sicut in primo statu non poterat esse in membris hominis aliquid, quod repugnaret ordinatæ hominis voluntati, ita membra hominis deficere non poterant humanæ voluntati; ergo pueri potuissent sua membra movere sicut voluissent: voluntate autem ordinatâ non voluissent, nisi quod erat suo statui conveniens; ergo potuissent movere membra ad motus statui pueritiæ convenientes. Quamvis igitur non statim habuissent robur virile, nec virilem staturam, nec currere, aut alia facere, quæ virilis ætatis sunt propria; potuissent tamen, & manus, & pedes, & linguam movere, quantùm illa parvula ætas requirit, sive ad sugendum ubera, sive ad alia isti ætati convenientia. Ac proinde non fuissent adeò infirmi, sicut modò, quibus (ait August. l. 1. de peccat. merit. c. 38.) *nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi ope nutrientis admotis labiis papilla uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quàm sugere.* Talis enim corporis infirmitas ex peccato est. Unde subdit Augu-

Augustinus: *Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis*.

V. Hæc spectatâ hominis naturâ dicta sunt. Quòd si ad Dei potentiam attendamus; dubium non est, quin posset Deus statim natos ad perfectam staturam eos perducere, sicut exiguam costam in mulierem adultam ædificavit. Movet hanc quæstionem S. August. loco citato c. 37. *Movet enim* (inquit) *si primi illi homines non peccassent, utrum tales essent filios habituri, qui nec linguâ, nec manibus, nec pedibus uterentur*. Cui Respondet: *Propter uteri capacitatem fortasse necesse fuerit parvulos nasci. Quamvis cùm exigua sit pars corporis costa, non tamen propter hoc Deus parvulam viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulierem; unde & ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos, grandes protinùs facere*.

§. II.

Solvuntur contraria.

VI. Obiicies primo. Homines, illo statu durante, non minùs roboris habuissent in ætate senili, quàm virili; ergo nec etiam minùs habuissent in puerili.

Respondeo ex doctrina S. Thomæ 2. *dist*. 20. *q*. 2 *a*. 1. quòd in hominis vita est quædam circulatio, quæ à defectu incipiens ad statum perfectionis devenit; ex quo iterùm in defectum revertitur, & tandem in mortem terminatur. Hoc in nobis contingit. Homo autem ante peccatum, etsi defectibus caruisset, qui vitæ terminum consequuntur, quia, utpotè immortalis, senectutis defectus passus non fuisset; quia tamen naturali modo, nempè per nativitatem, initium vitæ habuisset, defectibus, qui modum naturalem nascendi consequuntur, carere non debuisset. Nec hoc fuisset illi pœna, sed natura. Eò vel maximè, quia illi defectus non tales intelligendi sunt, quibus privaretur aliquo bono tunc ei debito; habuisset enim quidquid erat conveniens illi ætati; sed solùm quibus careret bono sibi tunc non debito, quodque postea, tempore nimirùm conveniente, erat ei accessurum: eo modo, quo diximus, eum in puerili ætate cariturum eâ cognitione, & scientiâ, quam postea in adulta ætate esset acquisiturus. Ita D. Thomas etiam *q*. 18. *de Verit*. *a*. 7. *ad* 4. dicens: *In corpore puerorum non fuisset aliquis defectus, quo privarentur bono tunc eis debito. Erat tamen in eorum corporibus carentia alicujus boni, quod eis postea accessisset, sicut statura perfecta*.

VII. Hinc patet differentia inter Adamum, & Hevam, & filios ex eis nascituros. Adam enim & Heva, quia non habuerunt initium vitæ modo naturali, scilicet per nativitatem ex utero, sed fuerunt immediatè à Deo formati; caruerunt defectibus consequentibus initium vitæ, nempè pueritiâ: & si permansissent, etiam defectibus pertinentibus ad vitæ terminum caruissent. At eorum filii caruissent quidem defectibus pertinentibus ad vitæ terminum, puta ægritudinibus, ac senii debilitatibus: quia tamen modo naturali geniti, & nati subjecissent defectibus initium vitæ comitantibus, & statu pueritiæ naturaliter annexis.

VIII. Nec dicas. Magis distat limus terræ à corpore humano, quàm materia a muliere administrata ad conceptum; ergo si primus homo de limo terræ formatus, statim in perfecta quantitate, & virtute productus fuit; multò magis alii, qui ex eo nascerentur.

Nam Respondet D. Thom. in 2. dist. 20. q. 2. a. 1. ad 3. *quòd de limo terra corpus primi hominis formatum est virtute divina, cujus est statim ad perfectionem adducere, cùm voluerit: Sed propagatio filiorum fuisset per virtutem naturæ, cujus non est subitò operari: & ideò per successiones temporum in ultimum perfectionis statum proles producta fuisset*.

IX. Objicies secundò. Quædam animalia statim eùm nascuntur, habent virtutem sufficientem ad usum membrorum: sed homo est nobilior aliis animalibus; ergo multò magis illi naturale erit, ut statim natus virtutem habeat ad usum membrorum, & si non habeat, sit pœna peccati.

Respondet D. Thom. hàc *q.* 99. *a.* 1. *ad* 2. neg. conf. *Quòd enim quædam animalia statim nata habent usum membrorum, non est ex eorum nobilitate; cùm quædam animalia perfectiora hoc non habeant: sed hoc eis contingit ex siccitate cerebri; & quia actus proprii talium animalium sunt imperfecti, ad quos etiam parva virtus sufficere potest.* Idem dicit in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 5. ubi addit, *quòd hoc est ex nobili complexione hominis, quòd defectum talem in pueritia præ quibusdam animalibus patitur. Quia enim est mollis complexionis; ideò membra puerilia, ex sui mollitie sunt impotentia ad suos actus exercendos: & etiam propter humiditatem abundantem in pueritia, quòd contingit in hominibus præ quibusdam animalibus. Tùm ex magnitudine cerebri &c.* ut superiùs dicebamus.

X. Objicies tertiò. D. August. *l.* 1. *de Peccat. merit. c.* 38. superiùs adducto, dicit, quòd *infirmitati mentis congruit hæc infirmitas corporis*, quæ scilicet in pueris nunc apparet: sed in statu innocentiæ nulla fuisset infirmitas mentis; ergo &c.

Respondeo cum D. Thoma hàc *qu.* 99. *a.* 1. *ad* 1. & in 2. *dist.* 20. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 4. S. Augustinum loqui de infirmitate corporis, quæ in pueris modò est, quæ duo dicit: unum, defectum usus membrorum ad actus viriles, non verò ad actus pueriles; & hoc naturale est, & in illo statu quoque fuisset. Alterum defectum talem, ut nec quidquam, nec statui pueritiæ conveniens, possit agere, sed solùm esurire, & flere, nec mammas sugere, nisi à nutrice labia infantilia admoveantur: & de hoc, quod est pœna, loquitur S. August. Unde præmittit, quòd *juxta se jacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quàm sugere.*

DUBIUM V.

De Dominio Hominis Innocentis in animalia, & cæteras creaturas.

§. I.

Dominium in Animalia.

I. Dico. Homo in statu innocentiæ perfectum dominium habuisset in omnia animalia. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 96. *a.* 1. & hoc non solùm quoad jus, & potestatem dominandi; sed etiam quoad exercitium, & usum, qui fuisset plenissimus, & minimè laboriosus, & talis; ut absque contradictione illi obedivissent, quemadmodum pars inferior obediisset rationi.

II. Hoc primò testatur Scriptura *Gen.* 1. *v.* 26. ubi ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Et v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Et ut hominem tanquam suum Dominum universa animantia recognoscerent, *Genes.* 2. *v.* 19. dicitur, quòd *adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.* Ex quibus D. Thomas tùm hàc *q.* 96. *a.* 1. tùm *Opusc.* 20. quod est de Regimine Principum (quamvis ab aliquibus D. Thomæ eripiatur, ut inferiùs Dub. sequente §. 2. nu. 12.) *lib.* 3. *c.* 9. colligit, cætera animalia cuncta naturaliter debere esse homini subjecta. *In quibus* (inquit) *ostenditur, quòd natura instituta humana talem indidit potestatem. Qui enim dixit: germinet terra herbam virentem, & ex tali dicto data est potestas arboribus germinandi; dixit & nobis similiter: dominamini piscibus maris &c.* Sicut ergo naturale est arboribus

ribus germinare, ità naturale est homini cunctis animantibus praeesse. Et propter hoc Philosophus dicit in 1. Politic. c. 5. quòd *venatio sylvestrium animalium est justa, & naturalis; quia per eam homo vendicat sibi, quod est naturaliter suum*.

III. Hominem naturaliter dominari animantibus brutis, probat D. Thom. hoc *art.* 1. Tùm ex ordine naturae, quae imperfectiora in usum perfectiorum instituit: plantae utuntur terrâ in sui alimentum, animalia verò plantis, & homines plantis, & animalibus; ergo homo naturaliter dominatur animalibus. Secundò. Ex ordine divinae providentiae, quae semper inferiora per superiora gubernat: sed homo naturaliter est superior ad caetera animalia irrationalia, quia ad imaginem Dei factus, & ratione praeditus; ergo naturaliter debuit institui cum dominio supra illa. Tertiò. Ex proprietate hominis, & aliorum animalium. In aliis enim animalibus secundùm aestimationem naturalem invenitur quaedam participatio prudentiae ad aliquos particulares actus; in homine autem universalis prudentia, quae est ratio omnium agibilium: sed omne, quod est per participationem, & particulariter tale, subditur naturaliter ei, quod est universaliter, & per essentiam; ergo naturalis est subjectio caeterorum animalium ad hominem. Hinc *Ecclesiastici* 17. *v.* 4. de homine condito dicitur: *Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.* Et Psalm. 8. v. 8. 9. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper, & pecora campi; Volucres coeli, & pisces maris.*

IV. Quomodo autem potuisset homo ad nutum habere omnia animantia, secundùm locum procul à se distantia, eisque pro sua voluntate uti?

Respondeo, quòd singulari Dei providentiâ erga homines actum fuisset; ut remotissima quaeque animalia, ad quemque hominem Angelorum ministerio venissent, quando ipse voluisset: Angelis nimirùm flectentibus omnium brutorum animalium phantasiam, & corpus ad cujusque hominis imperium. Eo modo, quo Augustinus *lib.* 9. *de Genes. ad litt. c.* 14. dicit, quòd *ministerio Angelorum animalia sunt adducta ad Adam, ut eis nomina imponeret*. Neque hoc derogaret imperio hominis; nam ut ait D. Tho. hàc q. 96. a. 1. ad 1. *In subjectos multa potest facere superior potestas, quae non potest facere inferior. Angelus autem est naturaliter superior homine. Unde aliquis effectus poterat fieri circa animalia virtute angelicâ, qui non poterat fieri potestate humanâ; scilicet, quod statim omnia animalia congregarentur.*

V. Is erat hominis dominatus in animalia ante peccatum, & fuisset semper, si non peccasset. Verùm, inquit D. Tho. a. 1. citato in corp. *Inobedientia ad hominem eorum, quae ei debent esse subjecta, subsecuta est in poenam ejus: eò quòd ipse fuit inobediens Deo.* Non tamen quia homo spoliatus fuerit jure, & dominio, quod naturaliter habebat; mansit enim in homine integrum dominium quoad jus, & potestatem in animalia, utpote consequens naturam humanam, eique conveniens, quatenùs est animal ratione praeditum. Unde & post diluvium *Genes.* 9. *v.* 2. homini dixit Deus: *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terrae &c.* Sed quoad usum, & exercitium magna ex parte est diminutum; cùm & paucis imperare possit, & nonnisi labore, & difficultate. Specialiter autem per peccatum homo amisit imperium in duo animalium genera, maxima scilicet, & minima: ut discat, & quanta hominis dignitas fuerit ante peccatum, & quanta ejusdem vilitas post illud.

VI. Notat tamen S. Thom. *lib.* 3. *de Regim. Principum c.* 9. quòd etsi ab usu talis dominii exciderimus per peccatum, *tantò magis tamen participamus de dicto dominio, quantò magis ad statum attingimus innocentiae. Quod*

Q 2 *etiam*

etiam vox Evangelica nobis promittit, si ejus imitatores fuerimus in justitia, & sanctitate. Cùm enim Dominus exhortaretur discipulos ad animarum salutem, Verbum Dei prædicando; sic de eisdem virtutem denunciat dicens ..... Serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit...... *Et de Beato Paulo traditur in Actibus Apostolorum, quia vipera ipsum non læsit, nec Beatum Joannem Evangelistam venenum..... & Dominus in Luca dixit discipulis:* Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes, & Scorpiones &c. Quod legitur de aliis viris Sanctis, ut de S. Francisco, S. Antonio, aliisque antiquioribus, qui bestias etiam feras obsequentes ad manus, nutumque habuere. Verùm hoc interest inter statum hominis innocentis, & statum hominis lapsi, quamvis Sancti; quòd in statu innocentiæ obedientia animalium esset ordinaria, ac perpetua, & sine miraculo, & erga omnes homines: post peccatum verò est extraordinaria, miraculosa, ad breve tempus, & erga aliquos tantùm homines.

VII. Quod si dicas primò. Quid juvasset hominem innocentem hujusmodi in animalia dominium, si in eo statu eis homo non indiguisset?

Secundò. Quomodo animalia invicem discordia, ut ovis, & lupus sub unius dominio convenire poterant?

VIII. Respondeo ad primum cum D. Thom. citato a. 1. ad 3. *Quòd homines in statu innocentiæ non indigebant animalibus ad necessitatem corporalem: neque ad tegumentum, quia nudi erant, & non erubescebant, nullo instante inordinatæ concupiscentię motu: neque ad cibum, quia lignis Paradisi vescebantur: neque ad vehiculum propter corporis robur. Indigebant tamen eis ad experimentalem cognitionem sumendam de naturis eorum. Quod significatum est per hoc, quod Deus ad eum animalia adduxit, ut eis nomina imponeret, quæ eorum naturas designant.* Dici etiam posset, quòd etsi homo animalibus non indigeret, id tamen natura hominis integra postulabat; ut naturæ inferiores sibi obedientes essent, cùm inferiora naturaliter subesse debeant superioribus.

IX. Ad secundum dicit S. Th. laudatus *ad 2.* quosdam existimasse, quòd animalia, quæ nunc sunt ferocia, & alia occidunt, in statu illo fuissent mansueta, non solùm circa hominem, sed etiam circa alia animalia. Sed hoc irrationabile omnino est (ait D. Tho.) *Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata; ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis, sicut Leones, & Falcones..... Fuisset ergo naturalis discordia inter quadam animalia. Nec tamen propter hoc subtraherentur dominio hominis; sicut nec nunc propter hoc subtrahuntur dominio Dei, cujus providentiâ hoc totum dispensatur. Et hujus providentię homo executor fuisset; ut etiam nunc apparet in animalibus domesticis: ministrantur enim falconibus domesticis per homines gallinæ in cibum.*

§. II.

Dominium in cæteras creaturas.

X. Dico. Homo in statu innocentiæ dominium habuisset in omnes creaturas sibi inferiores, nempè in plantas, & aliàs res inanimes; non quidem imperando illis, sed absque impedimento utendo earum auxilio. Ita D. Thom. hâc *qu. 96. a. 2.* quod sic probat. Homo ita dominatus fuisset aliis extra ipsum, sicut dominabatur his, quæ in ipso erant, quæ tamen dominii, & subjectionis capacia essent: sed in homine quatuor erant, ratio, quâ conveniebat cum Angelis, vires sensitivæ, quibus conveniebat cum animalibus, vires naturales, quibus conveniebat cum plantis, & ipsum corpus, quo conveniebat cum rebus inanimatis; ergo eo modo, quo dominabatur istis, dominabatur & aliis.

Tunc

Tunc sic: sed ratio in homine non habet rationem subjecti dominio sed dominantis, ratio verò dominabatur per imperium viribus sensitivis, sicut irascibili, & concupiscibili; viribus autem naturalibus, & corpori dominabatur non quidem imperando, sed eis pro libito utendo; ergo hoc etiam modo dominabatur aliis extra se, nempè animalibus per imperium, ut dictum est, plantis verò, & rebus inanimatis utendo illis.

XI. Sicut autem homo rationi non dominabatur, sed ratione dominabatur aliis, imò rationi obediebat; ita multò minùs dominabatur Angelis: tùm quia rationales sunt: tùm quia homine superiores. Quare *Gen. 1. v. 26. & 28.* ubi homini legitur collatum à Deo dominium, dicitur: *præsit... universæ terræ.... & replete terram, & subiicite eam*. Omnium ergo terrestrium tantùm datum fuit homini dominium. Quòd si aliqui Codices legant *universæ creaturæ*, loco *universæ terræ*, respondendum est: vel Codices illos esse mendosos, cùm & in Hebræo, & in Versionibus lxx. Interpretum, & Latinis etiam S. Hieronymi pro *Creaturæ* legatur *terra*: vel exponendum est cum S. Thoma hoc a. 1. de omni *creatura, quæ non est ad imaginem Dei*.

XII. Quæri potest: an homo in statu innocentiæ haberet dominium corporum Cœlestium.

Respondetur negativè primò. Nam in Genesi citatis locis, ubi homini confertur dominium, sermo solùm est de corporibus, quæ sunt in terra, vel moventur super terram. In quæ verba ait Æstius: *nota: non similiter homini dari dominium in Cœlum, & stellas (non enim utitur illis pro sua voluntate) idcircò scilicet, ut semper meminisset, aliquem supra se majorem esse, ut illum revereretur*. Et quidem: nam de ratione dominii est, posse pro arbitrio uti re suâ tanquam inferiori: sed homo Cœlis, & astris pro arbitrio uti, & disponere non poterat, tanquam inferioribus; cùm potiùs quantùm ad vim universalem causandi ipso quoque homine sint superiora; ergo &c. Quia tamen homo potuisset pro suo arbitrio uti commoditatibus, quæ ex Cœlis, & astris proveniunt, utpotè in ejus utilitatem quodammodo factis; quodammodo dici poterat, etiam Cœlis dominari.

DUBIUM VI.

De Dominio Hominis Innocentis in alios homines.

§. I.

An omnes homines fuissent æquales?

I. Dico. In statu innocentiæ aliqua inæqualitas, seù disparitas est admittenda cum D. Tho. *1. p. q. 96. a. 3.* Primò enim fuisset disparitas quantùm ad sexum. Ut enim probatum est, fuisset generatio, quæ sine sexuum diversitate esse non potest. Secundò. Quantùm ad ætatem; quia alii ex aliis nati fuissent, junioresque essent filii, quàm parentes.

II. Tertiò. Fuisset disparitas quantùm ad animam. Non enim omnes æquè profecissent in sanctitate, in justitia, in prudentia, in sapientia. Estò enim omnes forent sancti, justi, sapientes, prudentes; alii tamen plùs, alii minùs. Quia cùm homo non operaretur ex necessitate, sed per liberum arbitrium; contingere poterat, quòd unus magis, vel minùs, quàm alter applicaret animum ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum, & sic magis, vel minus proficeret.

III. Quartò. Fuisset etiam inæqualitas quantùm ad corpus. Non enim corpus fuisset totaliter exemtum à naturæ legibus; quin & cibis nutriri debuisset, ut dictum est supra, & ab exterioribus agentibus aliquod commodum, & auxilium recepisset: ideò unum

unum plus recipere poterat, aliud minus. *Et sic nihil prohibet dicere, quin secundùm diversam dispositionem aeris, & diversum situm stellarum aliqui robustiores corpore generarentur, quàm alii, & majores, & pulchriores, & meliùs complexionati: ita tamen, quòd in illis, qui excederentur, nullus esset defectus, vel peccatum, sive circa animam, sive circa corpus.*

IV. *Causa* autem hujus *disparitatis* (inquit D. Thom. ibi ad 3.) *poterat esse ex parte Dei; non quidem ut puniret quosdam, & quosdam præmiaret; sed ut quosdam plus, quosdam minus sublimaret, ut pulchritudo ordinis magis in hominibus reluceret. Et etiam ex parte naturæ poterat disparitas causari secundùm prædictum modum, absque aliquo defectu naturæ.*

§. II.

An unus Homo alteri dominatus fuisset?

V. Dominium, ait D. Thomas hîc *q. 96. a. 4.* accipitur dupliciter. Uno modo secundùm quòd opponitur servituti; & sic dominus dicitur, cui aliquis subditur ut servus. Alio modo accipitur dominium, secundùm quòd communiter refertur ad subjectum qualitercumque, prout importat officium consulendi, & dirigendi. Inter quas Dominii acceptiones hanc diferentiam statuit S. Doct. 1. p. q. 92. art. 1. ad 2. dicens: *Duplex est subjectio. Una servilis, secundùm quam præsidens utitur subjecto ad sui ipsius utilitatem: & talis subjectio introducta est post peccatum. Est autem alia subjectio œconomica, & civilis, secundùm quam præsidens utitur subjectis ad eorum utilitatem, & bonum: & ista subjectio fuisset etiam ante peccatum. Defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent.* His suppositis

VI. Dico. In statu innocentiæ fuisset inter homines aliqua species superioritatis, & dominii civilis, & liberi, quòd vel in subditorum, vel in communem utilitatem vergeret. Ita D.Th. citatis locis; & *l. 3. de Regim. Principum c. 9.* dicit, istud dominium posse dici naturale, seu naturæ hominis, quatenùs socialis, & politici, naturaliter conveniens. Probat autem *hoc a. 4.* primò, sic: In statu innocentiæ fuisset perfectissima hominum societas, & ordo, sive ad invicem, sive ad commune bonum: sed vita socialis, & benè ordinata multorum esse non potuisset, nisi aliquis fuisset, qui præsideret; nec ordo, nisi fuisset, qui cuncta ad bonum commune disponeret: multi enim per se intendunt ad multa. Unde dicit Philos. *in princip. Politic.* Quòd quandocumque multa ordinantur ad unum, semper invenitur unum ut principale, & dirigens; ergo &c.

VII. Confirmatur primò ex eodem S. Thom. citato *in argum. Sed contra.* Conditio hominum in statu innocentiæ non erat dignior, quàm conditio Angelorum: sed inter Angelos alii sunt superiores, qui illuminant, alii inferiores, qui illuminantur, alii, qui dominantur aliis: unde unus ordo *Dominationum* vocatur; & inter Angelos ordo Hierarchicus admittitur; ergo non esset contra dignitatem status innocentiæ, quòd homo homini modo dicto dominaretur.

VIII. Confirmatur secundò ex D. August. *lib. 19. de Civit. Dei c. 13.* In statu innocentiæ fuisset perfectissima pax, & societas: sed pax, & societas in ordinata imperandi, & obediendi concordia sita est; ergo &c. Min. probatur ex Aug. *Pax hominis mortalis, & Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia.* Pax *hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi, atque obediendi concordia habitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Pax Cœlestis civitatis, ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium*

nium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Et c. 14. in fine ait: *Etiam qui imperant, serviunt illis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.* Tale autem dominium futurum fuisse etiam ante peccatum indicat, dùm initio c. 15. subdit: *Hoc naturalis ordo prascribit: ita Deus hominem condidit.*

IX. Probat secundò D. Thomas a. 4. citato. Homines in illo statu non fuissent æquales in sapientia, & justitia, sed unus alio sapientior, ac melior fuisset: sed qui sapientiores, prudentiores, ac justiores fuissent, debuissent id exequi in utilitatem aliorum; justi enim, ut dicebamus cum Augustino, *non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ*: sicut in Angelis, qui altiori scientia illuminati sunt, eam communicant inferioribus. Unde 1. Petri 4. v. 10. *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes &c.*

X. Sed dices primò. Homo in statu innocentiæ id habuisset, quod à Deo accepit in sui conditione: sed in sui conditione accepit solùm dominium super animantia irrationalia, non verò super homines, id enim ex peccato consequutum est; ergo &c. Min. probatur ex S. August. supra laudato *L. 19. de Civit. Dei c. 15.* dicente: *Hoc naturalis ordo prescribit, ita Deus hominem condidit. Nam dominetur, inquit,* piscium maris, & volatilium Cœli, & omnium repentium, quæ repunt super terram. *Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori.* Inde *primi justi pastores pecorum, magis quàm Reges hominum constituti sunt; ut etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum.*

XI. Dices secundò. Solùm post peccatum dictum est mulieri Gen. 3. v. 16. *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; ergo dominium viri in mulierem, & sic in alios homines, & subjectio unius ad alterum, pœna peccati est.

XII. Respondeo ad primam instantiam cum D. Thom. hoc a. 4. S. Augustinum loqui de dominio inducente servitutem: hoc enim modo dominii non homo dominatus fuisset homini, sed homo pecori. Unde subdit: *Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus Servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura* Evidens ergo est, Augustinum excludere à statu innocentiæ dominium rigorosum inducens servitutem, seu dicens jus Regale coercitivum, ac pœnæ inflictivum: hoc enim nomen culpa meruit, non natura. Non verò excludere dominium, seu qualecumque regimen civile, ac politicum, sub quo hominum multitudo ordinatè liberè viveret. Tale autem in statu innocentiæ nos ponimus. In eo enim (inquit D. Thom. l. 2. de Regim. Princ. c. 9.) *non fuisset Regale regimen, sed politicum; eò quòd tunc non fuisset dominium, quòd servitutem haberet, sed praeminentiam, & subjectionem in disponendo, & gubernando multitudinem secundùm merita cujusque; ut sic, vel in influendo, vel in recipiendo influentiam, quilibet esset dispositus secundùm congruentiam sua natura. Unde apud Sapientes, & homines virtuosos, ut fuerunt antiqui Romani, secundùm imitationem talis natura regimen politicum melius fuit. Sed quia perversi difficilè corriguntur..... in natura corrupta regimen Regale est fructuosius; quia oportet ipsam naturam humanam sic dispositam quasi ad sui fluxum limitibus refranare.* Hæc D. Thomas, quamvis prefati libri de regimine Principum à quibusdam Recentioribus Criticis Divo Thomæ, saltem quòad 3. & 4. librum

librum eripiantur, inter quos Natalis Alexandre *secul.* 13. & 14. *dissert.* 6. *a.* 5. cujus momenta Studiosus videre poterit. Ipsum tamen absque ulla restrictione D. Thomæ adjudicat Nicolaus Trivettus S. Thomæ coævus, ab eodem Natali summis laudibus ibi celebratus; & Nazarius in *Opusc. de Scriptis D. Thomæ*.

XIII. Ad secundam dico, verba illa *Genes.* 3. non sic esse accipienda, quasi ante peccatum mulier nullo modo fuisset subjecta viro; sed quia non sic fuisset subjecta, sicut postea. Fuisset namque subjecta quòad regimen, & gubernationem domesticam, sed subjectione sociali, liberà, absque labore, & difficultate: post peccatum verò indicitur illi in pęnam subjectio molesta, difficilis, & onerosa: ita ut etiam contra propriam voluntatem debeat viro parere, & pati gravem, onerosam, ac interdum durè imperiosam viri potestatem. Videri potest D. Thomas supra *q.* 92. *a.* 1. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 164. *a.* 2.

QUÆSTIO V.

De Tentatione & Lapsu primorum Parentum.

Egimus de felicissimo statu, in quo munificentia Dei primos nostros Parentes condiderat, & in quo permansissent, si in innocentia stetissent. Verùm brevi duravit hæc felicitas. Nam mulier invidâ Diaboli suggestione tentata, decepta, & victa, fracto præcepto, cujus observantiâ alligaverat Deus hominum fortunam, tracto in trangressionem etiam viro, sicque ambo rei divinæ indignationis effecti, tragico eventu secum in ærumnas, quas mòdò plangimus, totum genus humanum traxerunt. Quare ubi hactenùs conditi hominis excellentiam descripsimus; imposterum, evolutâ scænâ, ejusdem jacturas, ærumnasque lugenti calamo exarare cogimur. In hac igitur Quæstione initia, progressum, exitumque lapsus examinabimus.

DUBIUM I.

De convenientia, modo, & ordine Tentationis.

§. I.

An fuerit conveniens, ut homo à Diabolo tentaretur?

I. Quamvis de hoc, & de iis, quæ imposterum dicturi erimus, non tractet D. Thomas in hac 1. parte, sed alibi: quia tamen in præsenti tractatu omnia, quæ ad hominem, variosque ejus status, ac fortunam pertinere possunt, complecti intendimus; propterea omnia ea, quæ S. Doctor sparsim tradit, colligere & huc adferre pro Tyronis nostri completa notitia, in animo est.

De Tentatione igitur primorum Parentum agit D. Thom. 2. 2. *q.* 165. ubi *a.* 1. præfatum quæsitum de convenientia tentationis proponit: Videtur enim conveniens non fuisse, ut Deus permitteret, hominem à Diabolo tentari.

II. Primò. Nam Deus præscius futurorum sciebat, quòd homo per tentationem Dæmonis in peccatum deiiceretur, & sic benè sciebat, quòd non expediebat ei, ut tentaretur; ergo nec videtur fuisse conveniens, ut permitteret, eum tentari.

III. Secundò. Eadem ratio videtur fuisse de peccato hominis, ac de peccato Angeli, cùm utrumque eàdem ignis æterni pœnâ puniendum sit: sed primum Angeli peccatum ex aliqua tentatione exteriori non processit; ergo nec peccatum hominis.

IV. Tertiò. Quòd aliquis impugnatorem habeat, ad pœnam pertinere videtur, sicut quòd impugnator subtrahatur, videtur pertinere ad præmium: sed pœna non debet præcedere cul-

re culpam; ergo nec tentatio peccatum. His tamen non obstantibus.

V. Dico cum D. Thom. hoc a. 1. Conveniens fuisse, ut Deus permitteret primum hominem à Dæmone tentari. Probatur ratione ejusdem. Ad divinam Sapientiam, quæ *disponit omnia suaviter*. Proverb. 8. pertinet, ut suâ providentiâ singulis attribuat, vel permittat, quæ eis competunt secundùm suam naturam: sed ad conditionem humanæ naturæ hoc pertinet, quòd ab aliis creaturis juvari, vel impediri possit; ergo convenienter Deus permisit, primum hominem à malis Angelis impugnari, sicut & fecit, ut per bonos juvaretur.

VI. Confirm. Satis providetur homini, si ei conferatur virtus, quâ possit impugnatorem reiicere, ac vincere, nec ab eo contra suam voluntatem superari: sed Deus contulerat primo homini, per beneficium gratiæ, ut nulla creatura exterior, ne Angelus quidem, sive bonus, sive malus, posset ei nocere contra propriam ipsius voluntatem; igitur nihil incongruum poterat ei accidere ex Diaboli tentatione, nisi vellet.

VII. Hinc ad primum, quod in contrarium obstare videtur, non refert, quòd Deus præsciret, Adam, & Hevam cessuros tentationi. Nam, ut ait D. Thomas hìc *ad secundùm*, etiam præsciebat, quòd per liberum arbitrium gratiâ instructum poterat facilè tentationi resistere; maximè cùm in illis nihil esset vitii, quod ad malum eos inclinaret, sicut modò est in nobis. Hoc autem requirebat conditio naturæ ipsius, ut propriæ voluntati relinqueretur, secundùm Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui*. Unde Augustinus dicit L. 11. de Gen. ad litt. c. 4. *Non mihi videtur magna laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset benè vivere, quia nemo malè vivere suaderet; cùm & in natura posse, & in potestate haberet velle non consentire suadenti* (nota quod sequitur) *adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jacobi 4. v. 6.)

VIII. Permisit ergo, hominem tentari; quia præsciebat quidem eum esse casurum, sed culpâ propriæ voluntatis, quæ voluit cadere, cùm non cadere posset, de quo etiam quid ipse facturus esset præsciebat. *Cur itaque* (pergit S. Augustinus) *tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat, cùm id facturus esset propriâ voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam: ut etiam sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum Sanctorum, quàm rectè ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ perversè uterentur naturis bonis?*

IX. Explicans deinde unde processerit hominis casus, dicit ex superbia fuisse, quam debebat comprimere, sicut & poterat: *Nec arbitrandum est* (inquit) *quòd esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quàm de se falsò præsumserit, disceret*.

X. Tandem ibidem *c. 6.* exemplo hominum, qui etiam nunc à Diabolo, & ab homine etiam tentantur, docet, non esse mirum, si Deus permiserit tentari primum hominem, dicens: *Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quòd eam fieri permiserit Deus, quasi nunc non videant universum genus humanum Diaboli insidiis sine cessatione tentari. Cur & hoc permittit Deus?.... Cùm etiam ipsi, qui deserto Creatore eunt post tentatorem, magis, magisque tentent eos, qui in verbo Dei permanent?*

XI. Hoc ipsum mirè tractat *L. 14. de Civit. Dei c. 27.* ubi ostendens, hominem, etsi tentatum, habuisse in sua potestate, ut Diabolum vinceret, ait: *Quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret; si autem Creatorem, atque adjutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuto divini-*

divinitùs voluntate rectâ, malum verò in deserente Deum voluntate perversâ. Quia & ipsum fidere de adjutorio Dei, non quidem posset sine adjutorio Dei: nec tamen ideò ab his divina gratiæ beneficiis, sibi placendo, recedere non habebat in potestate? Nam sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea vivere in potestate est; quod faciunt, qui sepsos necant: ita benè vivere sine adjutorio Dei, etiam in Paradiso, non erat in potestate; erat autem in potestate malè vivere.... Cùm igitur hujus futuri casus humani Deus non esset ignarus, cur eum non fineret, invidi Angeli malignitate tentari? Nullo modo quidem quòd vinceretur incertus, sed nihilo minùs præscius, quòd ab ejus semine adjuto suâ gratiâ, idem ipse Diabolus fuerat Sanctorum gloriâ majore vincendus. Ita factum est, ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quemquam peccare compelleret, & quid interesset inter propriam cujusque præsumtionem, & suam tuitionem, angelicæ, & humanę rationali creaturæ consequenti experientiâ demonstraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre; atque ita, & quantùm mali eorum superbia, & quantùm boni sua gratia valeret, ostendere. Quæ repetit *L. de Corept. & gratia c.* 10. nimirùm, Deum permisisse Adami, & Angelorum lapsum, quamvis eum impedire potuisset; ut manifestaret arbitrii creati infirmitatem, & ostenderet, quid ex se posset, tametsi gratiâ sufficiente instructum. Ideoque *sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam; ut in eâ priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset sua gratia beneficium, justitiaque judicium.*

XII. Ad secundum in contrarium obstans, respondeo cum D. Thom. 2. 2. *q.* 165. *hoc a.* 1. *ad* 1. discrimen esse, *quòd supra naturam humanam est aliqua natura, in qua potest malum culpa inveniri; non autem supra naturam angelicam. Tentare autem inducendo ad malum, non est, nisi jam depravati per culpam. Et ideò conveniens fuit, ut homo per Angelum malum tentaretur ad peccandum, sicut etiam secundùm ordinem naturæ per Angelum bonum promovetur ad perfectionem. Angelus autem à suo Superiori, scilicet à Deo, in bono perfici potuit, non autem ad peccandum induci: quia, sicut dicitur Jacobi* 1. Deus intentator malorum est.

XIII. Ad tertium respondeo cum eodem S. Thom. ibidem ad 3. *quòd impugnatio, cui cum difficultate resistitur, pęnalis est; sed homo in statu innocentię poterat absque omni difficultate tentationi resistere. Et ideò impugnatio tentatoris ei pęnalis non fuit.*

§. II.

An modus & ordo Tentationis conveniens fuerit?

XIV. MOdus, quem servavit Diabolus in tentandis primis parentibus fuit iste: per serpentem, sive in serpente se præsentavit, studens horrorem transgressionis avertere, & timorem mortis promissione scientiæ boni, & mali ad similitudinem Dei. Ordo autem is fuit: non utrumque aggressus est, nec virum priùs, sed mulierem, & per mulierem jam victam virum tentavit; & ita de ambobus triumphavit. Rem describit Moyses *Gen.* 3 *à v.* 1. Cùm Deus datâ veniâ Adæ, & Hevæ de comedendo fructu cujusque ligni Paradisi, uno excepto arboris scientiæ boni, & mali, accessit serpens, *qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur. De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens*

ad

ad mulierem: Nequaquam morte morie-mini. Scit enim Deus, quòd in quo-cumque die comederitis ex eo, aperien-tur oculi vestri: & eritis sicut Dij scien-tes bonum & malum. Hic fuit modus, & ordo tentationis. Quid factum po-stea fuerit, omnes norunt, & infra dicemus. Interim mulier vidit, *quòd bo-num esset lignum ad vescendum .... & tulit de fructu illius, & comedit: de-ditque viro suo, qui comedit.*

XV. Porrò serpentem, quem pro-pterea totum genus humanum tan-quam suæ perditionis auctorem, vel instrumentum odisse debet, *Ophita* hæ-retici (de quibus superiùs aliqua dixi-mus) tanquam Numen venerabantur. *Ophita* (inquit Philastrius de hæres. c. 1.) *qui dicuntur serpentini, isti colu-brum venerantur dicentes, quòd hic prior initium nobis scientia boni, & mali at-tulerit. Unde ei Dominum invidisse as-serunt, quia scientiam primus detulerit mulieri bona rei, atque mala, perque illam ita ad genus omne hominum per-manaverit; propter quod & de Cœlo primo dejectus est, inquiunt, in alte-rum, unde eum, & de Cœlo ajunt ad-venturum, & velut aliquam Dei vir-tutem esse eundem æstimant, atque eum adnunciant adorandum.* Hæc Phila-strius. Cultus verò, quo Ophitæ ser-pentem prosequebantur, & cistæ, quâ serpentem alere consueverunt, memi-nit Epiphanius *hæres.* 37.

XVI. Manichæi quoque serpentem laudare solebant, quòd homini suo consilio oculos aperuerit, & Deum vituperare, qui oculos illi clauserat. Unde S. Augustinus *l.* 1. *contra Fau-stum* Manichæum, qui per contumeliam serpentem Catholicorum parentem vocaverat *c.* 3. sic insurgit. *Cur autem serpentem patrem nostrum dixisti? An excidit tibi, quòd soleatis vituperare Deum, qui homini præceptum in Para-diso dedit, & laudare serpentem, quòd ei per suum consilium oculos aperuit? Puto justum esse, ut serpentem illum Diabolum à vobis laudatum, tu potiùs agnoscas parentem tuum. Nam ille te filium etiam modò vituperatus agnoscit.* Hanc etiam blasphemiam in Manichæis deprehendit idem S. August. *l.* 15. *contra Faustum c.* 9. quòd dicerent, serpentem illum fuisse Christum.

XVII. Hisce tamen deliramentis re-jectis, in serpente illo Diabolum lo-quentem, atque tentantem Catholica fides agnovit, ac detestata est. Hoc enim serpente Diabolum fuisse usum Scripturæ testantur, quæ primum ho-minis peccatum (quod sine dubio ad serpentis tentationem commissum fuit) invidiâ Diaboli contigisse ait Sap. 2. v. 24. *Invidiâ autem Diaboli mors in-troivit in orbem terrarum.* Et propte-rea Apocal. 20. v. 2. serpens antiquus vocatur, *qui est Diabolus, & Satanas.*

XVIII. Serpens igitur dixit ad mu-lierem, quæ metu mortis ab esu fru-ctus vetiti coercebatur: *Nequaquam mo-riemini.* Hìc observanda serpentis astu-tia. Postquàm proposuit objectum, nunc removet pœnam, ut timorem excutiat; & promittit utilitatem, ut excitet desiderium. Paucis ergo ver-bis plura concludit mendacia. Primò negat, hominem moriturum, etsi edat de fructu, quem edendum proponit. Secundò tribuit arbori vim, quam non habebat. Tertiò promittit, oculos ape-riendos. Quartò pollicetur, eos fu-turos sicut Deos, scientes bonum, & malum. Quintò insinuat, Deum scire quod ista sint vera; ut vel ipsum in-vidiæ insimulet, si re tàm bonâ eos privare voluerit, ut notat August. *l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 42. vel ut significet, Deum non seriò prohibuis-se illius arboris esum; sed, vel joco tantùm, vel alicujus misterij gratiâ, quod modò non scirent, scituri autem essent, postquàm comedissent. Accessit autem ad mulierem, non ad virum; quia *non est ausus serpens loqui viro, sed ad eum deiiciendum fœmineo usus est ministerio. Per infirmiorem obtinuit for-tiorem, & quia alterum penetravit, de utroque triumphavit. S. August. Serm.* 190 olim de diversis 61. his ergo præ-habitis.

XIX. Dico. Modus, & ordo præfatæ tentationis conveniens fuit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 165. *a.* 2. Ille modus, & ordo fuit conveniens in prima tentatione, quæ peperit primum hominis peccatum, qui servatur in quocumque alio peccato ex ipso consecuto: sed hoc in prima tentatione servatum fuit; ergo &c. Min. prob. In quolibet genere peccati invenitur iste ordo, ut præcedat in sensualitate quædam peccati concupiscentia; deinde sequatur in inferiori ratione delectatio; & tandem consensus in ratione superiori: atqui hic idem ordo servatus fuit in prima tentatione, ubi serpens, qui sensualitatem significat, primò peccatum suggessit, & ad peccati concupiscentiam traxit; deinde mulier, quæ rationis inferioris symbolum est, oblectata fuit; postremò vir, per quem significatur ratio superior, consensit; ergo primæ ille tentationis modus, & ordo &c.

XX. Confirmatur. Homini ex duplici natura composito intellectivâ, & sensitivâ, modus tentationis proprius erat utramque naturam allicere: atqui Diabolus ea exteriora adhibuit, eum tentando, quibus & mentem, & sensum ipsius illiceret ad peccandum: usus enim est serpente, cui se immerserat tanquam instrumento ad formandas voces humanis similes, per quas excluderet metum mortis, & homini promitteret scientiam excellentem, & potestatem aliunde non dependentem: usus est prӕterea pulcherrimi pomi ostensione ad seducendam mulierem, & ipsa muliere ad deijciendum virum; ergo &c.

XXI. Sed inquies primò. Convenientius fuisset, ut Diabolus primos Parentes interiori suggestione, immutando scilicet phantasiam, tentaret, quàm externâ sensibili creaturâ utendo. Etenim cùm magis intelligibilibus, quàm sensibilibus inhærerent in eo statu, convenientius fuisset, ut spirituali potiùs, quàm sensibili tentatione eos aggrederetur.

Respondet tamen D. Thom. 2. 2. citato ad 2. *quòd suggestio, quâ spiritualiter Diabolus homini aliquid suggerit, ostendit, Diabolum plus habere potestatis in homine, quàm habeat suggestio exterior: quia per suggestionem interiorem immutatur à Diabolo saltem hominis phantasia: sed per suggestionem exteriorem immutatur sola exterior creatura. Diabolus autem minimum potestatis habebat in homine ante peccatum. Et ideò non potuit eum interiori suggestione, sed solùm exteriori tentare.*

XXII. Inquies secundò. Sicut ordine naturæ Angelus est perfectior homine, ita & vir erat perfectior muliere: sed congruum fuit, ut homo tentaretur ab Angelo; ergo & mulier debuisset tentari à viro, seu tentatio debuisset à viro pervenire ad mulierem, non è converso.

Respondet D. Thom. laudato loco ad 1. Quòd *in actu tentationis Diabolus erat sicut principale agens; sed mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis ad deijciendum virum. Tùm quia mulier erat infirmior viro; unde magis seduci poterat. Tùm etiam quia propter conjunctionem ejus ad virum, maximè per eam Diabolus poterat virum seducere. Non est autem eadem ratio principalis agentis, & instrumenti. Nam principale agens oportet esse potius, quod non requiritur in agente instrumentali.* Ita D. Thom. Quia verò controverti solet, an reverâ Diabolus usus fuerit vero serpente ad hanc tentationem: ideò

DUBIUM II.

An Heva seducta fuerit à Diabolo veri Serpentis organo utente.

§. I.

Resolutio Dubiî.

SAncti Cyrilli *lib.* 3. *contra Julian.* opinio fuit, non veri serpentis corpus, sed speciem dumtaxat, & simulacrum serpentis fuisse

fuisse ad tentationem assumtum, & Hevæ à Diabolo exhibitum. Cùm enim à Juliano Apostata objiceretur: *Serpentem, qui cum Heva loquitur, quo tandem usum sermone dicemus? an humano? Quid à fictis Græcorum fabulis ista differunt?* Respondet Cyrillus: quod si secundùm Gentiles etiam res inanimes, nedum arbores, & plantæ, creduntur loquutæ; cur credi non poterit Diabolum personam serpentis subeuntem voces humanis similes edere potuisse?

II Cajetanus verò asseruit, tentationem Hevæ internâ tantùm suggestione à Diabolo fuisse peractam, qui serpentis nomine à Moyse metaphoricè significatur. Ista tamen opinio, nedum singularis, sed à multis erronea reputatur.

III. Dico. Heva seducta fuit à Diabolo veri serpentis organo utente. Hoc apertè indicat Moyses, qui simplici narratione eum vocat serpentem; & unum ex animantibus terræ fuisse dicit Gen. 3. v. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem.* Fuisse etiam verum serpentem, non meram speciem, & imaginem serpentis, quam ludificandis Hevæ sensibus Diabolus adhibuerit, ostendit genus pœnæ, quo serpentem mulctavit Deus. Cùm enim Heva à Deo increpita, quòd arboris vetitæ fructum gustasset, respondit v. 13. *Serpens decepit me:* conversus Dominus ad serpentem, ait v. 14. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Porrò hæc certè non conveniunt nec serpenti adumbrato, non vero, nec Dæmoni.

IV. Dæmonem autem usum fuisse illo vero serpente, velut organo, ad mulierem tentandam probat serpentis cum Heva colloquium, ac velut familiaris cum ea congressus. Cum enim humanus sermo excedat facultatem cujuscumque irrationalis, necessariò in aliquam naturam intelligentem refundendus est. In quatuor verò poterat refundi, in hominem, Angelum bonum, Deum, vel Diabolum: sed sermo ille serpentis refundi non poterat in hominem, quia tunc nemo homo aderat præter Adamum, & Hevam: nec in bonum Angelum, aut Deum; quia nec bonus Angelus, & multò minùs Deus esse poterant sermonis auctores, quo mulier ad præceptum Dei violandum solicitabatur; ergo in solum Diabolum refundendus est. Unde Sap. 2. v. 24. dicitur: *Invidiâ autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum.* Et hominis perditio ei tribuitur, partim sub nomine Diaboli; qui propterea à Christo Jo. 8. v. 44. dicitur *homicida*, qui *erat ab initio:* partim sub nomine serpentis, ut à Paulo 2. Cor. 11. v. 3. dicente: *Timeo autem, ne sicut serpens Hevam seduxit astutiâ suâ &c.* & Apoc. 12. v. 9. *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum Orbem.* Quibus apparet, serpentem per Diabolum ei insidentem, eoque utentem, mulierem tentando fuisse alloquutum.

V. Idipsum confirmant Patres. Chrysostomus *homil. 16. in Genes.* de serpente, ait: *At fortè hìc dubitaverit quis, & quæsierit, num & hoc animal rationis fuerit particeps?* Cui respondet: *Non ita est: absit. Sed ii, qui Scripturas sequuntur, intelligant, oportet: verba quidem esse Diaboli, quem invidia concitabat, ut ita hominem falleret: animali autem hoc, ut idoneo instrumento, utebatur Diabolus &c.* Theodoretus Interrogat. 32. In Genes. *Serpens* (inquit) *erat organum inimici veritatis.* Et interrogat. 35. quærens: *Quare Deus serpentem creavit, cùm prænosset, illum futurum organum nequitiæ?* Respondet: *Hoc ipsum & de homine quispiam dicere possit. Praviderat enim Deus, quòd ille præceptum transgressurus esset. Cæterùm Diabolo perfacile erat alterius bestiæ ministerio fallere.*

VI.

VI. In idem conspirat S. Augustinus *lib. 11. de Genes. ad litt. c. 27.* ubi ait, quòd Diabolus *non est permissus tentare fœminam, nisi per serpentem, nec virum, nisi per fœminam: sed in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo movere ille, & moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem*. Et cap. 28. *Non itaque* (inquit) *serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cùm Dæmon in eis loquitur eâ passione, cui Exorcista requiritur, sciunt, quid loquantur: quantò minùs ille intelligeret verborum sonos, quos per eum, & ex eo Diabolus illo modo faciebat; qui hominem loquentem non intelligeret, si eum à Diabolica passione immunis audiret. Nam & quod putantur audire, & intelligere serpentes verba Marsorum; ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur.... Etiam hæc enim non parva testatio est, naturam primitùs humanam serpentis esse seductam colloquio. Gaudent enim Dæmones, hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos possunt.*

VII. Exponens verò modum, quo serpens ille loquebatur c. 29. ait: *sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini; nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni, & mali Angeli opera similia, sicut Moyses, & Magi Pharaonis. Verùm in his etiam boni Angeli potentiores sunt; nec mali Angeli etiam talium operum quidquam possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus.* Et assignans causam, cur Deus non interrogaverit serpentem, cur hoc fecerit, ait: *Proinde quòd serpens, cur hoc fecerit, non est interrogatus, potest videri, quòd non ipse utique id in sua natura, & voluntate fecerat, sed Diabolus de illo, & per illum, & in illo fuerat operatus*. Hucusque Augustinus. Quæ ferè omnia inveniuntur relata à D. Tho. 2. 2. q. 165. a. 2. ad 4.

VIII. Tandem verum serpentem fuisse illum, quo usus est Diabolus in prænarrata tentatione, apertè asserit *lib. 14. de Civit. Dei c. 11.* ubi ait, quòd superbus Angelus, qui *homini stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo, & femina animalia etiam terrestria cætera subdita, & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit; eoque per angelicam præsentiam, præstantioremque naturam spiritali nequitiâ sibi subjecto, & tanquam instrumento abutens, fallaciâ sermocinatus est fœminæ: à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum; non existimans, virum facilè credulum, nec errando posse decipi, sed dùm alieno cedit errori*. Mitto alios PP. Bedam, Rupertum, Damascenum *l. 2. de Fide orthod. c. 10.* & alios; cùm itá communiter sentiant contra Cajetanum, post S. Thomam citatum, omnes scholastici Theologi.

§. II.

Fundamenta contraria.

IX. **O**Bjicit primò Cajetanus. Hæc verba Genes. 3. v. 1. *sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ* de vero serpente nequeunt intelligi: si enim Philosophis, qui naturas rerum scrutati sunt, credimus, inter animantia serpens non est callidissimus. Id ergo propterea Moyses dixit, ut indicaret, se non loqui de vero serpente, sed figuratè, ac metaphoricè de Diabolo, mores & ingenium serpentis referente; serpendo scilicet per interiores sensus hominis,

nis, ut eum veneno suæ persuasionis inficiat, atque corrumpat.

X. Respondeo, negando ant. Serpens enim verus potuit dici callidior, seu astutior cunctis animantibus, partim naturâ suâ, quâ vafer est; partim, & maximè, ob astutiam Diaboli, qui in illo, & per illum, & de illo agebat dolum. Prior pars firmatur primò auctoritate Christi, qui Matth. 10. v. 16. *Estote* (inquit) *prudentes, sicut serpentes*. Secundò ex multiplici experimento calliditatis serpentis, tùm ad tuendam vitam; tùm ad insidiandum homini. Et quidem ad tuendam vitam suam: nam sentiens incantatorum carminibus se captum iri, ne ea exaudiat, alteram aurem terræ, vel saxo admovet, atque apprimit; alteram verò caudâ obturat: quod eleganter exprimit David *Psalm. 57. v. 5. & 6.* ubi loquens de peccatoribus in malo obduratis, ait: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdę, & obturantis aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium*. Rursùs serpens, si saxo, aut fuste, vel ferro ab homine petitur, totum corpus in orbes circumvolvit; ut caput, ex quo totius corporis pendet salus, ab ictibus protegat. Præterea cùm siti fatigatus è cavea procedit ad aquas, ut bibat, venenum quasi expuere, & evomere dicitur; ne aquas inficiat. De his, & aliis videri possunt Arist. *lib. 8. de Hist. anim. c. 23.* Plinius *l. 8. c. 27.* Plutarchus *lib. de Solertia animalium &c.* & Ablian. *lib. 9. Hist. animal. c. 15.*

Serpentis vafrities ad insidiandum homini constat & Scripturis, & quotidianis experimentis. Ex illo Gen. 3. v. 15. ubi serpenti dicitur: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus;* quæ licèt allegoricè referantur ad Diabolum, litteraliter tamen ad serpentem referri, experimento discimus. Hinc *Gen. 49. v. 17.* dicitur: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò*. Et Ecclesiastæ c. 10. v. 8. *qui dissipat sepem, mordebit eum coluber* & v. 11. *Si mordeat serpens in silentio &c.*

XI. Posterior verò pars traditur à S. August. citato *lib. 11. de Gen. ad litt. c. 29.* ubi docet, Scripturam loqui de veri serpentis astutia, non secundùm se spectatâ, sed ut assumtâ à Diabolo, eique ut organo inserviente, his verbis: *Proinde prudentissimus omnium bestiarum, hoc est astutissimus, ita dictus est serpens propter astutiam Diaboli, qua in illo, & de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens, vel astuta lingua, quam prudens, vel astutus movet ad aliquid prudenter, astutèque suadendum. Non enim est hæc vis, seu virtus membri corporalis, quod vocatur lingua, sed utique mentis, quæ utitur eâ. Ita etiam dictus est stilus mendax scribarum: neque enim esse mendacem pertinet, nisi ad viventem, atque sentientem: sed stilus mendax dictus est, quòd per eum mendax mendaciter operetur; quemadmodum si & iste serpens mendax diceretur, quòd eo Diabolus tanquam stilo mendaciter uteretur.* His Augustini verbis respondet S. Tho. *2. 2. q. 165. a. 2. ad 4.*

XII. Objicit secundò. Moyses nihil scribit de pavore mulieris ad accessum serpentis, & horrore ad ejus præsentiam; cùm tamen Moyses ipse (Exodi 4. v. 3.) serpentis præsentiâ territus aufugerit; ergo non erat verus Serpens.

Respondeo, Hevam serpentis accessum, & congressum non horruisse, quòd in statu innocentiæ animalia omnia homini placidè, ac obedienter subjecta essent; nec feritate, morsibus, aut veneno terribilia eidem forent noxia: & ideò nullum horrorem inferre poterant homini innocenti, singulari Dei providentiâ ab illo felici statu molestiam omnem arcente. Unde nonnisi post peccatum hominis inimicitiam inter ipsum, ac serpentem Deus comminatus est, Genes. 3. v. 15. *Hinc collige* (ait Chrysost. homil. 16. in Genes.) *ab initio nullam bestiarum virum, vel mulierem terruis-*

terruisse, sed dominium, & subjectionem agnovisse: & sicut nunc domestica animalia; ita & fera, & immansueta, tunc mitia fuisse. Et de serpente, ait Damascenus lib. 2. de Fide c. 10. *Quin serpens quoque homini familiaris erat, ut præ cæteris animalibus ad eum accederet, blandisque motibus quasi cum illo conversaretur.*

XIII. Instabis. Saltem debuisset mulier obstupescere, audiens serpentem humanâ voce loquentem; quod nec etiam Moyses dicit.

Respondeo, Josephum *lib. 1. Antiquit. cap. 2.* cui adhærere visus est Basilius *homil. de Paradiso*, censere, quòd animalia tunc sensatè loquerentur, & serpentem maximè; cui in pœnam fuisse postea vocem ademtam, dicit Josephus citatus: *Quin & serpenti* (Deus) *vocem ademit, iratus ob malitiam, quâ erga Adamum est usus, venenumque linguæ ejus indidit.* Sed hoc est incredibile. S. Cyrillus *lib. 3. contra Julianum* putat, Hevam non obstupuisse, quia nesciebat, facultatem loquendi nulli animali naturalem esse. Nam & rerum novitas, & experientiæ defectus, & quòd sexus muliebris perfectio omnium rerum naturalium cognitionem non exigeret, ignorantiæ illius causa fuit, seu veriùs nescientiæ, quæ in eo statu non dedecebat. Hanc responsionem sequitur Natalis Alexandre *hist. Eccles. Vet. test. dissert. 3. a. 3. assert. 1.* Sed hoc etiam incredibile videtur, mulierem innocentem nescivisse, quod mulieres in statu lapsus, & pueri ipsi dùm ad usum rationis pervenerint, noverunt: cognoscunt nempe, nullum animal irrationale humanas voces naturaliter edere.

Quare verosimiliùs crediderim admittere, Hevam saltim ab initio locutionis miratam fuisse rei tàm novæ, nimirum serpentis humano more loquentis: at in progressu, audiens locutionis gravitatem, judicasse, voces illas non à serpente, sed ab aliqua vi superiori in illo, & per illum loquente, prodire.

XIV. Objicit tertiò. Ille Hevam seduxit, cui à Deo pœna inflicta fuit: sed pœna inflicta fuit, non vero serpenti, sed metaphorico, scilicet Diabolo. Neque enim super pectus gradi, terram comedere serpentis pœna fuit; cùm enim natura, & proprietates serpentis immutatæ non sint, credere par est, etiam ante peccatum serpentem per terram sinuosè repisse, & terrâ pastum fuisse: eò vel maximè, quia inter animalia, etiam reptilia à Deo producta leguntur *Gen. 1. v. 25.*

XV. Divisos reperio Interpretes, & Veteres, & Recentiores in statuendo, cui inflicta à Deo sit pœna, an serpenti, an Diabolo. Qui volunt inflictam fuisse serpenti, ut Basil. *hom. de Parad.* Ephrem Syrus, & Moses Bar-cepha *c. 17.* sentiunt etiam serpentem, antequàm Hevam tentaret, rectum, non reptilem incessisse; nec terrâ solâ, sed terræ frugibus, sicut cætera animantia, pastum fuisse. Quod etiam nunc quidam non improbabile censent.

Alii volunt, quòd sicut Deus serpentem non interrogavit; ita nec illi, sed Diabolo soli pœnam inflixerit. Non enim peccavit serpens, qui fuit purum organum irrationale, quo Diabolus est usus, sed Diabolus, qui malitiosâ voluntate illum adhibuit: sicut non peccat gladius, quo homo occidit alium hominem, sed homo, quia gladio male utitur. Nec tamen ex hoc sequitur, quòd vero serpente Diabolus usus non sit; sicut non sequitur, quòd homo vero gladio hominem non occidat, quamvis pœna homini infligatur, non gladio. Ita sentire videtur S. August. *lib. 11. de Genes. ad litt. c. 36.* ubi docet, verba illa litteraliter dicta fuisse serpenti: sed *quod serpenti dicitur, & ad eum, qui per serpentem operatus est, utique refertur, procul dubio figuratum est.* Videri etiam potest *l. 2. de Genes. contra Manich. c. 26.*

XVI. Propterea verius (ut puto) res-

respondéri potest, maledictionem illam litteraliter referri ad serpentem, & etiam litteraliter, aut saltem spiritualiter ad Diabolum. Ut enim ait Chrysostomus homil. 17. in Gen. *sicut amantissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem, per quem filius suus occisus, destruit, & in multas partes comminuit: eodem modo Deus egit. Quia serpens quasi gladius quidam Diaboli servivit malitiæ, perpetuam ipsi pœnam infligit; ut per hoc, quod sub sensum, & aspectum cadit, intelligamus, in quanta ignominia sit Diabolus. Nam si is, qui ut instrumentum ministravit, tantam expertus est indignationem, quale supplicium verisimile est, suscepturum Diabolum?* Unde sapientes judices omnia scelerum instrumenta, quantumvis irrationalia, flammis adjudicant, vel aliter disperdunt, ad majorem scelerum detestationem demonstrandam; ut de bove cornupeta legimus *Exod.* 21. *v.* 28. de pecore, quo quispiam fuerit turpiter usus *Levit.* 20. *v.* 15. de Idolis *Deuter.* 7. *v.* 5. de supellectili Achan *Josue* 7. *v.* 25. & de ficulnea per Christum maledictâ *Matth.* 21. *v.* 19.

Esto autem reptatio, & terræ comestio naturaliter serpenti conveniant; hæc tamen, quæ ex natura ei competebant, Deus vertit in pœnam, & supplicium. Quare hâc maledictione factum est; ut quæ sine ullo probro, ac ignominia, vel infamia serpenti conveniebant, nunc ei sint maximè probrosa, & ignominiosa; ipseque serpens propterea sit animal infame, abjectum, & odiosum.

§. III.

Quæsita aliqua.

Si quæras: cujus speciei fuerit serpens, quo Diabolus usus est?

XVII. Respondeo, aliquos arbitrari, fuisse Basiliscum: sed minùs congruè. Nam fœdissimus aspectus, & afflatus hujus serpentis pestilentissimus non invitarent Hevam ad colloquium, sed potiùs averterent. De eo namque scribit Plinius l. 8. c. 21. *Cyrenaica hunc generat provincia duodenum non ampliùs digitorum magnitudine, candidâ in capite maculâ, ut quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes: nec fluxu multiplici, ut reliqua, corpus impellit, sed celsus, & erectus in medio incedens. Necat frutices, non contactos modò, verùm & afflatos: exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est.*

XVIII. Conjectant proinde alij, fuisse *Scitalem*, illius nimirum pulchritudine ducti: *scitale* enim (inquit Solinus c. 27.) *tantâ præfulget tergi varietate, ut notarum gratiâ videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assequi non quit; miraculo sui capiat stupentes.* Quare Delrio *ad* 1. *versum cap.* 3. *Genes.* testatur, se aliquando vidisse spolium unius scitalis, quod erat septempedale, totum naturæ artificio pulcherrimè variegatum aureo, & argenteo splendore mirè refulgens. Hæc tamen Salmasius in notis ad dictum Solini caput de scytale non verificari putat.

XIX. Asserit Rupertus, serpentem à Diabolo assumtum fuisse unum ex illis, qui faciem virgineæ similem præferre dicuntur. At hujusmodi serpentem in sola pictorum idea fuisse nunquam in orbe visum, testantur ferè omnes.

XX. Viperam proinde fuisse censent alij, moti ex eo, quòd Matth. 3. v. 7. Judæi *genimina viperarum* dicuntur. Tutius tamen est, ingenuè fateri, hoc incertum esse. Ac serpentem quidem verè fuisse; nam hoc Moyses expressè dicit: cujus verò speciei serpens fuerit, posse quidem curiosiùs inquiri, sed non nisi temerè definiri.

XXI. Quæres secundo: quomodo serpens accesserit ad Hevam? An intra; an extra Paradisum?

Rupertus *lib.* 3. *de operibus Trinit. in Genes. c.* 2. censet, serpentem extra Paradisum Hevam allocutum fuis-

se. *Quæritur* (inquit) *quomodo serpens in Paradiso esse potuerit, si nonnisi hominis habitatio credenda est, eidem pro magna gratia Creatoris data, boni operis, & diligentissima custodia conditione interposita? Nam si serpentibus communis erat Paradisus, consequitur, quòd & lupis, atque leonibus, cæterisque bestiis non careat ille deliciarum locus; & proinde non tanta beatitudinis existimabitur, ut meritò Paradisus voluptatis, vel ab ipso Deo plantatus fuisse dicatur ... Non igitur serpens præsertim à Diabolo corporaliter invadente possessus, in Paradiso fuit: sed mulier corporis, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè prospectans, qualis extra Paradisum mundus esset; & dùm serpens, utpote astutus, dulcedini terræ illius propiùs, & ambitiosiùs inhiat, locus Diabolo datus est, & occasio breviter porrecta, unde tentaret Hevam.* Hactenus Rupertus.

XXII. Cæterum quòd serpens accesserit ad Hevam in Paradiso constitutam, & Paradisum ad eam seducendam fuerit ingressus, omnium ferè Patrum, & Theologorum sententia est. Cui suffragari videtur ipsa Moysis narratio, quæ ita colloquium serpentis cum Heva describit; ut juxta, & in prospectu arboris vetitæ contigisse videatur. Statim enim, ac serpens cessavit loqui, sequitur Gen. 3. v. 6. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Quæ indicant, mulierem serpentis suasu victam, statim oculos elevasse ad arborem; & extensâ manu fructum ex illo carpsisse. Cùm ergo arbor illa unà cum ligno vitæ legatur posita in medio Paradisi *Gen. 2. v. 9.* credibilius est, mulieri fortè arborem curiosiùs contemplanti, serpentem intra Paradisum se præsentasse potius, quàm mulierem circa Paradisi fines vagantem serpens extra Paradisum consistens sit allocutus.

Estò autem Paradisus non esset locus ordinarius brutorum habitationi destinatus, ut nos quoque supra probabilius existimavimus cum D. Th. 1. *p. q.* 102. *a.* 2. hoc tamen non obberat, quin vel hominis imperio, vel dispensatione, aut permissu divino illuc accedere possent: & sic, Deo permittente, Diabolum serpentem, quem assumserat, intra Paradisum sub oculis Hevæ transferre potuisse. Unde D. Th. citatus ad 2. relatis Damasceni verbis *l. 2. de Fide orth. c. 11.* dicentis: *In Paradiso nullum irrationalium habitabat*, subjungit: *Licèt ex quadam dispensatione animalia fuerint illuc adducta ad Adam, & serpens illuc accesserit per operationem Diaboli.*

DUBIUM III.

De Lapsu Adami.

§. I.

Quædam prænotata.

I. HEva à serpente, seu veriùs à Diabolo per serpentem seducta, manum misit ad arborem, ac fructum decerpens, orì apposuit, & deglutivit; sicque divinum præceptum violavit. Videns autem, se non proinde mortuam esse, ut illi comminatus fuerat Deus, fortè credens, serpentem, dùm ait: *nequaquam moriemini*, verum dixisse; seu etiam consortem criminis habere volens, viro tradidit pomum, qui illud similiter comedit: quo factum est; ut diabolus non dimidiam, sed integram de homine victoriam reportaret.

II. Hìc quæri solet: an Adamus colloquio serpentis cum Heva interfuerit, ut verba serpentis audire potuerit?

Respondetur communiter negativè. Credibile enim est Hevam, recenter formatam, ab Adamo recessisse per hortum spatiando, dum Adamus Cælestium orbium aspectu, totiusque naturæ, aut ipsius naturæ Creatoris Dei con-

contemplatione totus detineretur; quo tempore inventam solam sine conjuge Diabolus per serpentem aggressus est: ac propterea Adamum, nec serpentem vidisse, nec voces suadentis transgressionem audivisse. Postquàm verò Heva comedit, vel ipsa ad virum ivit, vel vir supervenit, cui deinde rem gestam aperuit. Ille verò audiens promissum fuisse, quòd essent sicut Dii, in superbiam efferri cæpit; vidensque insuper mulierem, quæ de fructu comederat, non esse mortuam, sed vivere sicut antea; cupiensque promissam similitudinem consequi, seu veriùs uxori suadenti non displicere, de eodem fructu & ipse comedit: quæ expressit Moyses Gen. 3. v. 7. *deditque viro suo, qui comedit*.

III. Notandum hìc, quòd Hebræi præfatis verbis addunt *secum*; eisque Septuaginta consentiunt, nimirùm, & *dedit etiam viro suo secum*. Ex quo colligitur, Hevam bis comedisse de fructu vetito: semel solam, ac deinde simul cum viro. Quod apertiùs indicant Septuaginta legentes: *& dedit, & viro suo cum ea, & comederunt*. Quomodo legunt Chrysostomus *homil. 16. in Genes.* & August. *l. 11. de Genes. ad litt. c. 31.* Ambo igitur comederunt, ambo præceptum violarunt, ambo peccaverunt. Verùm quæri solet: an ambo seducti peccaverint; nimirùm, sicut Heva verbis serpentis lapsa est; sic & Adamus seductus verbis, sive serpentis ab Heva sibi recitatis, sive ejusdem suasione ceciderit.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Adam non fuit eo modo seductus, quo Heva: quodam tamen modo & ipse deceptus est superbiâ, ut in apertam inobedientiam prolaberetur. Priorem asserti partem probat primò diversus modus, quo uterque peccatum suum excusare conatur. Adam enim se à muliere deceptum non ait, sed uxori fructum porrigenti obsecutum, Gen. 3. v. 12. *Mulier* (inquit) *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. At Heva se à serpente deceptam queritur ibid. v. 13. *Serpens decepit me, & comedi*. Ita discurrit S. August. *l. 11. de Civit. Dei c. 42.* dicens: *Nam & interrogatus* (Adam) non ait: Mulier, quam dedisti mecum, *Seduxit me, & manducavi*; *sed*, ipsa mihi, *inquit*, dedit de ligno, & manducavi. *Illa verò*, serpens, *inquit*, seduxit me.

V. Probant secundò idem Pauli verba 1. ad Timoth. 2. v. 14. *Adam non est seductus: Mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Quæ verba estò, ut dicemus, ab omni seductione Adamum non eximant; indicant tamen, eum seductum non fuisse eo modo, quo Heva, credendo scilicet, vera esse, quæ serpens illi promittebat. Quod probè noscens Diabolus, propterea non ad ipsum, sed ad mulierem accessit. Ita S. August. laudato loco l. 11. de Genes. ad litt. c. 42. *Illud* (inquit) *magis me movet, si jam spiritualis erat Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuerit, quod per serpentem dictum est, ideò Deum prohibuisse, ne fructu ligni illius vescerentur, quia sciebat eos, si fecissent, futuros ut Deos propter dignoscentiam boni, & mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ Creator inviderit? hoc mirum, si homo spirituali mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parvi intellectus esset, & adhuc fortasse secundùm sensum carnis, non secundùm spiritum mentis viveret; & hoc est, quòd ei Apostolus non tribuit imaginem Dei?* Ita quæritans Augustinus, qui deinde, prolato testimonio præallato Pauli dicentis: *Adam* non est seductus, & quòd Adam interrogatus non ait: *Mulier seduxit me*, sed dedit de ligno, & manducavi; sic concludit:

Ita Salomon vir tanta sapientia,

numquidnam credendum est, quòd in Simulacrorum cultu credidit, aliquid esse utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit, faciens quod sciebat, non esse faciendum; ne suas, quibus deperibat, atque dissuebat, mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam, posteaquàm de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare ..... Non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat ..... sed amicali quadam benevolentiâ, quâ plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus &c.

Idem docet *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 11. his verbis: *Sicut enim Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum, non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem credibile est errore putasse, Idolis esse serviendum, sed blanditiis famineis ad illa Sacrilegia fuisse compulsum: ità credendum est, illum virum suæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus: Sed & Adam non est seductus ..... Eos autem seductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant esse peccatum: ille autem scivit. Alioqui, quomodo verum erit* Adam non est seductus? *Sed inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum.*

VI. Ex his apparet secunda pars assertionis, quòd etiam Adam quodam modo fuerit seductus, præferens nimirum in praxi complacentiam uxori debitæ obedientiæ Deo, putansque esse venialem culpam. Id affirmat S. August. *l.* 11. *de Genes. ad litt. c.* 42. supra citato, ubi concludit sic: *Ergo alio modo quodam etiam ipse deceptus est. Sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem propriè seductionem appellavit Apostolus, quâ id, quod suadebatur, cùm falsum esset, verum putatum est; idest quòd Deus ideò lignum illud tangere prohibuerit, quòd sciebat, eos, si tetigissent, velut Deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. Sed etiamsi virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, solicitavit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret, acceptâ illâ escâ, non esse mortuam ..... non tamen enim arbitror, si jam spiritali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse, quòd eos Deus ab esca illius ligni invidendo vetuisset.* Ita S. Augustinus.

VII. Audiendus quoque est S. Thomas, in 1. ad Timoth. *c.* 2. *lect.* 3. qui exponens prælaudata Pauli verba. *Adam non est seductus*, sic ait: *Ideò dicit, Adam non est seductus, sed mulier. Seductio autem duplex est, scilicet in universali, & in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis. Quicumque ergo peccat, seducitur ignorantiâ electionis in particulari eligibili. Mulier autem fuit seducta ignorantiâ in universali, quando scilicet credidit, quòd serpens dixit. Sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet, quòd gerendus esset mos uxori, & cum ea comedere deberet; & inexpertus divinæ severitatis, credidit, quòd facilè ei remitteretur.* Ita D. Thomas. Sed quia objici poterat: *Ignorantia est pœna peccati: ergo pœna præcessit culpam.* Respondet, *quòd non præcessit, quia statim ad verba serpentis fuit elata, eò quòd aliàs esset de ea solicitus, & ex illa elatione seducta est; unde elatio præcessit.*

Sanctus Augustinus quoque ex elatione Adamum ad inobedientiam processisse docet l. 14. de Civ. Dei c. 13. *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia?* Initium *enim* omnis peccati superbia est. *Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?*

titus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: *quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret, ut vel illa verum crederet, dixisse serpentem; vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vita sua sociam non desereret etiam in societate peccati. Non malum ergo opus factum est, idest illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis, qui jam mali erant.* Hæc peracutè S. Augustinus.

DUBIUM IV.

De causa Præcepti impositi Adamo, & Hevæ.

§. I.

Præambula quædam.

I. QUæstionem hanc primus excitavit Diabolus per serpentem loquens, eamque mulieri proposuit Gen. 3. v. 1. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Quibus Diabolus occasionem captat in dubium revocandi præceptum; ac si diceret: est ne verisimile, quòd Deus vobis hoc præceperit? Sive non est credibile, ut existimetis, Deum adeò indiscretum fuisse, ut hoc præceperit, cùm omnium arborum fructus optimi sint, & salutares.

II. Dubitari autem solet, an sensus verborum serpentis, *ut non comederetis de omni ligno Paradisi*, sit iste; nimirùm, ut de nullo ligno Paradisi comederetis; an iste: ut de uno particulari ligno non comederetis. S. Jo. Chrysostomus *homil. 16. in Genes.* sensum diabolicæ interrogationis fuisse priorem existimat, dicens: *Vidisti malignitatem? dixit, quod non erat, ut in colloquium provocaret, & disceret id, quod erat.* Inde conversus ad mulierem: *Oportebat* (inquit) *te aversari eum, qui diversa à Deo dixerat, & dicere: Apage, impostor es tu. Nescis neque mandati nobis dati potentiam, neque quantis fruimur, neque copiam eorum, quæ nobis suppeditantur. Nam tu quidem ais, Deum dixisse, nullum nos degustare debere lignum. Dominus autem, & Conditor, ob immensam suam bonitatem, nobis permisit frui, & potestatem habere omnium; ab uno tantùm abstinere jussit, idque nobis consulens, ne gustato illo, morte occumberemus. Oportebat, si quidem prudens fuisset, his dictis illum omnino aversari, nihilque ultra illi loqui, neque audire loquentem.*

III. Impositio igitur præcepti legitur Gen. 2. v. 16. & 17. *Præcepitque ei* (Dominus) *ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* In hoc præcepto legem omnium legum fontem, ac matricem agnovit Tertullianus L. adversùs Judæos c. 2. *In hac enim* (inquit) *lege Adæ datâ omnia præcepta condita recognoscimus.... Primordialis lex est enim data Adæ, & Hevæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei.* Quod singula Decalogi præcepta percurrendo ostendit.

IV. Porrò quamvis soli Adæ videatur imposita lex, seu præceptum, eo tamen se quoque fuisse obstrictam Heva fatetur serpenti Gen. 3. v. 3. dicens: *De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Quomodo autem Hevæ fuerit intimatum; censent aliqui, cùm præceptum fuit factum Adamo, Hevam fuisse jam productam, quamvis ejus productio in Cap. sequenti per reca-

recapitulationem referatur; & consequenter etiam ipsam præsentem audivisse. Quare ubi Vulgata nostra in singulari loquitur *ne comedas, morte morieris*; Septuaginta vertunt in plurali *ne comedatis, morte moriemini*. Verùm dato, quòd mulier tunc non esset præsens, imò nec producta, cùm Deus Adæ præceptum imposuit, *sciens, quòd ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissimè, ut per virum præceptum Domini ad fœminam perveniret. Quam disciplinam in Ecclesia servat Apostolus dicens* (1. cor. 14. v. 35.) *Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent*. Ita S. Augustinus *l. 8. de Genes. ad litt. c. 17.*

V. Si quæras: quomodo tunc Deus locutus sit ad hominem: an intus in mente, an corporalibus sonis, vel similitudinibus rerum?

Respondet S. August. laudato loco c. 18. se existimare, Deum locutum fuisse hoc secundo modo. *Talia quippe scriptura narrat, ut potiùs credamus, sic Deum esse locutum homini in Paradiso, sicut etiam postea locutus est Patribus, sicut Abrahæ, sicut Moysi, idest in aliqua specie corporali. Hinc est enim, quòd audierunt ejus vocem ambulantis in Paradiso ad vesperam, & absconderunt se.*

§. II.

Causæ Præcepti exponuntur.

VArias hujus interdicti causas protulerunt Sancti Patres. Has recensebimus, & quæ nobis probabilior videatur, indicabimus.

VI. Improbanda primò est opinio Theophili Antioch. *l. 2. ad Autolyc. n.* 34. asserentis, idcircò prohibitum fuisse ab esu illius arboris Adam, quòd, cùm adhuc esset infans, & ignarus, utilitatem illius arboris nondum percipiebat. *Eo tempore* (inquit) *adhuc infans erat Adam. Quapropter cognitionem dignè percipere nequivit. Nam etiam nunc infans recenter natus pane vesci nequit, sed priùs lacte nutritur; at provectiore ætate etiam ad solidiorem cibum procedit. Ita evenit & Adamo.* Improbanda inquam est. Nam, & falsum est, Adam puerum fuisse ætate, & staturâ: in ætate enim, & staturâ perfecta conditum fuisse diximus. Et falsum est, fuisse puerum in cognitione, & scientia, nam eum fuisse statim ac conditum, omnigenâ cognitione, & scientiâ à Deo donatum, superiùs demonstravimus.

VII. Diris devovenda est Ophitarum blasphemia (de qua supra) dicentium, Deum ex invidia esum illius ligni interdixisse Adamo, ne comedendo ex illo scientiam boni, & mali acquireret; hoc enim execratione dignum potiùs est, quàm confutatione.

VIII. Tertullianus *lib. 2. contra Marc. c. 6.* opinatur, Deum Adæ præceptum imposuisse, ut qui ab ipso factus fuerat bonus, observando illud fieret quoque bonus suâ voluntate: *Ut ita demum bonus consisteret homo, si secundùm institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inveniretur.* Sicque haberet occasionem ipsum præmiandi: nam *nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Alii verò Patres volunt, causam præcepti imponendi fuisse, ut Adam cognosceret, Deum illi esse superiorem, & propterea sibi obediendum esse. Unde

IX. Dico. Ratio, seu finis, ob quem fuit Adæ impositum præceptum, est, ut Adam recognosceret, se Deo subjectum, & consequenter sibi esse obediendum Deo. Ita S. Jo. Chrysost. Homil. 16. in Genes. *Benignus enim Dominus à principio docere volens hominem, Conditorem, & Factorem suum esse visibilium omnium Opificem, qui ipsum formavit, per parvum istud mandatum ostendere voluit, se Dominum esse* (quod explicans hoc pulchro exemplo, prosequitur) *& quasi liberalis Dominus magnam, & admirabilem quamdam domum alicujus usui donans, non totum pretium;*

tium, sed aliquantulam ejus partem accipere vult, ut dominii jus salvum sibi maneat: & ille interim sciat, se non ædificii dominum esse, sed gratiâ, & beneficentiâ domini illo frui. Sic utique & Dominus noster, cùm visibilia hæc omnia homini concederet, & præstaret illi, ut versaretur in Paradiso, & frueretur omnibus, quæ in illo erant: ut ne paulatim seductus animo putaret, res, quæ sub aspectum cadunt, automata esse, deque sua dignitate altius quidpiam sentiret; jussit ab uno ligno abstinere, magnâ definitâ penâ, si hoc transgrederetur; ut scire posset, se Dominum habere; cujus liberalitate etiam cæteris rebus frueretur. Similia dixerat *Homil.* 14. *in Genes.* Pro hac sententia referuntur S. Cyrillus Alexandrinus, Basilius Seleucienlis *Orat.* 2. de Adamo. Et Procopius *in Genes.*

X. S. autem Augustinus pro fine præcepti, & subjectionem, & obedientiam Deo debitam statuit primò lib. 8. de Genes. ad litt. c. 13. *A peccante* (inquit) *nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Quæ si sola attenderetur, quid aliud, quàm Dei voluntas attenderetur? Quid aliud, quàm Dei voluntas amaretur? Quid aliud, quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Dominus quidem cur jusserit, viderit, faciendum est à serviente, quod jussit; & tunc fortè videndum est à promerente, cur jusserit.... Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati Superioris extollendo præponat.*

Idipsum docet Enarrat. 2. in psalm. 70. n. 7. *Hoc Diabolus fecit: imitari Deum voluit, sed perversè; non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub præcepto audivit à Domino Deo: Noli tangere.* (Deinde inducens Deum, & Adamum colloquentes, pergit) *Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in Paradiso? Prorsùs ideò est in Paradiso, quia bona est: sed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem volo, non contradicentem. Servi ad hoc, serve. Sed noli male serve serve, audi prius Domini jussum, & tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus sum, & servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus? Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? &c.*

Ad experiendam obedientiam quoque impositum fuisse docet lib. 14. *de Civit. Dei c.* 12. & *lib.* 1. *contra Adversf. legis, & Prophetarum c.* 14.

§. III.

Utrum solus Esus, an verò etiam Tactus arboris fuerit vetitus.

XI. Dubium hoc excitavit Heva, quæ respondens serpenti Gen. 3. v. 3. ait: *De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Quibus visa fuit indicare, non solùm esum, sed tactum quoque sibi à Deo vetitum fuisse.

XII. Dico tamen. Solus esus de fructu arboris scientiæ boni, & mali, non autem ejus tactus, aut visus à Deo fuit primis Parentibus interdictus. Hoc apertè constat ex verbis ipsis præcepti. Nam Deus Genes. 2. v. 16. & 17. *Ex omni* (inquit) *ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus prohibetur comedere, non tangere; & pœna contra comestionem, non contra tactum statuitur. Verba autem præcepti pœnalis rigorosè, & ut sonant, sumenda sunt. Hinc Ambrosius Homil. de Paradiso c. 12. *Tangetis* (inquit) *Deus non dixerat, sed, non edetis... Docet igitur nos præsentis series lectionis, neque detrahere aliquid divinis debere mandatis, neque addere.*

XIII.

XIII. Propterea hinc Hevæ lapsum incepisse censet S. Ambrosius citato loco, dicens: *Sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit; vel addendo de proprio semiplenum intellexit Dei esse mandatum*. Cajetanus censet, Hevam hoc addidisse, quasi exaggerando gravitatem præcepti, quod jam cæperat ei displicere: *Sicut*, (inquit) *Mulier prohibita à marito, ne domum exeat, respondet: mihi non licet per maritum meum extra cubiculum pedem efferre; exaggerans videlicet displicens sibi præceptum mariti. Ita Heva exaggerando divinum præceptum dixit, non esse sibi licitum tangere fructum illius arboris*.

Quare jam verè Diabolus in mulieris animum irrepserat. Primò excitando in ea cupiditatem vanissimæ libertatis. Secundò inspirando illi tædium, & odium præcepti, quo in falsam ejusdem exaggerationem erupit. Unde observat Rupertus *l.* 3. *de Trinit. c.* 5. Hevam tribus modis pervertisse Dei verba, quibus Deus mandatum præscripserat. Primò quidem *per additionem*, cùm dixit: *ne tangeremus*. Secundò *per diminutionem*, cùm inquit: *ne fortè moriamur*, ubi illud *fortè*, quod Deus non dixerat, diminuit vim præcepti. Tertiò denique *per mutationem*, cùm ait: *de ligno, quod est in medio Paradisi*, dixerat autem Deus *de ligno scientiæ boni, & mali;* quia in medio Paradisi erat quoque arbor vitæ, quam Deus homini non interdixerat. Hinc (scitè ait Cajetanus) colligitur, diabolicum venenum in affectum simul, & intellectum mulieris irrepsisse: in affectum quidem per displicentiam præcepti, unde statim prodiit exaggeratio vinculi, & obligationis ejus: in intellectum verò per hæsitationem futuræ pœnæ. Unde prodiit illud: *ne fortè moriamur*.

XIV. Qui verò Hevæ causam tuentur, Adamo vitio vertunt illud *ne tangeremus*. Cùm enim arbitrentur, soli Adamo fuisse legem primò præscriptam; ille referens mandatum mulieri, addidit, Deum interdixisse etiam illius fructus tactum, quò majorem Hevæ cautionem injiceret, ac longiùs à periculo violandæ legis eam averteret. Ita refert S. Ambrosius relato loco, dicens: *Plerique putant, hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse. Ita Adam dixisse mulieri, dùm eam vellet facere cautiorem, ut adderet, mandasse Deum:* neque tangetis ex eo *quidquam. Habemus enim, quia Adam, non Heva, mandatum acceperit à Deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Ipsa quidem verba Adæ, quibus mulieri dicit formam, seriemque mandati, non prodit lectio; sed intelligimus per virum ad mulierem seriem transisse mandati*.

Hanc tamen expositionem Ambrosius non probat. Nam aliàs vitium, & mendacium incepisset à viro, non à muliere; & mulier seducta fuisset à viro, & vir deceptus fuisset. *Viderint tamen* (inquit) *alii, quid sentiant. Mihi tamen videtur, à muliere cæpisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videatur incertum; tamen sexus prodit, qui priùs potuerit errare. Adde, quia præjudicio illa constringitur, cujus & postea prior error inventus est. Viro enim mulier, non mulieri vir, auctor erroris est. Unde & Paulus, ait:* Adam inquit non est deceptus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.

XV. Nihilominus existimarem, posse hæc conciliari, & tùm Hevam, tùm Adamum à mendacio liberari, dicendo, Hevam dum ait: *Ne tangeremus*, locutam fuisse in sensu formali præcepti, idest *ne tangeremus ad comedendum*, seu ex arbore fructum ad comedendum decerpendo. Hunc autem tactum eo ipso præcepto Deum interdixisse, quo vetuit esum fructus, nemini dubium est. Moveor autem ad hoc asserendum; quia alioquin primum Hevæ, seu Adæ peccatum fuisset mendacium, cujus oppositum statim ostendam.

Juxta hanc expositionem intelligendi

di sunt aliqui Patrum, qui dùm istam legem referunt, etiam tactum vetitum includunt. Ut Nazianzenus *Orat.* 38. dicens: *lex autem illa praeceptum erat, quo praescribebatur, tùm quibus arboribus ei utendum esset, tùm à qua manus abstinenda*. S. August. *in Psal.* 70. *num.* 7. supra laudatus; ubi pluries refert Deum dicentem Adæ: *nolo tangas*. Alcimus item Avitus *lib. de initio Mundi*, ita Deum præcipientem facit:

Hujus ab accessu vetitum restringite tactum.

Hos enim de tactu formali, & morali, ad comedendum scilicet, non de tactu materiali, & physico, intellexisse crediderim. Sicut enim arborem illam absolutè videre non erat vetitum, sed solùm ad concupiscendum eam; ita nec absolutè tangere prohibitum erat, sed tangere ad comedendum.

DUBIUM V.

Quale fuerit primum Peccatum primorum Parentum.

§. I.

Quæ certa sunt, prænotantur.

I. Divus Thomas 2. 2. *q.* 163. *a.* 1. ubi quęstionem hanc proponit, & resolvit, supponit, quòd *ad unum peccatum multi motus concurrere possunt*: & propterea primo Adami, & Hevæ peccato alia peccata fuisse conjuncta. Et quidem in utroque fuisse peccatum superbiæ, seu inordinatum amorem propriæ excellentiæ, certum esse debet, & infra ostendemus.

Deinde in Heva peccatum fuit, quòd crederet vera esse, quæ serpens suggerebat, scilicet Deum prohibuisse ligni esum, ne ad ejus similitudinem perveniret: *tanquam hoc tantum bonum creaturę suę Creator inviderit*, ut ait Augustinus *lib.* 11. *de Gen. ad. litt. c.* 42.

Tertium ejus peccatum fuit gula, seu inordinatus appetitus, quo fructum sibi prohibitum edere desideravit. Postquam enim serpenti credidit divinam similitudinem promittenti, subditur: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, quæ indicant mulierem tunc fuisse illectam ad comedendum, non tamen tàm à bonitate, vel pulchritudine fructus, quàm cupiditate excellentiæ, quam sibi ex illius esu obventuram credebat.

Quartum Hevæ peccatum fuit actualis fructus vetiti comestio, quæ fuit consummatio transgressionis præcepti, tantò gravioris, quantò facilior in statu naturæ integræ erat observatio: & hæc fuit aperta inobedientia.

Quintum ejusdem peccatum fuit, quòd maritum scandalizavit, seu ad peccandum traxit.

Sextum, quòd postea se excusaverit, rejiciens culpam in serpentem, dicens: *serpens decepit me, & comedi*.

II. Adami verò primum peccatum plura alia comitata fuere. Nam præter elationem, quam concepit, inordinato amore propriæ uxoris peccavit, cui maluit obsequi transgrediendo, quàm Deo præceptum servando.

Tertiò. Videtur peccasse dubitans de divina sententia: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Cùm enim videret, Hevam postquam comederat, adhuc vivere, cæpit dubitare, an Deus seriò, an verò solùm comminatoriè fuisset locutus.

Quartum Adæ peccatum fuisse apparet, quòd putaverit leve peccatum futurum, si ex illo fructu comederet, ut indicavit S. August. *lib.* 14. *de Civit Dei c.* 11. & D. Tho. in 1. *ad Timoth.* 2. *lect.* 3. superiùs relati *Dub.* 3. §. 2. Cujus vanæ credulitatis occasionem capere potuit; sive ex materia præcepti, quæ non credebatur magna; sive ex dignitate sui status; sive ex amore uxoris, ob quam non contristandam hoc faceret; sive quia Divinam severitatem nondum expertus, veniale id fore sibi adulabatur.

Quintum fuisse videtur aliquibus, quòd crediderit verbis serpentis, futurum nempe se velut Deum, sibi per Hevam relatis. Sed hoc, *Dub.* 3. §. 2. relato, superiùs rejecimus.

Sextum fuit gula, seu inordinatus appetitus edendi fructum, quem videbat pulcherrimum, & audiebat, esse suavissimum.

Septimum actualis transgressio comedendo, quod fuit inobedientia specialis, & transgressio præcepti positivi illam vetantis.

III. His suppositis dubium est: quodnam inter ista fuerit primum peccatum, quod secum traxerit alia; seu ex quo, tanquam ex fonte, alia subsecuta sint. Scotistæ putant, primum peccatum Hevæ fuisse inordinatum sui amorem, quo superbo animo divinam excellentiam appetiit: Adami verò fuisse inordinatum propriæ uxoris amorem. Ita Frassen *Tract.* 3. *de homine disp.* 3. *a.* 1. *sect.* 2. *q.* 2. Thomistæ verò cum suo Angelico Præceptore, & Theologi communiter, censent peccatum tàm Hevæ, quàm Adami fuisse peccatum superbiæ.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Peccatum primum primorum Parentum, quod fuit radix aliorum, fuit superba elatio. Consona est hæc sententia sacris Litteris. Nam *Ecclesiast.* 10. *v.* 14. & 15. de primi hominis lapsu dicitur: *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.* Et Tobias *c.* 4. *v.* 14. filium suum instruens: *superbiam* (inquit) *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumsit omnis perditio.*

V. Consona est etiam Patribus. Sanctus Augustinus *in Enchirid. c.* 45. recensens peccata, quæ *in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in Mundum*, possunt intelligi, *si unum ipsum in sua quasi membra dividatur*, primo loco superbiam ponit, dicens: *Nam & superbia est illic, quia homo in sua potiùs esse, quàm in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentinâ suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & avaritia, quia, plus quàm illi sufficere debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti considerationi inveniri potest.* Et l. 14. de Civit. Dei c. 13. *non enim* (inquit) *ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia?* Initium *enim* omnis peccati superbia est. *Quid est autem superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium.* Et Conc. 11. in Psalm. 118. *Nam* (inquit) *ipsi primi homines per serpentem decepti, & dejecti non fuissent, nisi plus quàm acceperant, habere, & plus quàm facti fuerant, esse voluissent.*

VI. Idem sentiunt Ambrosius Serm. 14. in Psal. 118. *superbia hominem prima dejecit. Quapropter dùm plus volumus, etiam quod minus est solemus amittere.* Et l. 4. in c. 4. Lucæ: *Non Hevam cibus flexerat, non mandatorum destituerat oblivio; sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit.* S. Gregorius *lib.* 34. *Moral. c.* 17. nunc 23. ait: *scriptum est namque* omnis peccati initium superbia. *Per hanc enim ipse* (Diabolus) *succubuit; per hanc se sequentem hominem stravit.* Hinc Rupertus *lib.* 3. *de Trinit. & operibus ejus in Gen. c.* 8. ostendit, quòd eodem vitio Diabolus hominem decepit, quo ipse cecidit de Cœlo: sed superbia Diabolus de Cœlo cecidit; ergo superbiâ hominem dejecit. *Cur enim* (inquit Rupertus) *Diabolum dejecerat è Cœlo, nisi quia superbiendo dixerat: ero similis*

Al-

Altissimo? Nempe hoc eodem statu tumida dixit mulier: dixit, inquam, quia putavit, quòd comedendo fieret similis Altissimo.

VII. Rursùs hoc discursu probo, primum, quod commisit Adam, peccatum fuisse superbiam. Primum, & præcipuum Adæ peccatum fuit illud, quod Deus illi imputavit: atqui Deus Adæ imputavit superbiam, ironicè ipsi exprobrando, quòd frangendo præceptum, & comedendo de fructu, quasi alter Deus factus esset: sic enim Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum;* ergo &c. *Verba enim sunt hæc Dei, non tàm huic insultantis, quàm cæteros, ne ita superbiant, deterrentis* (inquit D. August. *l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 39.) Nec obstat, quòd Deus Adamum increpans, & pœnâ mulctans, pro causa assignaverit complacentiam erga uxorem v. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti*. Etenim non nego, Adam manducasse, ut complaceret uxori; sed assero, motum fuisse ad complacendum ex elatione, quam animo jam conceperat, experiendi saltem, an ad similitudinem Divinitatis posset pervenire, ut infra dicemus.

VIII. Probo igitur ratione D. Th. 2. 2. *q.* 163. *a.* 1. Primum peccatum hominis fuit prima inordinatio motus interioris animæ circa bonum, & finem spiritualem: sed hujusmodi inordinatio motus interioris appetitus alia non fuit, quàm superbiæ; ergo primum peccatum &c. Maj. explicatur à D. Tho. Inordinatio enim in motu exteriori non potuit esse prima, quia primò invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quàm in actu exteriori corporis; quia, ut Augustinus dicit in 1. de Civit. Dei c. 18. *non amittitur corporis sanctitas, manente, anima sanctitate*. Cùm autem interior motus appetitus prius feratur ad finem, quàm ad media; ibi fuit prima hominis inordinatio, ubi fuit primus appetitus inordinati finis. Rursùs; cùm homo esset in statu innocentiæ constitutus, ubi nulla erat rebellio carnis ad spiritum, prima inordinatio appetitus humani non poterat esse ex hoc, quòd appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit præter ordinem rationis: relinquitur ergo, quòd prima inordinatio appetitus humani fuerit ex hoc, quòd internè appetierit aliquod spirituale bonum inordinatè. Min. verò probat S. Th. Quia bonum spirituale inordinatè non appetitur, quando appetitur secundùm mensuram à divina regula præstitutam, sed solùm quando appetitur à divina regula, & mensura recedendo: sed ita appetere, est actus proprius animi superbientis, & recusantis divinæ regulæ se subjicere; ergo &c. *Quando enim verbis serpentis crederet mulier, à bona, atque utili re se fuisse prohibitam; nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumtio?* Ita Sanctus August. *lib.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 30.

§. III.

Solvuntur argumenta.

IX. Objicit primò Frassen. Peccatum, quod supposuit aliud peccatum, ex quo pullulavit, non fuit in Heva primum peccatum: sed actus formalis superbiæ, quo appetiit extolli, & non subesse divinæ regulæ, processit ex nimia complacentia, & inordinato amore sui ipsius: intantùm enim sese extulit usque ad æquiparantiam cum Deo, inquantùm nimis sibi in suis perfectionibus complacuit, & inordinatè amavit seipsam; ergo reverà primum ejus peccatum non fuit formalis actus superbiæ, sed nimia complacentia, & inordinatus amor sui ipsius, ex quo, tanquam ex vitiata radice, superbia germinavit.

X. Quòd confirmare intendit ex S. August. *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 13. ex cujus verbis putat se conjicere,

quòd primi Parentes primò facti sint sibi magis placentes; & ex hoc prosilierint in affectum superbiæ, & ad æmulandam divinam scientiam.

XI. Respondeo, dist. min. processit, ex parte conversionis, ex nimia complacentia &c. conc. min. ex parte aversionis, nego min. & consequentiam, seu suppositum consequentis, nempè quòd amor inordinatus sui, & nolle subesse divinæ regulæ sint duo peccata diversa. Utrumque enim includit superbia; unum ex parte conversionis, & hoc est amor propriæ excellentiæ; alterum ex parte aversionis, quâ dum inordinatè amat, recusat eam Deo subjicere: & cùm ex hoc amor propriæ excellentiæ incipiat esse inordinatus, & peccatum, ideò dicitur: *initium omnis peccati est superbia* Ecclesiast. 10. v. 15. sicut & 1. ad Timoth. 6. v. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Ita D. Thom. 1. 2. q. 84. a. 2. ad 3. ubi proposito sibi hoc eodem argumento: *Illud videtur esse initium omnis peccati, quod facit omnia peccata: sed hoc est inordinatus amor sui; ergo amor sui est initium omnis peccati, non autem superbia*. Ecce objectionem Scoti, & Frassen. Cui sic respondet: *Ad tertium dicendum, quòd in hoc homo se amat, quòd sui excellentiam vult. Idem enim est se amare, ac sibi velle bonum. Unde ad idem pertinet, quòd ponatur initium omnis peccati superbia, vel amor proprius*. Et in 2. dist. 42. q. 2. a. 1. ad 7. *Sicut* (inquit) *unum peccatum est secundùm rem aversio, & conversio, differens secundùm comparationem ad diversos terminos: ita etiam superbia, hoc modo accepta secundùm quod est initium, & cupiditas secundùm quòd est radix, sunt idem secundùm rem, & differunt ratione modo prædicto. Et propter hoc dicit August. 10. super Genes. superbiam, & cupiditatem, non quasi duo mala, sed unum malum esse*.

XII. Ad confirmat. miror, Frassen potuisse existimare, Augustinum sibi in loco illo esse propitium; cùm ibi S. Doctor in verbis à Frassen relatis apertè dicat, quòd primi Parentes ad malum opus non pervenissent, nisi in eis *præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Quid est autem superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus?* Deinde quis fuerit iste perversæ celsitudinis appetitus, ex parte aversionis explicans, ait: *Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium*. Priùs ergo, secundùm Augustinum, voluntas Hevæ aversa fuit à Deo, deinde ad sibi placendum conversa; unde subdit: quòd si voluntas in amore incommutabilis boni *stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur*. En ergo, quomodo ex Augustino benè intellecto colligitur oppositum ei, quod Frassen intendebat.

XIII. Objicit secundò. Primum peccatum Adami fuit inordinatus amor propriæ uxoris, quo magis cupivit illi placere, comedendo fructum vetitum ab ea exhibitum, quàm servare Dei mandatum. Cum enim Deus eum argueret, respondit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi* (Gen. 3. v. 12.) Quasi diceret: amore sociæ, quam dedisti mihi, inductus, ejus petitioni consensi, ut comederem. Quam responsionem fuisse veram, confirmasse videtur postea Deus, replicans illi Genes. 3. v. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti*.

XIV. Et confirmat ex August. *lib. 14. de Civit. Dei cap. 11.* dicente: *Credendum est, virum illum suæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse*. Et *lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 42.* ubi docet, Adam noluisse contristare Hevam, non carnis victum concupiscentiâ, sed amicabili quâdam benevolentiâ.

XV. Respondeo, neg. antec. quòd inor-

inordinatus amor suæ sociæ fuerit primum Adæ peccatum. Fuit quidem in Adam inordinatus amor suæ sociæ, & hic amor præcessit illam apertam inobedientiam, quâ præceptum de fructu arboris non comedendo fuit transgressus; sed non præcessit superbiam interiorem. *Si enim voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret: ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem.* Inde quòd Adam dixerit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam &c.* sicut, & quòd Deus hoc illi exprobraverit: *Quia audisti vocem uxoris tuæ*, probat quidem, ex inordinato amore uxoris eum peccasse, amore, inquam, nondum carnalis concupiscentiæ, *sed amicali quadam benevolentiâ, quâ plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*, ut ait August. *l. 11. de Gen. ad litt. c. 42.* non tamen hanc fuisse primam ejus inordinationem: cùm potiùs ad complacendum uxori motus fuerit ex aliqua jam conceptâ mentis elatione, quâ videns, uxorem, gustato cibo, non esse mortuam, exarsit & ipse quâdam experiendi cupiditate, ut ait Augustinus laudatus.

XVI. Addo, excusationem illam Adami fuisse superbum mendacium; dùm voluit culpam refundere in mulierem, imò & in ipsum Deum, qui illam dederat ei sociam: quando debuisset humiliter confiteri peccatum suum. Quare idem S. August. loco citato *cap. 35.* relatis Adæ verbis, se coram Deo excusantis, exclamat: *Eja superbia! nunquid dixit, peccavi? Habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes, nimirùm ad hoc factæ sunt, ut & veraciter, & utiliter scriberentur: quia si mendaciter, non utique utiliter, ut advertamus, quo morbo superbiæ laborent homines hodie, nonnisi in Creatorem conantes referre, si quid egerint mali, cùm sibi velint tribui, si quid egerint boni.* Mulier (*inquit*) quam dedisti mecum, *idest, quam dedisti, ut esset mecum*, hæc mihi dedit à ligno, & edi: *quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potiùs obediret viro, & ambo Deo.* Deinde referens excusationem mulieris culpam rejicientis in serpentem: serpens seduxit me. *Nec ista* (inquit) *confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu.* En Augustinum & peccatum, & excusationem in superbiam referentem.

XVII. Sed dicit Frassen. Constat ex Scrptura, quòd Adamus divinum sibi præscriptum mandatum non fuerit transgressus, antequam Heva ipsum ad esum fructus vetiti alliceret: sed omnino verisimile est, quòd tantum nefas non admitteret, nisi propter inordinatum suæ uxoris amorem: unde August. lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *Credendum est* (inquit) *illum virum suæ fœminæ... ad legem Dei transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.* Et lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 42. *Noluit* (inquit) *Hevam contristare &c.*

XVIII. Respondeo, dist. min. admitteret opere, conc. min. animo, neg. min. Statim enim, ac Adam uxoris narrationem audivit, estò non crediderit, ut ipsa, vera esse, quæ serpens locutus fuerat, & maximè Deum fructum illum ex invidia prohibuisse, & proinde, ut supra diximus, non fuerit seductus, sicut Heva: statim, inquam, his auditis, animo elationem, ac tumorem concepit, vidensque Hevam post esum non fuisse mortuam, statuit intra se, & ipse quoque experimentum facere, quod postea accedente uxoris suasione, etiam ne illam contristaret, perfecit. Quare id, quod primò Adamum movit, fuit inordinatus appetitus divinitatis, non absolutus, & simplex, sed conditio-

ditionatus, nimirùm experiendi, an sibi esset possibile eam consequi. Et hoc est, quod dicit August. lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 42. *Virum propter aliquam mentis elationem .... sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret, acceptâ illa escâ, non esse mortuam*. Sed debuisset Frassen legere eundem S. Doct. *l. 14. de Civit. Dei cap.* 13. ubi ex professo quærens, unde in Adamo processerit voluntas mala, *non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas*, dicit: *Porrò mala voluntatis initium, quod potuit esse, nisi superbia?* Initium *enim* omnis peccati superbia est. *Quid est autem superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus?* Sed de his §. præcedente locuti sumus. Addo, S. Thomam 2. 2. *q.* 163. *a.* 4. etsi doceat, tam Adamum, quàm Hevam superbiæ peccato transgressos fuisse; hoc tamen statuit discrimen: quòd Heva peccavit appetendo consequi divinitatis similitudinem contra Dei voluntatem: Adamus verò *in hoc superbivit, quòd voluit eam consequi per se ipsum*. Imò (inquit Rupertus lib. 10. in cap. 27. Matth.) *Jam ante tentare Deum inceperant: jam antequam foris audissent malum serpentis consilium, intus in corde suo tentabant Deum versantes divinitatis appetitum. Nam sicut ante nos dictum est* (Jacobi 1. v. 14.) *Nisi priùs intùs intumuissent, foris tentati tàm facile non cecidissent*. Quòd tamen ante tentationem intumuerint, singularis Ruperti opinio est.

XIX. Objicitur tertiò. Videtur, primum Hevæ peccatum fuisse mendacium, dum ait, Deum præcepisse, ne tangerent; cùm Deus solùm dixisset, ne comederent. Videtur præterea commisisse infidelitatem, dùm dubitanter locuta est *ne forte* moriamur; cùm Deus asseveranter dixisset: *morte morieris*.

XX. Respondeo ad primum, quòd vel mulier dicendo *ne tangeremus illud*, mentita non fuit; quia, ut superiùs diximus, intellexit de tactu, non absolutè, sed relatè ad comestionem, seu de tactu ad decerpendum, & comedendum. Vel si, ut alii volunt, in hoc mentita fuit, hoc non fuit primum ejus peccatum: nam jam elationem mentis conceperat. Ita Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 163. *a.* 1. *ad quartum* ubi affert auctoritatem Augustini 11. *de Gen. ad litt. c.* 30. quòd mulier non crederet, *nisi jam inesset menti amor propria potestatis, & quadam de se superba præsumtio*. Addit tamen S. Thomas: *Quòd non est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem serpentis; sed quia statim post suasionem serpentis invasit mentem ejus elatio, ex qua consecutum est, ut crederet, verum esse, quod Dæmon dicebat*.

XXI. Ad secundum dico, voculam *fortè* in Scriptura frequenter non esse dubitantis, sed asserentis; ut idem valeat, ac *utique, certe, haud dubie*. Sic Matth. 11. v. 23. *fortè mansisset usque in hunc diem*; & Joann. 4. 10. *forsitan petiisses ab eo*. Unde sensus verborum mulieris est, ne certè moriamur; aut ne fortè comedamus, & comedentes certò deinde moriamur.

XXII. Nec dicas primò. In verbis serpentis priùs audiri *nequaquam moriemini*, quàm *eritis sicut Dii*; ergo saltem post mulier primò putavit, se non esse morituram, etsi comederet; ergo ex infidelitate processit ad comedendum, putans scilicet, verum esse id, quod dicebat serpens oppositum ei, quod dixerat Deus.

XXIII. Nec dicas secundò. Fides est initium justitiæ; ergo infidelitas videtur esse initium injustitiæ, & transgressionis; ergo primum peccatum debuit esse infidelitas.

XXIV. Nam ad primam replicam, vel nego consequentiam: quod enim priùs sonat in verbis, non priùs erat in intentione tentantis, qui priùs intendebat inducere mulierem ad appetitum divinitatis, quod & fecit. Vel cum D. Thoma in 2. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 1. *ad primum* dico, quòd primi Parentes *non crediderunt, Deum falsum dixisse*; *hoc enim simpliciter infidelitatis*

tatis fuisset: sed crediderunt fortè alio modo intelligendum fore metaphoricè, vel ad aliquid significandum dictum. = *Vel dicendum, quod ex ipsa electione, quâ illud, quod promittebatur, appetebant, oculus mentis impeditus fuit, ne actualiter veritatem divini dicti attenderent, secundùm quòd omnis malus aliquomodo ignorans est: sed talis ignorantia, vel dubietas etiam credendorum infidelitatem non facit.*

XXV. Ad secundam, nego pariter consequ. Quod enim primum est in ædificatione, nempe fundamentum, ultimum esse solet in destructione, seu resolutione: ideòque ex eo, quòd fides est initium, & fundamentum justitiæ, potiùs sequitur, eam in destructione justitiæ non primam, sed ultimam auferri. Ita D. Tho. loco mox allato ad secundum: *Ordo* (inquit) *compositionis est contrarius ordini resolutionis; quia quod est primum in compositione, est ultimum in resolutione: & ideò non sequitur, quòd si fides est prima in compositione ædificii spiritualis, quòd infidelitas sit prima in resolutione ejusdem.*

XXVI. Præfatæ duæ instantiæ tangunt quæstionem, an primi Parentes etiam in hæresim lapsi fidei jacturam fecerint.

Tertullianus *lib. 2. adversùs Marcionem c. 2.* constanter affirmat, Adæ delictum omnis hæresis initium fuisse: *Quis dubitabit* (inquit) *ipsum illud Adæ delictum hæresim pronunciare, quod per electionem suæ potiùs, quàm divinæ sententiæ admisit?* S. Prosper *lib. contra Collatorem cap. 9.* ait: *Perdidit autem* (Adam) *primitùs fidem, perdidit continentiam, perdidit caritatem.* Quod repetit ad *Excerpta Genuensium Resp. 2.* dicens: *Omnes igitur, quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitùs fidem &c.* Et refertur cum aliis idem sentientibus etiam S. Augustinus *lib. 14. de Civit. Dei c. 17.* dicens: *Hoc itaque cognoverunt, quod feliciùs ignorarent, si Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia, quid noceret.*

XXVII. Verùm S. Thomas supra laudatus non gravat hoc crimine primos Parentes. Quamvis enim exercitè, & ex modo, operandi, ita se gesserint, ac si Deo non crediderint; & maximè Heva, quæ serpentem verum dixisse existimavit: ad infidelitatem tamen non pervenerunt propriè sumtam.

XXVIII. Quare hac in re præ oculis habenda est S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 162. a. 4. ad 1. quòd *vera æstimatio potest corrumpi dupliciter. Uno modo in universali. Et sic in his, quæ ad fidem pertinent, corrumpitur vera æstimatio per infidelitatem. Alio modo in aliquo particulari eligibili; & hoc non facit infidelitatem. Sicut ille, qui fornicatur, æstimat pro tempore illo bonum esse sibi fornicari, nec tamen est infidelis, sicut esset, si in universali diceret, fornicationem esse bonum. Et ita etiam est in proposito. Nam dicere in universali, aliquod bonum esse, quod non est à Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem. Sed quòd aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis suis glorietur, ac si ea ex se haberet, vel ex meritis propriis, pertinet ad superbiam, & non ad infidelitatem propriè loquendo.* Eadem ferè iisdem verbis docet *q. 8. de Malo a. 4. ad 1.* ubi: *si quis* (inquit) *in universali æstimet, Deum non esse auctorem omnium bonorum, vel bonum gratiæ esse ex meritis, pertineret ad hæresim; non autem si propter amorem inordinatum excellentiæ, quæ incipit in concupiscentiis, corrumpatur in particulari judicium rationis, ut aliquis præsumat de se ipso, tanquam bonum aliquid à se possit habere, aut ex meritis propriis, quod pertinet ad superbiam.* Cùm ergo primi Parentes, maximè mulier, crediderint quidem, verum dicere serpentem, ac posse se esu illius fructus scientiam à se adipisci, non in universali, & speculativè, ac directè; sed practicè, & in illo particulari eligibili, quod eis serpens

pens proponebat, corrupto in eis ex inordinato amore excellentiæ judicio practico rationis, peccarunt peccato non infidelitatis, sed superbiæ.

XXIX. Ex dictis colligitur primò, primum peccatum hominis non fuisse inobedientiam. Nam ut ait D. Th. 2. 2. q. 163. a. 1. ad 1. *Hoc, quòd homo non obedierit divino præcepto, non fuit propter se ab eo volitum; quia hoc non posset contingere, nisi præsupposità inordinatione voluntatis. Relinquitur ergo, quòd voluerit propter aliquod aliud. Primum autem, quod inordinatè voluit, fuit propria excellentia. Et ideò inobedientia in eo causata fuit ex superbia.*

Quia verò *Roman.* 5. *v.* 19. dicitur: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; primum autem, ac præcipuum peccatum videtur fuisse illud, ratione cujus ad posteros transiit corruptio: ideò responderi potest cum eodem S. Doctore in 2. dist. 22. q. 1. a. 1. ad 3. *Quòd inobedientia dupliciter sumitur. Quandoque enim est speciale peccatum, quando scilicet ex contemptu præcepti aliquis specialiter peccat. Quandoque autem sumitur, prout est conditio generalis consequens omne peccatum mortale. Cùm enim præceptum legis actus omnium virtutum ordinet, consequens est, ut quodlibet vitium transgressionem annexam præcepti habeat, & inobedientiam. Et sic dicitur:* per inobedientiam unius &c.

XXX. Colligitur secundò, primum peccatum primorum Parentum nec fuisse gulam. *Etsi enim*, ait D. Thom. 2. 2. q. 163. a. 1. ad 2. *in peccato primorum Parentum etiam gula locum habuit. Dicitur enim Genes.* 3. Vidit mulier, quòd lignum esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit. *Non tamen ipsa bonitas, & pulchritudo cibi fuit primum motivum ad peccandum, sed potiùs suasio serpentis, qui dixit:* aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, *quod appetendo, superbiam mulier incurrit. Et ideò peccatum gulæ derivatum est ex peccato superbiæ.*

XXXI. Colligitur tertiò, primum primorum Parentum peccatum nec fuisse appetitum scientiæ. Nam ut ait D. Thomas mox laudatus ad 3. *Appetitus scientiæ causatus fuit in primis Parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Unde & in verbis serpentis præmittitur:* Eritis sicut Dii; *& postea subditur:* scientes bonum, & malum. Et *in* 2. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 5. ait: *Non peccavit mulier in hoc, quòd appeteret scientiam eorum, quæ ad ipsam non pertinebant, quia hoc curiositas fuisset. Sed in hoc, quòd in scientia eminentiam desideravit, ut in hoc quodammodo Deo adæquaretur.*

DUBIUM VI.

De gravitate Peccati primorum Parentum.

§. I.

An appetierint esse ut Deus?

I. Esse ut Deus, seu similis Deo, concipi potest dupliciter. Uno modo per omnimodam æquiparantiam. Et hanc similitudinem ad Deum primi Parentes non appetierunt; quia talis similitudo non potest cadere in apprehensione, præcipuè sapientis, & consequenter neque sub appetitu. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 163. *a.* 2. Et sanè, si ut superiùs in Tractatu de Angelis *Quæst.* 8. *Dub.* 3. ostendimus, hanc similitudinem nec Diabolus appetere potuit, multò minùs homo. Alio modo per imitationem, qualiter similitudo cum Deo possibilis est creaturæ, inquantùm scilicet participare potest aliquid de similitudine illius, secundùm suum modum. Quòd si appetatur ut habenda ex divino munere per gratiam, appetitus erit ordinatus: si verò appetatur, ut habenda independenter à divino munere, sed potiùs per suam naturam, talis appetitus erit inordinatus.

II.

II. Dico ergo. Superbia primorum Parentum fuit in hoc, quòd appetierint divinam similitudinem per imitationem, ut acquirendam viribus suæ naturæ, non per gratiæ auxilium. Probo. Non enim primo homini major est adscribendus superbiæ conatus, quàm ille, ad quem legimus fuisse à Diabolo tentatum, & quem Deus illi exprobravit: sed fuit tentatus non ad omnimodam cum Deo æquiparantiam, sed solùm ad similitudinem aliquam sibi cum Deo procurandam: *Eritis* (inquit) *sicut Dii*, & hanc illi solùm Deus improperavit. Non enim dixit: ecce Adam Deus factus est; sed *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*; ergo &c.

Quia verò illa, quæ inordinatè appetivit, sunt Dei propria; ideò interpretativè, seu ex consequenti, etiam ipsam divinitatem appetiit, & quantùm ad aliqua voluit Deo æquiparari. Quare D. Tho. loco mox allato de Angelo & homine concludit: *Verùm tamen quantùm ad aliquid uterque Deo æquiparari appetiit; inquantùm scilicet uterque sibi inniti voluit, contemto divinæ regulæ ordine*. Et juxta hunc modum intelligenda sunt illa Patrum testimonia, quæ significant, primum hominem rapuisse, vel expetiisse Divinitatem.

III. Porro cùm similitudo Angeli, & hominis cum Deo possit attendi secundùm tria: nempè, vel secundùm esse naturæ, quæ similitudo ab ipso creationis principio fuit impressa & homini, de quo dicitur Gen. 1. quòd *Deus fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, & Angelo, de quo dicitur Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis*. Vel quantùm ad cognitionem; & hanc quoque Angelus in sui creatione accepit: unde post præmissa verba Ezechielis, statim subditur: *Plenus sapientiâ*. Primus autem homo hanc plenitudinem scientiæ, saltem quoad omnia, non statim accepit. Vel potest attendi similitudo cum Deo quantùm ad potestatem operandi. *Et hanc similitudinem* (ait D. Tho.) *nondum erant in actu assecuti, neque Angelus, neque homo in ipso creationis principio; quia utrique restabat aliquid agendum, quo ad beatitudinem pervenirent*.

IV. Cùm ergo appetitus sit propriè rei non habitæ, dicit S. Doct. neuter nec Angelus, nec homo peccavit appetendo similitudinem naturæ cum Deo, quam uterque habebat. *Sed primus homo peccavit, principaliter appetendo similitudinem Dei quantùm ad scientiam boni, & mali, sicut serpens ei suggessit; ut scilicet per virtutem propria naturæ determinaret sibi, quod esset bonum, & quid esset malum ad agendum; vel etiam, ut per seipsum præcognosceret, quid sibi boni, vel mali esset futurum*. Homo enim (inquit idem S. Doct. in 2. dist. 22. q. 1. a. 2.) *qui creaturis inferioribus superpositus erat, ut eas regeret, & eis uteretur, non tàm per potentiam, quàm per prudentiam, hoc modo appetiit, ut per naturæ suæ conditionem, & per ligni prohibiti edulium tantum scientiæ plenitudinem consequeretur; ut ex lumine propriæ rationis, quod tamen à Deo sibi collatum esse credebat, & seipsum regeret in omnibus, & inferiora sibi subjecta. Unde Augustinus dicit* (in Psalm. 70.) *quòd noluit ut servus teneri præcepto, quasi ab alia regula per lumen naturali lumini superadditum. Et hoc etiam verba serpentis ostendunt, qui promisit scientiam boni, & mali, quod ad actiones pertinet, & ad gubernationem rerum*. Addit tamen S. Thom. 2. 2. *q*. 163. *a*. 2. citato, quòd secundariò etiam appetiit primus homo similitudinem Dei *quantùm ad propriam potestatem operandi; ut scilicet virtute propria naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam*.

§. II.

An Peccatum primorum Parentum fuerit cæteris gravius?

V. NOtat D. Thomas 2. 2. q. 163. a. 3. quòd *duplex gravitas in peccato attendi potest. Una quidem ex ipsa specie peccati; sicut dicimus, adulterium esse gravius peccatum simplici fornicatione. Alia autem est gravitas peccati, quæ attenditur secundùm aliquam circumstantiam loci, vel personæ, aut temporis. Prima autem gravitas essentialior est, & principalior. Unde secundùm eam magis peccatum dicitur grave, quàm secundùm aliam.* His ex S. Magistro suppositis

VI. Dico primò. Peccatum primi hominis non fuit secundum speciem gravius cæteris peccatis. Probatur ratione ejusdem S. D. Nam etsi superbia secundùm suum genus habeat quamdam excellentiam supra cætera peccata, in ipsa tamen superbia sunt gradus: sed superbia primorum Parentum non attigit summum gradum superbiæ, cùm major superbia sit, quâ quis Deum negat, vel blasphemat, quàm qui Dei similitudinem appetit ultra mensuram sibi competentem, sicut peccarunt primi Parentes; ergo &c.

VII. Dico secundò. Secundùm conditionem personarum peccantium, & mala, quæ causavit, totam naturam inficiendo, peccatum primorum Parentum fuit gravius cæteris. Prior pars probatur. Gravius est peccatum personæ, quæ cùm fortior sit, & faciliùs resistere possit, minori tentatione pulsata cadit: sed primi Parentes fortiores erant, nullâque laborabant, vel pronitate ad malum, vel tarditate ad bonum, vel ignorantiâ, vel voluntatis corruptelâ, erant enim justitiâ originali benè in omnibus ordinati, & tamen levi suggestione tentati ceciderunt; ergo eorum peccatum fuit maximè grave ex conditione personæ. Hinc D. Augustinus *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 15. considerans. quot, quantisque donis Deus primum hominem cumulaverat, unico, & quidem levissimo ei injuncto præcepto, quo se esse Dominum commonebat, quod tamen homo superbè transgressus est, & proinde miseræ servituti damnatus: *Quisquis* (inquit) *hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.*

Posterior etiam pars probatur. Quia peccatum illud, utpote peccatum capitis totius generis humani, erat totius naturæ humanæ infectivum; quæ quidem natura quandam infinitatem habet, inquantùm in ea possunt supposita in infinitum, seu sine fine multiplicari: unde peccatum ipsum fuit modo quodam infinitum, extensivè scilicet, & per accidens, quia peccatum capitis, & quia primum. Quare Divus Thomas 2. 2. q. 163. a. 3. *ad* 2. ait: *Magnitudo pœnæ, quæ consecuta est ad illud primum peccatum, non correspondet ei secundùm quantitatem propriæ speciei, sed inquantùm fuit primum: quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, quâ subtractâ, deordinata est tota natura humana.*

VIII. Hinc non valeret arguere sic: Illud est peccatum gravius, quod majus bonum adimit, & cui inflicta fuit maxima pœna; cùm ergo peccatum primi hominis maximum bonum ademerit, nempè justitiam originalem ab eo, & Posteris, eique maxima pœna inflicta fuerit, mors nimirum sua, & Posterorum; sequitur, quòd fuerit maximum peccatorum.

IX. Nam respondetur ex dictis, verum esse ant. quando peccatum adimit majus bonum, & maximam pœnam incurrit ex natura sua intrinseca, & sua specie; secus verò si hæc mala præstet solùm demeritoriè, & ex aliqua accidentali conditione ei conjuncta. Unde D. Tho. in 2. dist. 21. q. 2. a. 2. ad 2. *Hoc fecit* (inquit) *per*

per accidens, quòd majorem læsionem intulit; ex hoc, quòd scilicet naturam integram invenit. Unde non sequitur, quod gravius cæteris fuerit, quia hoc idem etiam sequentia peccata fecissent, si talem naturam invenissent: sicut & secundum peccatum mortale gratiâ non privat, quia eam non invenit; sed privaret, si inveniret = Ad id verò, quod dicitur de pœna, respondet idem S. D. ibi ad 5. quod *pœna peccati Adæ dupliciter dicitur. Una, quæ debetur sibi, inquantùm est quoddam singulare peccatum, & personale; & sic multis aliis peccatis gravior pæna debita fuit. Alia, quæ debetur sibi indirectè, ratione infectionis originalis peccati ex ipso createe. Et sic maxima pæna ipsum primum peccatum secuta est. Sed gravitas hujus pena non commensuratur quantitati primi peccati, ut fuit quoddam personale peccatum, sed secundùm quid corrumpit naturam.*

§. III.

An gravius fuerit Peccatum Adæ, quàm Hevæ?

X. Cum ex dictis peccati gravitas sumi possit, vel ex genere, vel ex specie peccati, vel ex circumstantiis peccatum comitantibus; suppono cum D. Tho. 2. 2. q. 163. a. 4. peccatum tam viri, quàm mulieris, quantùm ad genus peccati, fuisse æqualis gravitatis: quia utriusque peccatum, ut diximus, fuit superbia. Unde August. dicit *lib. 11. super Genes. ad litt. c. 35.* quòd *mulier excusavit peccatum suum impari sexu, pari fastu.* Procedit igitur quæsitum de gravitate ex circumstantiis, intra idem genus peccati.

XI. Dico primò. Si peccati gravitas æstimetur ex conditione, seu circumstantiâ personæ, peccatum Adæ gravius fuit, quam peccatum Hevæ, gravitate tamen secundum quid. Ita D. Tho. loco laudato *in corp. & ad 2.* Adam enim longè perfectioribus animi donis præditus erat, quàm Heva. Unde Augustinus lib. de decem chordis c. 3. *si caput* (inquit) *est vir, meliùs debet vivere, & præcedere in omnibus bonis factis, maximè uxorem suam, ut illa imitetur virum:* sed ille, qui debet melius facere, si peccet, gravius peccat; ergo &c.

XII. Dico secundò. Quantùm ad speciem superbiæ, ac proinde simpliciter, peccatum Hevæ gravius fuit peccato Adami. Ita S. D. ibidem. Et in 2. *dist. 22. q. 1. a. 3.* Probatur primò ratione ejusdem. Graviùs peccat in genere superbiæ, qui ad hoc se erigit, ut peccet contra Dei voluntatem, hoc enim majorem indicat elationem: sed hoc modo superbivit Heva, non verò Adam; ergo &c. Min. probat S. D. *Mulier enim credidit verum esse, quod serpens suasit, scilicet quod Deus prohibuerit ligni esum, ne ad ejus similitudinem pervenirent: & ita dùm per esum ligni vetiti Dei similitudinem consequi voluit, superbia ejus ad hoc se erexit, quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit, hoc esse verum: unde non voluit consequi divinam similitudinem contra Dei voluntatem: sed in hoc superbivit, quòd voluit eam consequi per seipsum.*

XIII. Confirmatur ex eodem in secundo sent. citato loco. Elatio, quæ movit mulierem major fuit, quàm elatio, quæ movit virum: sed gravitas peccati, ex eo, quod ad peccatum movet, potissimùm sumenda est; ergo &c. Min. explicat & probat S. D. his verbis: *In muliere enim talis fuit elationis progressus, ut ad verba serpentis tantum excellentia appetitum conciperet, ut judicium rationis perverteret, & crederet, hoc possibile, & verum, quod Diabolus dicebat: & propter hoc dicitur esse seducta. In viro autem non tantum excrevit in principio amor propria excellentiæ, ut judicium ejus perverteret, quasi crederet, hoc esse futurum: sed quia illud vellet, si possibile foret: & ideò non dicitur fuis-*

fuisse seductus; sed tamen talis elatio ad experiendum ipsum incitavit. Unde aliquam dubitationem elatio in eo fecit, quâ in muliere firmam opinionem conceperat; & ideò etiam voluntas mulieris perfectè consecuta est in appetitum divinæ similitudinis, sed viri imperfectè, scilicet sub conditione, si possibile foret.

XIV. Secunda ratio est. Ille graviùs peccat, qui non solùm peccat, sed alium quoque ad peccandum inducit, quia peccat & in Deum, & in proximum: sed Heva peccavit, non solùm ipsa superbiens, sed etiam similis superbiæ autrix existens viro, quem in peccatum traxit; ergo &c.

Tertia ratio est. Graviùs peccat, qui ex sola elatione ad peccandum movetur, quàm qui etiam movetur ex quadam complacentia; hoc enim aliquomodo peccatum mitigat, & minuit: sed mulier ex sola elatione ad peccandum processit, vir autem etiam ex complacentia erga uxorem, ut nimirùm illi acquiesceret, & ne illam contristaret; ergo &c. Min. prob. ex Aug. 11. *de Gen. ad Litt. cap.* 42. dicente, quòd Adam *in peccatum consensit amicabili quâdam benevolentiâ, quâ plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus* Propterea S. Jo. Chrysost. advertens, Deum Adamum vocasse, non Hevam, aut serpentem, *considera* (inquit hom. 7. ad Pop. Antioch.) *curam Dei: non Hevam vocavit, non vocavit serpentem, sed qui omnium levissimè peccaverat, hunc ad judicium primum accersit: ut ab eo incipiens, qui aliquâ poterat veniâ potiri, etiam in eam, quę multum peccaverat, mitiorem ferat sententiam.* Et hom. 25. in Epist. ad Rom. *Serpens* (inquit) *magis punitus est, quàm mulier, quemadmodum & mulier plusquàm vir.* Rupertus etiam *lib.* 3. *in Genes. c.* 21. ubi quærit: cur mulier, præter pœnam mortis communem viro, *in sexu proprio triplicem pœnam habet?* Respondet: *Videlicet, quia peccati quantitas in muliere triplò major, quàm in viro est. Primò, quia credendo serpenti, plus quàm Deo, seducta est. Secundò, quia pulchritudinem, & suavitatem ligni delectabiliter concupivit. Tertiò, quia non contenta transgressione propriâ, postquàm comedit, viro quoque dedit.*

DUBIUM VII.

An primus Homo in statu Innocentiæ peccare potuisset venialiter?

§. I.

Mens D. Thomæ.

I. De hoc agit D. Thomas in 2. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. & *q.* 7. *de Malo a.* 7. Ubi supponit tanquam communiter certum, Adam in primo statu non peccasse venialiter, antequàm peccaret mortaliter. Quia verò posset aliquis existimare, hoc ideò esse, quia peccata, quæ sunt nobis venialia, homini in statu innocentiæ fuissent mortalia, propter excellentiam sui status:

Sed hoc, inquit S. Doct. esse non potest. Estò enim unum, & idem peccatum contingat gravius esse ob personæ excellentiam; sola tamen circumstantia personæ non aggravat peccatum in infinitum, illud de veniali transferendo in mortale; nisi ex circumstantia personæ ad aliam speciem peccati transferatur: puta si committatur ab aliqua persona, quæ, secundum conditionem sui status, sit præcepto obligata, talem actum non committere, quod præceptum inferioris status personam non afficit. *Sicut in Sacerdote uxorem ducere est contra præceptum de voto continentiæ implendo, non autem in laico, qui non vovit. Et sic illud, quod est, vel veniale, vel nullum peccatum in laico, est peccatum mortale in Sacerdote. Si verò actus superioris personæ non repugnet præcepto specialiter sibi facto, non est peccatum mortale; quia omne peccatum mortale est contra præceptum divinæ legis .... nisi fortè per acci-*

accidens ratione scandali consequentis, cùm hoc sit contra praeceptum, praebere fratri occasionem ruinae. Non potest autem dici, quòd actus, qui in nobis sunt peccata venialia, in Adamo fuissent contra aliquod praeceptum ipsi specialiter factum, quod non nobis; ergo peccata, quae ex sua specie in nobis sunt venialia, in Adamo quoque essent ejusdem speciei, & proinde venialia. Hâc pulchrâ S. Thomae doctrinâ praemissâ.

II. Dico cum eodem citatis locis. Conditio status innocentiae talis erat, quòd tali statu durante nullo modo poterat homo peccatum veniale committere. Probatur. Peccare venialiter contingit, vel quia sensualitas praevenit rationem, ut in motibus indeliberatis; vel quia ratio, etsi non deordinat à fine, inordinatè tamen se habet circa ea, quae sunt ad finem: sed neutro modo poterat homo, durante statu innocentiae, venialiter solùm peccare; ergo &c. Min. pro prima parte prob. Durante statu innocentiae durasset justitia originalis, per quam ratio perfectè obedisset Deo, pars inferior rationi, & corpus animae; ita ut subjectio perfecta animae, & rationis Deo esset causa perfectae, & totalis subjectionis virium inferiorum rationi, & corporis animae: sed manente causâ maneret effectus; ergo (inquit S. Tho. in 2. dist. 21. q. 2. a. 3.) *Sicut quamdiù homo erat subditus Deo, nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium animae; ita etiam nihil in viribus animae contingere poterat, quod superior ratio non ordinaret in Deum. Quod autem in Deum rectè ordinatum est, peccatum non est. Et ita veniale peccatum in primo statu contingere non poterat, sicut nec mors, nisi priùs ordo mentis ad Deum tolleretur; quòd sine peccato mortali fieri non potuit.*

III. Confirmatur. In primo statu talis erat obedientia corporis animae, ut non solùm in eo non permitteretur mors, sed nec aegritudo, quantumvis levis, ut superius vidimus; ergo talis erat obedientia virium inferiorum rationi, ut non solùm non permitteretur in eo statu peccatum mortale, quod est animae mors, sed nec peccatum veniale, quod est quaedam animae aegritudo.

IV. Secunda verò pars prob. Stante perfectâ, & immobili adhaesione ultimo fini, nulla potest contingere inordinatio circa media; nam inordinatio circa media, etsi non semper sit contra finem, saltem est praeter finem: sed durante statu innocentiae talis fuisset adhaesio ultimo fini, ut nihil contingeret, quod ratio ad illum non ordinaret; ergo &c. Majorem probat D. Tho. *q. 7. de Malo a. 7.* Sic se habet in practicis finis, sicut principium in speculabilibus; sicut enim principium indemonstrabile est supremum in speculabilibus, in quod resolvuntur conclusiones; ita finis in operabilibus est, in quem omnia media ordinantur: sed in speculabilibus, quamdiù homo habet rectam existimationem circa principia, non poterit incidere aliquis defectus circa conclusiones; ergo quamdiù ratio superior benè omnino se habuisset circa finem, nullo modo deficere potuisset circa ea, quae sunt ad finem, *propter indefectibilem ordinem inferiorum ad superiora secundùm conditionem illius status*; ergo impossibile erat, hominem in statu innocentiae inordinatè se gerere erga media, peccando venialiter, nisi priùs aliqua inordinatio ei contigisset circa finem, peccando mortaliter. Videantur à nobis superiùs dicta *Qu.* 3. *Dub.* 4. §. 4. *nu.* 32. ex D. Thoma 1. 2. *qu.* 89. *a.* 3.

§. II.

Contraria fundamenta.

V. Objicitur primò. Adam credidit, se posse peccare venialiter, & adhuc in innocentia permanere: sed si peccatum veniale fuisset illi impossibile in illo statu, hoc illę scivisset, nec

nec existimasset oppositum; hoc enim in eo aliquam arguisset imperfectionem deceptionis, quâ tunc non laborasset; ergo &c. Maj. probatur ex D. August. *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 13. dicente, quòd mandato Dei uxoris præposuit voluntatem, quia putavit, se *venialiter transgressorem esse* præcepti.

VI. Confirmatur. Augustinus dicit *lib.* 11. *de Gen. ad litt. cap.* 42. quòd Adamum *solicitavit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret, acceptâ illâ escâ, non esse mortuam:* sed illa experiendi cupiditas erat peccatum veniale; ergo &c.

VII. Rursùs: subitus infidelitatis motus est peccatum veniale: sed in Heva, antequàm peccaret, fuit subitus infidelitatis motus, quasi enim dubitans, dixit: *Ne forte moriamur*; ergo &c.

VIII. Respondetur primò, distingu. maj. peccare venialiter peccato ex genere veniali, nego maj. peccato ex genere quidem mortali, sed facilis veniæ, seu facilè remissibili, conc. maj. Ita D. Tho. q. 7. de Malo a. 7. ad 1. *Veniale* (inquit) *non sumitur pro veniali in genere, sicut nunc de veniali loquimur; sed veniale dicitur facilè remissibile.* Et in 2. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. postquàm docuit, peccatum dici posse veniale tripliciter, nimirum ex genere, ut verbum otiosum; ex causa, ut quod ex infirmitate, vel ignorantia geritur; & ex eventu, sicut culpam præcedentem confessio sequens venialem facit, quia relinquitur reatus temporalis pœnæ, concludit: *Cùm ergo Augustinus dicit, quòd credidit, peccatum esse veniale, intelligitur veniale ex causa, quod quandoque etiam mortale est simpliciter.*

IX. Respondeo secundò. Dato etiam, quòd Adam ex deceptione crediderit, peccatum illud esse veniale ex genere, nihil sequitur contra nostram assertionem. Nam Adamus jam peccaverat mortaliter per elationem, & superbiam; unde non evincitur, quòd peccaverit venialiter, antequàm mortaliter peccaret. Et quòd ita sentiat Augustinus, ostendunt verba ejus citato loco. Postquàm enim dixerat, quòd in occulto mali esse cœperunt, quòd jam deserto eo, cui animus debet adhærere principio, voluerunt sibi quodammodo fieri, & esse principium, & ex hoc pervenerunt, Heva, ut crederet verum dixisse serpentem, Adamus verò, ut putaret, *se venialiter transgressorem esse præcepti*, subjungit: *Non malum ergo opus factum est, idest illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis, qui jam mali erant.*

X. Ad confirm. dici potest, quòd dato, illam experiendi cupiditatem fuisse peccatum veniale; non fuit tamen primum peccatum, quia jam præcesserat in Adamo elatio. Veriùs tamen cum D. Thoma *qu.* 7. *de Malo art.* 7. *ad* 12. dicendum est, fuisse peccatum mortale. *Dicendum* (inquit) *quòd illa experiendi cupiditas subsecuta fuit elationem, quam vir ex verbis mulieris concepit. Et hoc verba Augustini declarant, qui dicit, quòd* virum propter aliquam mentis elationem solicitavit experiendi cupiditas. *Et illa elatio fuit primum Peccatum hominis, & fuit peccatum mortale, quia contra Deum superbivit. Et tamen cupiditas experiendi id, quod est probibitum, potest esse peccatum mortale.*

Nec refert, quòd Adamus ab Augustino ibi dicatur *spiritali mente præditus*: respondet enim D. Thom. loco allato, quòd hoc *referendum est ad tempus ante elationem insurgentem: licèt dici posset, quòd etiam post peccatum habuit spiritualem mentem, non spiritualitate gratiæ, sed spiritualitate perspicacis intelligentiæ*, nimirum, ut non induci posset ad credendum, verum dixisse serpentem, quòd ligni esum Deus ex invidia prohibuerit: & hanc esse suam mentem indicans Augustinus, ait: *Non tamen eum* (Adamum) *arbitror, si jam spiritali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse,*

quòd

quòd eos Deus ab esca illius ligni invidendo vetuisset.

XI. Ad id, quod urgetur, respondet D. Thom qu. 7. de Malo a. 7. ad 13. *Quòd non potest dici subitus motus infidelitatis, vel dubitationis, qui etiam in verba prorumpit. Et tamen etiam illam dubitationem mulieris in verba prorumpentem, elatio quadam in mente ejus praecessit ex verbis serpentis, quibus solicitavit eam de hoc, quòd praecepto superioris contineretur. Statim enim in mente mulieris surrexit elatio, per quam fastidivit praeceptis Dei cohiberi, & ex hoc subsecuta est dubitatio.* Ita D. Tho. Dici etiam potest, verba illa: *ne fortè moriamur.* non fuisse quasi dubitantis, sed potiùs asserentis, ut supra observavimus.

XII. Objicitur secundò. Minùs opponitur integritati primi status peccatum veniale, quàm mortale, quod tamen in eo statu homo commisit; ergo multò magis peccatum veniale committere potuit.

XIII. Confirmatur. Priùs acceditur ad minus distans, quàm ad magis distans: sed peccatum mortale magis distat à rectitudine primi status, quàm peccatum veniale; ergo priùs pervenit Adam ad peccatum veniale, quàm ad mortale. Eò vel maximè quòd peccatum veniale est dispositio ad mortale, dispositio autem praecedit habitum.

XIV. Respondet D. Thomas *q. 7. de Malo a. 7. ad 4.* negando conseq. *Veniale, & mortale peccatum intantùm repugnant integritati primi status, quòd illa integritas neutrum eorum compatitur. Sed peccatum mortale intantùm plus opponitur, quia poterat integritatem primi status corrumpere, non autem peccatum veniale.* Quod magis explicans in 2. sent. dist. 21. qu. 2. a. 3. ad 4. *Rectitudo* (inquit) *originalis justitia intantùm repugnabat culpa mortali, ut simul cum ea esse non posset; tamen culpa mortalis, qua ei opposita erat, ipsam privare poterat. Venialis autem culpa nec privare justitiam originalem poterat, cujus principium erat in ordine superioris partis in Deum, à quo veniale peccatum non separat; nec simul poterat cum ea esse, propter ordinem inferiorum sub superiori.* Et ecce repugnantiam peccati venialis cum statu integritatis specialem. Nam peccatum mortale destruebat statim integritatem, uti de facto destruxit. Veniale autem, ex una parte, non destruxisset causam integritatis, quae est ordinatio superioris partis in Deum: ex alia verò, stante ordine inferiorum virium sub superiori, peccatum veniale esse non poterat, vel si fuisset, jam pars inferior non esset ampliùs perfectè ordinata sub superiori.

XV. Ad confirm. respondet idem S. Doctor qu. 7. cit. de Malo art. 7. ad 6. *quòd ratio illa procedit, quando ad magis distans non potest perveniri nisi per minus distans aliquod determinatum. Sed quando per diversa minus distantia potest perveniri ad unum magis distans, non oportet quodcumque illorum praexistere. Sicut si ad locum aliquem possit perveniri per diversas vias, non oportet, quòd antequàm perveniatur ad aliquid magis distans, perveniatur ad aliquid minus distans in una illarum viarum. Et similiter non oportet, quòd homo priùs peccet venialiter, quàm mortaliter.*

Hinc peccatum veniale est dispositio ad mortale non naturalis, & necessaria, sed contingens, & ad facilè esse; unde non oportet, ut semper praecedat. *Dupliciter* (ait D. Thom. q. 7. de Malo a. 7. ad 3.) *aliquid disponit ad alterum. Uno modo secundùm ordinem necessarium, & naturalem, sicut calor disponit ad formam ignis: & talis dispositio semper pracedit id, ad quod disponit. Alio modo contingenter, & quasi per accidens, sicut ira disponit ad febrem; non tamen oportet, quòd semper ira febrem pracedat. Et hoc modo veniale disponit ad mortale, nec tamen semper pracedit.* Hoc idem docet in 2. *dist. 21. q. 2. a. 3. ad 1.* dicens: *Duplex est dispositio: quadam est, qua necessaria est ad esse ejus, ad quod dis-*

disponit: & hac semper præcedit illud, ad quod disponit, sicut calor formam ignis. Quædam verò dispositio ordinatur ad facilitatem ejus, ad quod disponit, quod quidem sine ea esse potest, sed non ita de facili: sicut quòd ligna perfunduntur oleo, ut inflammentur citiùs: & sic veniale peccatum est dispositio ad mortale.

XVI. Objicitur tertiò. Invenitur aliquis status creaturæ rationalis, in quo potest quis peccare mortaliter, & venialiter, sicut in nobis accidit. Invenitur etiam alius status, in quo non potest quis peccare nec venialiter, nec mortaliter, sicut in statu Gloriæ. Invenitur etiam aliquis status, in quo non potest peccari venialiter, sed mortaliter tantùm, ut status Damnatorum; ergo est aliquis status, in quo potest peccari venialiter tantùm, & non mortaliter illo statu durante: sed hic non potest esse alius, quàm status innocentiæ; ergo in illo durante poterat homo peccare solùm venialiter.

XVII. Hoc argumentum quoque contra se proponit D. Thom. citatâ *q. 7. de Malo a. 7.* cui respondet *ad 8. Dicendum: quòd hujusmodi rationes non efficaciter concludunt ubique. Potest enim inveniri aliquid sine altero, sicut subjectum sine accidente, & forma sine materia; & tamen alterum sine illo non potest inveniri. Et similiter dici potest, quòd etsi inveniatur status, in quo possit esse peccatum mortale tantùm, non propter hoc oportet inveniri statum, in quo oporteat tantùm esse peccatum veniale. Licèt possimus dicere, aliquem statum esse, in quo non potuit esse peccatum mortale, sed veniale, sicut in sanctificatis ex utero, in Hieremia scilicet, & Joanne Baptista, & Apostolis, de quibus dicitur:* Ego confirmavi columnas ejus. *Qui creduntur confirmati fuisse per gratiam, ut mortaliter peccare non possent, sed tantùm venialiter.* Hæc D. Thom.

XVIII. Objicitur quartò. Liberum arbitrium si confirmatum non sit, se habet ad opposita: sed liberum arbitrium hominis in primo statu confirmatum non erat; ergo sicut poterat non peccare venialiter, ita etiam poterat peccare venialiter.

Respondet D. Thom. in 2. dist. 21. q. 2. a. 3. ad 2. *quòd Adam in primo statu habebat liberum arbitrium ad peccandum venialiter, sed hoc non poterat in actum exire, nisi priùs peccaret mortaliter; & ratio hujus dicta est. Vel potest dici, quòd comparando liberum arbitrium ad objectum suum, confirmatum non erat; sed comparando unum ordinem ad alium, habebat quamdam confirmationem, ut scilicet inferior ordo superiorem inviolabiliter sequeretur.* Quousque autem hic ordo inviolabiliter servabatur, peccatum veniale contingere non poterat, ut diximus ex D. Thoma, & probavimus. Qui etiam videri potest 1. 2. *q.* 89. *a.* 3. Alias objectiones proponit, & solvit S. Doctor laudatâ *q. 7. de Malo a. 7.* in 2. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 3. quas Studiosus percurret.

QUÆSTIO VI.

De Pœna, & Pœnitentia primorum Parentum.

LApsum, quo per peccatum à statu innocentiæ felicitate deciderunt malè cauti Parentes primi, multa mala comitata sunt, & ab ipsis in totam posteritatem propagata. De his ergo malis, quæ in pœnam peccati eorum consecuta sunt, ac eorumdem de patrato delicto pœnitentiâ quæstione præsenti tractabimus cum Divo Thoma 2. 2. *q.* 164. & alibi: quibus etiam subjiciemus de annis, quibus vixerunt, & cibis, quibus utebantur.

DUBIUM I.

De Pœna inflicta Serpenti, Hevæ, & Adamo.

§. I.

Pœna Serpentis.

I. PAtrato peccato, amissâ originali Justitiâ, apertis oculis turpitudinem suæ nuditatis ex insurgente concupiscentia agnoscentes, eam foliis ficus cooperire conati sunt; audientesque insuper vocem Domini, meritam delicti sui exprobrationem, ac vindictam metuentes, latebras, ut se absconderent, quæritabant. Verùm Deo vocanti se sistere coacti, atque increpiti delictum, quod sincerè accusare debuerant, excusare cæperunt: Adamus quidem vertendo crimen in mulierem, quam Deus illi dederat sociam: Heva autem culpam rejiciendo in serpentem: *Serpens decepit me.* Hæc refert Moyses Gen. 3. à v. 7. ad 13. Versu verò 14. subdit: *Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* v. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* His pœna fuit inflicta serpenti, qui instrumentum fuit Diabolo ad tentandum. Fuisse autem hunc verum serpentem, ac pœnam fuisse vero serpenti etiam litteraliter, & non soli Diabolo inflictam; ostendimus Quæst. præcedente Dub. 2. primum quidem toto §. 1. secundum verò §. 2. num. 15.

II. Quatuor igitur, præfatis verbis, pœnæ serpenti infliguntur. Prima est maledictionis divinæ fulminatio, idest (inquit Chrysost. homil. 17. in Genes.) *Quia tali malitia ministrasti, ut fraus illa opere compleretur ... quia sic fecisti, & à mea benevolentia excludere voluisti creaturas meas, ministerio maligni Dæmonis sententia exhibito ..... propterea quia te in his, ut instrumento est usus, perpetuam tibi pœnam impono; ut per ea, quæ tibi inferuntur, & ille scire possit, quodnam ipsum maneat supplicium; & futuri homines erudiantur, ne seducantur Diaboli consiliis, neque illius fraudes admittant, ut ne in easdem incidant pœnas.* Cur autem serpenti maledixerit, & pœnas inflixerit, quamvis merum organum, & instrumentum diabolicæ malitiæ fuerit; diximus loco supracitato ex eodem Sancto Chrysostomo videndo *num.* 15.

III. Secunda pœna fuit reptatio super terram, & comestio terræ. Quidam, maximè Veteres, putarunt, serpentem antea erectum incessisse, nec terram comedisse; ut observavimus citato loco *num.* 14. & Chrysostomus laudatus videtur supponere, dicens: *Quia formâ tuâ abusus es, & in familiaritatem rationalis animalis à me conditi venire non formidasti. Sicut igitur Diabolus, qui per te operatus, & te instrumento usus est, è Cœlis deorsum depulsus est; quia plus, quàm dignitatis suæ erat, sapere volebat; ita similiter impero, ut & tu aliam formationis figuram habeas; & super terram repas, eâque alaris; atque adeò ne liceat tibi posthàc suspicere, sed semper in hoc maneas statu, & solus ex animalibus terrâ pascaris.* Verùm quia, ut superius diximus, citato loco *num.* 15. fortè probabilius censuimus, etiam antea serpentem super terram gressum, & terrâ pastum fuisse, nec proinde ejus immutatam naturam: dicitur, quòd sicut mors, quæ homini in suis naturalibus condito fuisset naturalis, modò versa est in pœnam: ita gressus super terram, & terræ comestio, quæ priùs serpenti erat natura, voluit Deus, ut esset supplicium, & ignominia.

IV. Tertia pœna fuit inimicitia inter ipsum, & mulierem, & semen illius, nempè genus hominum; & quidem nullum aliud animal adeò aver-

 santur

ſantur homines, quàm ſerpentes: nemo enim eſt, qui non ad ejus adſpectum horreſcat. Familiarem proinde ante peccatum fuiſſe ſerpentem putant Damaſcenus *l. 2. de Fide c.* 10. & Chryſoſt. *hom. 16. in Geneſ.* ſuperiùs à nobis relati citato loco *num.* 11. factumque eſſe inimicum, & horrificum ſolùm poſt peccatum; & probabiliter quidem. Nam ante peccatum animantia omnia hominis imperium venerabantur; unde dicitur *inimicitias ponam* in futuro. Porro iſtæ inimicitiæ, quas poſuit Deus inter ſerpentem animal, & hominem typus inimicitiæ fuerunt, quæ futura erat inter B. Virginem Mariam, & ſemen ejus Chriſtum cum Diabolo per ſerpentem figurato. Hinc ſequitur.

V. Quarta pœna, quòd nempe ſerpentis caput conterendum eſſet per ipſam, nempe mulierem. Scio, magnam eſſe hìc Codicum varietatem. Ubi enim Vulgata noſtra reddit: *ipſa conteret caput tuum*, Verſio lxx. legit *ipſe*; Hebræi legunt *ipſum*. Vetus tamen Vulgata reddebat *ipſa*. S. Auguſtinus quoque *lib. 2. de Geneſ. contrà Manich. c.* 18. & *l.* 11. *de Geneſ. ad litt. c.* 36. Sed ſive legatur *ipſa*, referendo ad mulierem; ſive *ipſum*, referendo ad ſemen illius; ſive *ipſe*, referendo ad filium ejus, ut Chaldaicus Interpres pro *ſemen illius* vertit *filium illius*, in idem redit, & idem ſenſus eſt. Nam ſi legamus *ipſa*, vel *ipſum*, ſcilicet ſemen, verus ſenſus eſt: quòd ipſe Chriſtus ſemen mulieris contriturus ſit caput, ideſt omnem potentiam Diaboli, alligans, & ſubjiciens ipſum, ne amplius, ut ante, contra hominem caput erigeret. Si verò legamus *ipſa* conteret, ſcilicet mulier, ſit ſenſus: quòd Heva, vel potiùs Virgo Maria, proferet ſemen illud, nempe Chriſtum, per quem virtus ſerpentis conterenda erat. Quo modo dicitur Abrahæ Gen. 12. v. 3. *In te benedicentur univerſa cognationes terræ*, propter Chriſtum ex ejus ſemine naſciturum; quòd *Gen.* 22. *v.* 18. & *c.* 26. *v.* 4. clariùs exponitur, dicendo: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Ità *ipſa*, nempe B. Virgo Maria, in ſemine ſuo Chriſto contritura erat caput ſerpentis. Quapropter de ſe ipſa Lucæ 1. v. 48. *Ex hoc* (inquit) *beatam me dicent omnes generationes*.

VI. Quapropter inſcitè, ſeu potiùs impiè Lutherus in hoc caput Gen. & poſt ipſum Calvinus ibidem, culpant Eccleſiam Romanam, quòd legat *ipſa conteret.* Non hoc ex ignorantia proceſſit, ut hi Nebulones imponunt. Cum Eccleſia antiqua in multis Verſionibus ita legerit, ut vidimus; & varietas naſcatur ex hoc, quòd Hebræum *his*, ideſt *ipſa*, ſine punctis ſæpè iiſdem prorſus litteris ſcribatur, quibus *hoec*, ideſt *ipſe*, & idem ſit ſenſus, utrolibet modo legatur; non eſt cur ignorantiæ hoc deputent. Multò magis autem blaſphemus eſt Lutherus, qui ita Eccleſiam Romanam legere imponit, ut ſuæ, ait ipſe, Idololatriæ patrocinari faciat Scripturam; dùm honorem, qui ſoli Chriſto debetur, Mariæ, imò cuique mulieri communicat. Nam ſicut Chriſto non detrahitur, dùm Abrahę dicitur: *In te benedicentur*, quia idem reddit, ac *in ſemine tuo*, ſeu ratione ſeminis ex te prodituri: ita nec Chriſto derogatur, dùm dicitur *ipſa conteret*, quia nonniſi ratione Chriſti ſerpens erat ab ea conterendus. Quod fateri debet, velit, nolit, Lutherus ipſe. Nam dùm ipſe legit *ipſum*, ideſt ſemen mulieris conteret; vel intelligit de quocumque ſemine mulieris, vel de ſolo ſemine Chriſto. Si primum; ergo & ipſe cuique ſemini ex muliere tribuit, quod ſoli debetur Chriſto. Si ſecundum; ergo nec nos cuicumque mulieri hoc privilegium cumulamus; ſed ſoli illi, quæ *benedicta inter omnes mulieres*, quia *benedictus fructus ventris ejus* ab Eliſabeth pronunciatur *Lucæ* 1. *v.* 42. Cui quidem ſuum honorem deferimus, ſed non qualem exhibemus Chriſto. Quòd ſi Lutherus B. V. Mariam omni cultu honoris ſpoliare intendit, impius eſt, hìc deteſtandus; ſed non vacat eum confutare.

VII.

VII. Ex dictis colligitur, pœnam hanc respicere potiùs Diabolum serpentem mysticum, quàm serpentem verùm. Quamvis Rupertus *lib. 3. in Genes. c. 20.* referri posse censeat etiam ad serpentem verum: *Nam* (inquit) *si nuda mulieris planta dentem serpentis præveniret, statim totum cum capite corpus repentè interit; ita ut nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis, aut vectibus certè, nec gladiis concidentibus citò, aut leviter effici potest. Siquidem excisum caput cum tribus, aut duobus digitulis, vivere, & abire perhibetur.* Hæc Rupertus asserens, quòd hoc totum, quod prædictum est, ita esse, ipsorum, qui per industriam exploraverunt, fidâ relatione se comperisse. Sed quidquid sit, dubium non est, quin pœnam istam Diabolus serpens mysticus subierit.

§. II.

Pœna Hevæ.

VIII. JActo in serpente maledictionis, ac cæterarum pœnarum fulmine Dominus Gen. 3. v. 16. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quibus Hevam, ac fœminas ei successuras triplici pœnâ mulctavit Deus, nempè multiplicatione ærumnarum in multitudine conceptuum; dolore in partu; & subjectione viro, ejusque potestati. Triplici autem pœnâ damnata fuit mulier; quia, ut superiùs diximus ex Ruperto *lib. 3. in Genes. c. 21.* triplò magis peccavit ipsa, quàm vir. *Primò, quia credendo serpenti, plusquàm Deo, seducta est. Secundò, quia pulchritudinem, & suavitatem ligni delectabiliter concupivit. Tertiò, quia non contenta transgressione propriâ, postquàm comedit, viro quoque dedit.* Pro triplici ergo peccato triplex pœna erat infligenda. *Ita* (inquit Rupertus) *pro seductione, quia seducta est, conceptuum multiplicitas; pro gulæ oblectamento, uteri dolor; pro temerario imperio servitus illa pœna ei reddita est.*

IX. Dices tamen primò. Multiplicatio prolis pertinet potiùs ad dignitatem mulieris, magnum est gaudium Parentum; futura proinde esset quoque in statu innocentiæ; ergo non erat deputanda mulieri in pœnam.

X. Respondeo cum S. Thoma 2. 2. q. 164. a. 2. ad. 2. *quòd multitudo conceptuum inducitur in pœnam mulieris, non propter ipsam procreationem prolis, quæ etiam ante peccatum fuisset, sed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur ex hoc, quòd portat fœtum conceptum. Unde signanter conjungitur* Multiplicabo ærumnas tuas; & conceptus tuos. Hæc D. Thomas. Et Rupertus l. 3. in Gen. c. 22. *Hæc autem* (inquit) *multiplicatio, non benedictionis, sed damnationis est; non gratia, sed ira; non clementia, sed vindicta. Unde & non ait tantùm, multiplicabo conceptus tuos; sed multiplicabo, inquit, ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Ærumnæ autem sunt, incommoda, quæ mulieres patiuntur, dùm fœtum gestant in utero, quorum multi per abortum in utero matris intereunt, & sæpe matrem ipsam necant. Multi depravati mole, & figurâ monstruosi, complexione debiles nascuntur, qui Parentibus dolori sunt. Eorum insuper, qui generantur, pauci electi sunt, plerique æternis suppliciis addicti. *Quanta* (ait Rupertus) *putas hæc ira, quanta est vindicta: concipi, vel nasci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum, vel vitam æternam non pertineant, quibus proinde melius erat, si nati non fuissent?*

XI. Altera mulieris pœna fuit, dolor in partu. In dolore paries. *In statu enim innocentiæ* (ait D. Thom. 2. 2. q. 164. a. 2. ad 1. *fuisset partus absque dolore. Dicit enim August. l. 14. de Civit. Dei c. 26.* Sicut ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret;

xaret: ita ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret. De hoc supra egimus Q. 4. *Dub.* 3. §. 2. Nunc autem (inquit S. Thom. citatus ad 3.) *quæcumque mulier concipit, necesse est, quòd ærumnas patiatur, & cum dolore pariat; præter B Virginem, quæ sine corruptione concepit, & sine dolore peperit: quia ejus conceptio non fuit secundùm legem naturæ à primis Parentibus derivata*. Hinc S. Chrysostomus *homil.* 17. *in Genes.* in persona Dei sic loquitur: *Ego quidem volebam, te citra dolorem, & ærumnam vivere, liberamque ab omni mærore, & tristitia, & omni voluptate repleri, & licèt corpore circumdatam, corporalium sensu non affici: at quia non usa es, ut oportet, tantâ prosperitate, sed affluentia bonorum tam ingratum tibi animum invexit: propterea tibi frænum impono, ut ne ampliùs lascivias, ad tristitias, & gemitus te condemnans*. Et paulò post: *Rem* (inquit) *magna lætitia, & filiorum propagationem à dolore, ut incipias, faciam; ut & ipsa per cujusque partus dolores, & ærumnas perpetuò monearis, quanta sit peccati, & inobedientia magnitudo &c.*

XII. Quòd si dixeris. Pœna debet ad omnes transire mulieres: sed non omnium multiplicantur conceptus, multæ enim sunt steriles. = Respondebo cum D. Thom. loco citato ad 3. quòd *si aliqua non concipit, neque parit, patitur sterilitatis defectum, quî præponderat pœnis prædictis*.

XIII. Tertia Mulieris pœna est, quòd sit sub potestate viri, ejusque dominio, subjectione non solùm voluntariâ, sed etiam involuntariâ. *Subjectio autem mulieris ad virum intelligenda est in pœnam mulieris esse inducta, non quantùm ad regimen (quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuisset, & ejus gubernator extitisset) sed pro ut mulier contra propriam voluntatem nunc necesse habet viri voluntati parere* (inquit S. Tho. laudato loco *ad* 2.) & S. Jo. Chrysost. *homil.* 17. *in Gen.* inducit Dominum mulieri sic loquentem: *Ego ab initio honore parem te formavi, & ejusdem dignitatis in omnibus participem; & sicut viro, ita & tibi omnium principatum concredidi: cæterùm quia abusa es dignitate, subjicio te viro*. Et inferiùs: *Meliùs est, ut tu sub illo sis, & illum dominum habeas, quàm liberè, & cum potestate vivens per præcipitia feraris. Nam & equo utilius est fræno regi, & compositè progredi, quàm sine illo per præcipitia ferri*.

XIII. De hac mulieris pœnâ ita loquitur D. Thom. 2. 2. qu. 164. a. 2. *Mulieri attributa est pœna secundùm duo, propter quæ viro conjungitur. Quæ sunt generatio prolis, & communicatio operum pertinentium ad domesticam conversationem. Quantùm autem ad generationem prolis, punita fuit dupliciter. Primò quidem quantùm ad tædia, quæ sustinet, portando prolem conceptam. Et hoc significatur, cùm dicitur:* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. *Et quantùm ad dolorem, quem patitur in pariendo: & quantùm ad hoc dicitur:* in dolore paries. *Quantùm verò ad domesticam conversationem, punitur secundùm hoc, quòd subjicitur dominationi viri per hoc, quòd dicitur:* sub viri potestate eris.

§. III.

De Pœna Adæ.

XIV. Postquàm Dominus mulieri suas pœnas inflixit, refert Moyses Gen. 3. v. 17. &c. *Adæ verò dixit: quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane: donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulvere reverteris*. Ac si diceret (in-

(inquit Chrysostomus homil. 17. citatâ) *Ego quidem cùm in hunc te Mundum produxi, volebam, te degere absque doloribus, laboribus, sudoribus, & ærumnis, & omni felicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse, sed ab omnibus illis vacuum in omni libertate versari. Quia verò non profuit tibi tanta securitas, ea propter & terram maledicam; itaut absque satione, & aratione non proferat suos fructus, sicut antea: sed cum multo labore, molestiis, & ærumnis afficiam te doloribus, & continuis fatigationibus. Efficiam item, ut nihil promoveas absque sudoribus.... Neque hoc ad modicum, & breve tempus erit, sed omni tempore vitæ durabit.... Hæc sustinebis usque ad finem vitæ tuæ, & donec in illam resolvaris, ex qua formatus es &c.*

XV. Prima ergo Adami pœna fuit maledictio terræ in opere suo. Ubi Rupertus l. 3. in Gen. c. 24. *Non ait,* (inquit) *maledicta terra in semetipsa, quippe quæ cum sit res inanimata, & insensibilis, nec benedictione, nec maledictione secundùm semetipsam digna est, vel ejus perceptibilis. Sed maledicta, inquit, in opere tuo, idest propter opus tuum, quod est peccatum tuum. Vel maledicta in opere tuo, idest laboriosa sit tibi operatori, vel cultori suo;* idest, si in ea non laboraveris, ex ea non comedes: ubi ante peccatum sponte suâ, vel saltem sine labore segetes produxisset. Quamvis autem terra nihil peccaverit, maledicitur tamen, utpotè res pertinens ad hominem, seu hominis usum. *Et hoc modo* (ait S. Tho. 2. 2. q. 76. a. 2.) *Dominus homini dixit Gen.* 3. maledicta terra in opere tuo, *ut scilicet per ejus sterilitatem homo puniretur.* Unde addidit *in laboribus comedes ex ea,* hoc est, ex ea proventus, & fructus non percipies sine laboribus, molestiis, & defatigationibus plenis.

XVI. Ideò autem maledicta potius fuit terra, quàm aqua, vel aliud elementum; vel quia mediante fructu ex terra oriundo peccavit Adam. Vel, inquit Alchuinus, terræ maledicitur, non aquis; quia homo de fructu terræ contra vetitum manducavit, non de aquis bibit: & quia peccatum de fructu terræ contractum in aquis erat abluendum, respiciente Domino Sanctum Baptisma, in quo delictum veteris Adami mergitur, & emergit novus homo in justitia per Christum.

XVII. Secunda pœna Adæ inflicta fuit, quòd terra illi germinaret spinas. Non quia ante peccatum terra spinas, & tribulos non germinasset; sed non germinasset ipsi in pœnam, idest non ad pastum solùm animalium, ut antea, sed ipsi ad laborem, & in ipsis terris, ubi pœnaliter laboraturus erat; cum antea in locis separatis spinas fortè solùm germinasset. Ita S. Augustinus l. 3. de Genes. ad litt. c. 18. *Nec tamen* (inquit) *facilè dicendum, tunc* [post peccatum] *cœpisse ista* (spinas, & tribulos) *oriri ex terra..... Sed ut in agris, in quibus jam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest. Cùm possent alibi nasci, vel ad avium, pecorumque pastus, vel ad ipsorum hominum aliquos usus.* Deinde admittens, quòd etiam ante peccatum spinæ natæ fuissent in agris, ut modò, pergit dicens: *Non quòd aliis locis hæc antea nascerentur, & post in agris, quos homo ad capiendas fruges coleret; sed & priùs, & postea in eisdem locis, priùs tamen non homini, post autem homini; ut hoc significetur, quòd additum est,* tibi: *quia non est dictum, spinas, & tribulos pariet, sed* pariet tibi, *idest, ut* tibi *jam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo aliis animalibus nascebantur.* Ita quoque citans S. Augustinum sentit Sanctus Thomas 2. 2. q. 164. a. 2. ad 1. dicens: *spinas autem, & tribulos terra germinasset, si homo non peccasset, in cibum animalium, non autem in hominis pœnam: quia scilicet propter eorum exortum nullus labor, aut punitio homini operanti in terra accideret..... Quamvis Alchuinus dicat, quòd ante peccatum terra omninò spinas, & tribulos*

bulos non germinasset. Sed primum est melius. Alchuino in hoc consentit Rhabanus, & ante ipsum S. Basilius *homil. 5. in Hexamer.*

XVIII. Tertia Adami pœna est, quòd labore suo, & sudore vesceretur pane, & herbam comederet, quibus ei parcitas in victu præscribitur. Ex his inferunt aliqui (sicut ex iis, quæ dicta sunt Genes. 1. v. 29.) nec Adamum, nec ejus Posteros usque ad diluvium carnes comedisse, sed solis oleribus, & terræ fructibus pastos fuisse. Sed de hoc dicemus infra. Porrò quamvis non omnes in sudore, & labore colendi terram panem comedant: omnes tamen aliquo labore proportionaliter eo pascuntur. Nam *& ipsi, qui agriculturam per se non exercent, in aliis laboribus occupantur.* Homo *enim* nascitur ad laborem, *ut dicitur Job. 5. & sic panem ab aliis in sudore vultus elaboratum manducant.* Ita D. Thom. *2. 2. q. 164. a. 2. ad 3.*

XIX. Has Adæ pœnas S. Thomas *2. 2. q. 164. a. 2.* describit sic: *Sicut ad mulierem pertinet, ut subdatur viro in his, quæ ad domesticam conversationem pertinent: ita ad virum pertinet, quòd necessaria vitæ procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. Primò quidem per terræ sterilitatem, cùm dicitur:* maledicta terra in opere tuo. *Secundò per laboris anxietatem, sine qua fructus terræ non percipit. Unde dicitur:* in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Tertiò quantùm ad impedimenta, quæ proveniunt terram colentibus. Unde dicitur:* spinas & tribulos germinabit tibi.

Observanda pro coronide est proportio pœnæ ad culpam. Serpentis enim ambitio punitur contemtu: gula mulieris dolore corporis, & divinæ similitudinis affectatio inordinata subjectione sub viro. Viri verò facilitas ad consentiendum uxori, labore, & molestiâ, ac demum superbia utriusque punitur morte. Sed de hac erit.

DUBIUM II.

De Pœnis Adamo, & Hevæ communibus, & præcipuè de Morte.

§. I.

De pœna Rebellionis Carnis.

I. Egimus de pœnis, quibus Deus serpentem, Hevam, & Adamum specialiter mulctavit. Nunc agendum de pœnis Adamo, & Hevæ communibus, & quas generaliter in totum genus humanum propagarunt, sive quòad animam, sive quòad corpus.

II. Prima, & omnium maxima pœna fuit justitiæ originalis privatio. Sicut enim per istam anima perfectè subjecta Deo, perfectè quoque dominabatur viribus inferioribus; ut nec auderent adversùs rationem caput extollere, imò nec motum ullum, nisi eâ ordinante concipere; & corpus ipsum ita animæ obediebat, ut ex ejus imperio vigor sanitatis perfectæ, imò & immortalitatis in ipsum redundaret, quod supra ostendimus: ita justitiâ originali privata anima Deo rebellis facta est; appetitus, & concupiscentiæ excusso jugo adversùs rationem insurgere cæperunt; & corpus suæ conditioni relictum, ægritudinibus, & tandem morti cæpit subjacere.

III. Rebellionem carnis, seu inferiorum virium rationi ex primorum Parentum peccato insurrexisse docet D. Thomas *Opusc. 2. cap. 192.* his verbis: *Quia igitur dicti status tàm ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad Deum, consequens fuit; ut subductâ humanâ voluntate à subjectione divina, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiæ, iræ, & cæterarum passionum inordinatos motus, non secundùm ordinem ratio-*

tionis, sed magis ei repugnantes: & eam plerumque obnubilantes, & quasi perturbantes. Et hæc est repugnantia carnis ad spiritum, de qua Scriptura loquitur. *Nam quia appetitus sensitivus, sicut & cæteræ sensitivæ vires, per instrumentum corporeum operatur, ratio autem absque aliquo organo corporali: convenienter, quod ad appetitum sensitivum pertinet, carni imputatur: quod verò ad rationem, spiritui, secundùm quòd spirituales substantiæ diei solent, quæ sunt à corporibus separatæ.*

IV. Hæc repugnantia carnis spiritui est illa lex, quam S. Paulus sentiebat in membris suis repugnantem legi mentis suæ, de qua conquerens Rom. 7. v. 22. & 23. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ubi dicens: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem*, ostendit (ait D. Thomas ibi *lect.* 4.) legem Dei esse convenientem homini interiori, idest rationi: *Nullus enim delectatur nisi in eo, quod est sibi conveniens: homo autem secundùm rationem delectatur in lege Dei; ergo lex Dei est conveniens rationi.* Cùm verò dicit: *Video aliam legem in membris meis &c.* indicat fomitem peccati: *quæ quidem* (inquit S. Thom.) *potest dici lex duplici ratione. Uno modo propter similes effectus. Quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum. Alio modo per comparationem ad causam: cùm autem fomes sit quædam pœna peccati, duplicem causam habet. Unam quidem ipsum peccatum, quod in peccante dominium accepit, & ei legem imposuit, quæ est fomes, sicut dominus servo victo legem imposuit. Alia causa fomitis est Deus, qui hanc pœnam homini peccanti indidit, ut rationi ejus inferiores vires non obedirent.* Et quia ex hac parte fomes est secundùm sententiam divini judicis, fomes lex dicitur. *Hæc autem lex originaliter quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusivè invenitur in omnibus membris, quæ deserviunt concupiscentiæ ad peccandum, supra* (c. 6. v. 19.) *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ &c.* Ita pulchrè S. Thomas ex Paulo pœnam hanc describit.

V. Alii autem pœnales effectus in intellectu, & voluntate consecuti sunt, ait D. Thom. Opusc. 2. citato c. 194. *Abundantibus enim in appetitu inferiori inordinatis motibus passionum, simul etiam & in ratione, deficiente lumine sapientiæ, quo divinitùs illustrabatur voluntas, dùm erat Deo subjecta; per consequens affectum suum rebus sensibilibus subdidit, in quibus oberrans à Deo, multipliciter peccavit: & ulteriùs immundis spiritibus se subdidit, per quos credidit in hujusmodi rebus agendis acquirendis sibi auxilium præstari. Et sic in humano genere Idololatria, & diversa peccatorum genera processerunt: & quò magis in his homo corruptus fuit, eò ampliùs à cognitione, & desiderio bonorum spiritualium, & divinorum recessit.* Hactenus ex D. Thoma pœnales defectus, qui ex peccato primorum Parentum in anima consecuti sunt, exposuimus: nunc de iis, quæ in corpus redundarunt sermo erit.

§. II.

De pœna Mortis.

VI. Consecutum *est etiam* (inquit S. Th. Op. 2. citato c. 193.) *ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi animâ jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo. Unde homo factus est passibilis, & mortalis: non solùm quasi potens pati, & mori, ut antea; sed quasi necessitatem habens ad patiendum, & moriendum.*

VII. Dico. Ex peccato primorum Parentum consecuta est in pœnam homini necessitas moriendi. Hanc veritatem catholicam jam supra *Quæst.* 4. *Dub.*

Dub. 1. §. 1. Scripturis, PP. & Conciliis firmavimus contra Cœlestium, & Pelagium; qui negantes, homines contrahere peccatum origine, asserebant, mortis necessitatem non esse pœnam ex peccato contractam, sed naturam: unde dicebant, Adamum ex sui conditione necessitatem moriendi habuisse, non ex culpa. Horum errorem referens S. Augustinus *l. de Hæres. c.* 87. ait: *Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum; neque ità mortuum merito culpa, sed conditione naturæ.* Ne igitur ea, quæ contra hunc errorem diximus, inutiliter repetamus, illùc Studiosum provocamus.

VIII. Interea pro perfecta hujus veritatis intelligentia observandum censeo cum D. Tho. 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad* 1. & *q.* 5. *de Malo a.* 5. Quòd cùm naturale sit illud, quod consequitur ex principiis naturæ, & hæc in homine duo sint, anima rationalis, & corpus: ideò aliquid potest esse naturale homini; vel ratione animæ, vel ratione corporis. Et hoc etiam dupliciter; vel ratione corporis secundùm se, vel ut coaptatur animæ. Certum igitur est, quòd cùm forma hominis sit anima rationalis, & hæc sit immortalis, esse mortalem non competit homini ratione suæ formæ; imò ratione hujus potiùs peteret esse immortalem. Relinquitur ergo, quòd esse mortalem competat homini ratione materiæ. Cùm enim alia materia, quæ huic animæ incorruptibili serviat in operationibus suis, naturaliter inveniri non possit, nisi corpus ex elementis compositum; & hoc, quia ex contrariis constans, secundum naturam materiæ, naturaliter est dissolubile, & corruptibile, fit; ut corpus hujusmodi sic organizatum, licèt corruptibile, sit naturale subjectum animæ incorruptibilis, & homo inde resultans ex conditione, & necessitate materiæ corruptibilis, & mortalis. Hæc tamen non est conditio, secundùm quam materia adaptetur formæ, quasi forma ex se illam requirat. Nam *Si in natura inveniri potuisset aliquod corpus ex elementis compositum, quod esset incorruptibile, procul dubio tale corpus esset conveniens animæ rationali secundùm naturam. Sicut si posset inveniri ferrum infrangibile, & rubiginem non contrahens, esset convenientissima materia ad serram, & talem artifex quæreret; sed quia talis inveniri non potest, accipit qualem potest, scilicet duram, licèt frangibilem.* Ita S. Th. *q.* 5. *de Malo a.* 5. citato.

Et 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad.* 1. Hoc eodem exemplo ostendens, esse quidem de ratione animæ rationalis habere corpus organicum, non tamen, saltem per se, quòd hoc corpus sit corruptibile. *Sicut* (inquit) *quòd serra sit ferrea competit formæ, & actioni ejus, ut per duritiem sit apta ad secandum: sed quòd sit potens rubiginem contrahere, consequitur ex necessitate talis materiæ, & non secundùm electionem agentis. Nam si artifex posset, faceret ex ferro serram, quæ rubiginem contrahere non posset.* Ex quibus concludit sic.

Deus autem, qui est Conditor hominis, omnipotens est. Unde ademit suo beneficio ab homine primitùs instituto necessitatem moriendi ex tali materia consequentem: quod tamen beneficium subtractum est per peccatum primorum Parentum. Et sic mors, & est naturalis propter conditionem materiæ; & est pœnalis propter amissionem divini beneficii præservantis à morte.

IX. Hoc igitur beneficio, quo à necessitate moriendi præservabatur, ab homine ablato propter peccatum, necessitas mortis (ei ex conditione materiæ cæteroquin conveniens) facta est ei, suisque Posteris pœnalis. Quod expressit Deus ipse Gen. 3. v. 19. *donec revertaris in terram, de qua sumtus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quasi dicens: quia beneficio meo, quo te à morte præservaveram, abusus es, relinquam te conditioni tuæ materiæ: de terra sum-

tus

tus es, in terram dissolveris. *Nam quamvis tibi corporis dederim naturam ob meam bonitatem, ipsum tamen hoc corpus ex terra existens, iterùm erit terra*: terra *enim* es, & in terram abibis. *Enim verò, ut ne hæc fierent, dixi*: Ne comedatis de hoc ligno: quocumque enim die comederitis, morte moriemini. *Non enim hoc volebam: sed quia eorum, quæ ad me attinebant, nihil intermissum est: tu autem te ipsum in hæc conjecisti, ne in alium causam retuleris, sed tuæ ipsius desidiæ totum adscribito*. Ita S. Jo. Chrysost. *Homil. 17. in Genes.* Omitto alios S. Scripturæ textus, quibus ostenditur, mortem esse introductam in Mundum per peccatum; hos enim superius expendimus *Quæst.* 4. *Dub.* 1. §. 1. inutiliter enim repetendi non sunt.

X. Ex his format rationem suam D. Thom. 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. sic. Si aliquis propter culpam suam privetur aliquo beneficio sibi dato, carentia illius beneficii est pœna culpæ illius: sed homini in sui prima institutione hoc beneficium fuit collatum divinitùs, ut quamdiu mens ejus esset Deo subjecta, etiam inferiores vires animæ subjicerentur rationali menti, & corpus ipsum animæ in totum obediret; ergo excussâ per peccatum debitâ subjectione animæ ad Deum, sicut ex hoc secuta est rebellio carnalis appetitus à ratione, seu privatio virium in ratione continendi in debita obedientia vires inferiores tanquàm pœna: ita tanquàm pœna secuta est in anima carentia virium, quibus posset continere in debita obedientia corpus, ex qua consequuntur mors, & alii corporales defectus. Sicut enim vita, & incolumitas corporis consistit in hoc, quòd subjiciatur animæ, ut perfectibile suo perfectivo; ita per oppositum mors, & ægritudo, & quilibet corporalis defectus ex hoc consequitur, quòd corpus animæ non subjicitur, nec anima vires habet ad sibi perfectè subigendum corpus; ergo *sicut rebellio carnalis appetitus ad spiritum est pœna peccati primorum Parentum, ita etiam & mors, & omnes corporales defectus*.

§. III.

Solvuntur, quæ obstare videntur.

XI. Ut magis hæc Catholica veritas firmetur, solvenda sunt, quæ in speciem obstant. Primò ergo obstare videtur. Si mors esset pœna peccati, statim fuisset ad peccatum consecuta, sicut statim consecuta fuit rebellio carnis ad spiritum; eò vel maximè, quia dixerat Deus Genes. 2. v. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: sed primi Parentes post peccatum diù vixerunt, ut patet *Gen.* 5. *v.* 5. ergo &c.

XII. Respondet D. Thom. 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad* 8. quòd statim post peccatum cæperunt mori, estò non statim eorum mors fuerit consummata. Ita S. August. 11. de Genes. ad litt. c. 32. *Hac mors eâ die accidit, quâ factum est, quòd Deus vetuit; quia ex tunc morbidam qualitatem, & mortiferam primi Parentes in corpore mortali contraxerunt*. Vel sicut dicit l. 1. de Peccat. merit, & remiss. c. 16. *Quamvis annos multos primi Parentes posteà vixerint, illo tamen die mori cæperunt, quo mortis legem, quâ in senium veterascerent, acceperunt*.

Ita quoque, hanc eandem difficultatem proponens, respondet S. Joann. Chrysost. *Homil.* 17. *in Genes.* dicens: *Nam licèt multos annos vixerint, attamen à quo tempore audierunt*: Terra es, & in terram abibis; *& sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt: & ex illo tempore fuerunt, perinde, ac si quis illos dicat mortuos fuisse. Hoc igitur & Scriptura significans dixit*: Quocumque die comederitis, morte moriemini: *hoc est, sententiam accipientes, mortales posthàc nos futuros. Sicut enim in humanis judiciis, quando quis sententiâ latâ, ut capite mulctetur, iterùm in carcerem conjicitur, licèt ibi mul-*

multo tempore agat; nihil melius tamen habet defunctis, & mortuis, utpote jam per sententiam mortuus: eodem modo & hi, ab eo die, à quo mortalitatis sententiam acceperunt, tametsi longo tempore duraverint, nihilominùs sententiâ mortui erant.

XIII. Obstare potest secundò. Nam si ægritudo, & alii defectus corporis essent pœna originalis peccati, deberent esse æquales in omnibus; nam *pro mensura* peccati *erit & plagarum modus* (Deuteron. 25. v. 2.) sed hujusmodi defectus non in omnibus sunt æquales: nam quidam nascuntur sani, quidam malè affecti, quidam diversimodè læsi, quidam benè dispositi; ergo &c.

XIV. Respondeo cum D. Thoma *q. 5. de Malo a. 5. in corp. & ad 3.* negando absolutè maj. Alia enim est pœna taxata pro delicto, alia est pœna eam concomitans. Sicut si Judex in pœnam alicujus delicti faciat aliquem excæcari, cæcitas erit pœna taxata pro delicto; incommoda autem, quæ ex cæcitate consequuntur, puta quòd mendicet, sunt pœna concomitans: & ista in pari delicto contingit esse major in uno, quàm in altero, ad hæc enim Judex non respicit, sed solùm, quòd reum visu privet. Sic pœna taxata toti naturæ humanæ pro peccato primorum Parentum fuit mors, & in hoc sunt omnes æquales: quòd verò plura incommoda ex mortalitate in uno consequantur, quàm in alio, sunt pœna concomitans. Deus enim in primordio suæ conditionis dederat homini quoddam auxilium originalis justitiæ, quo præservabatur ab omnibus hujusmodi defectibus: at eo auxilio privatâ totâ naturâ humanâ consequuntur multa incommoda, quæ diversimodè inveniuntur in diversis, licèt æquales sint in originali culpa, quia sunt pœna concomitans.

XV. Sed dices. Licèt hæc doctrina valeat in homine Judice, qui cùm non possit prævidere eventus sequentes, nec eos potest ponderare, dùm infert pœnam; propter quòd rationabiliter hujusmodi incommodorum inæqualitas ejus justitiæ non derogat: non valet tamen in Deo Judice puniente, qui cùm omnes eventus futuros prænoscat, & disponat, injustè videretur se gerere, si æqualiter subjacentibus culpæ inæqualia incommoda in pœnam evenirent.

XVI. *Ad hanc dubitationem tollendam* (inquit D. Tho. relatus) *posuit Origenes, quòd animæ antequàm corporibus unirentur, diversa merita habuerunt, pro quorum diversitate consequuntur corporibus, quibus uniuntur, majora, vel minora incommoda. Et inde est, ut ipse dicit, quòd quidam mox nati vexantur à Dæmone, vel cæci nascuntur, vel aliqua hujusmodi incommoda patiuntur*

XVII. *Sed hoc* (ait S. Doctor) *repugnat Apostolica Doctrina. Dicit enim Apostolus Roman. 9. de Jacob, & Esau loquens:* Cùm nondum nati essent, aut aliquid boni, vel mali egissent &c. *Eadem autem est ratio de omnibus. Unde non est dicendum, quòd animæ habuerint merita bona, vel mala antequàm corporibus unirentur. Est etiam contra rationem. Nam cùm naturaliter anima sit pars humanæ naturæ, imperfecta est sine corpore existens, sicut est qualibet pars separata à toto. Inconveniens autem fuisset, quòd Deus ab imperfectis suam operationem inciperet. Unde non est rationabile, quòd animam creaverit ante corpus, sicut neque quòd manum formaverit extra hominem.*

XVIII. Aliter igitur respondet Sanctus Thomas, quòd diversitas, quæ circa hos defectus accidit in hominibus, est à Deo prævisa, & ordinata, non propter aliqua merita in alia vita existentia, neque tanquàm pœna pro originali taxata; sed vel in pœnam peccatorum parentum: filius enim secundùm corpus, est aliquid patris, età non secundùm animam, quæ immediatè à Deo creatur: unde non est inconveniens, ut pro peccato patris filius corporaliter puniatur, non tamen

men spiritualiter. Vel non in pœnam peccati alicujus, sed ut remedium contra peccatum sequens, sive etiam propter profectum virtutis, aut ejus qui patitur, aut alterius: sicut Dominus Joann. 9. de cæco nato dixit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Quia sic expediens erat suæ, vel aliorum saluti. Ita paucis mutatis Angelicus Magister.

Qui tamen sic concludit: *Sed hoc ipsum, quòd homo talis conditionis est, ut ei subveniatur, vel ad vitandum peccatum, vel ad profectum virtutis per hujusmodi incommoda, sive defectus, ad infirmitatem humanæ naturæ pertinet, quæ ex peccato primi Parentis derivatur. Sicut, quòd corpus hominis sit sic dispositum, quòd ad eum sanandum indigeat sectione, ad ejus infirmitatem pertinet. Et ideò omnes isti defectus respondent peccato originali, ut pœna concomitans.* Ita quoque loquitur 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad.* 4.

XIX. Obstare potest tertiò. Quod est commune homini cum aliis animalibus, est natura, non pœna: sed mors, aliique defectus communes sunt homini cum aliis animalibus, quæ culpæ capacia non sunt, & proindè nec pœnæ; ergo &c.

XX. Respondeo, dist. ma. si sit commune tàm ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, co. ma. si solùm sit commune ex parte materiæ, nego ma. Anima autem brutorum mortalis est, sed anima hominis immortalis est. Ità D. Tho. 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad* 2. Animæ autem immortali conveniens esset corpus incorruptibile, quod adhuc haberet, nisi suâ culpâ illud perdidisset. Addo ex eodem S. Tho. *q.* 5. *de Malo a.* 5. *ad* 2. quòd aliis animalibus non fuit collatum auxilium ea præservans à morte, quod per culpam ante perdiderint, unde mors in eis est natura, non pœna, bene tamen in homine. Quemadmodum *in eo, qui cespitat propter cæcitatem, in qua natus est, hujusmodi cespitatio non habet rationem pœnæ quantùm ad justitiam humanam, sed naturalis defectus; in eo autem, qui cæcatus est propter crimen, habet rationem pœnæ.*

XXI. Obstare potest quartò. Pœna non potest esse meritoria, quia meritum continetur sub bono, pœna autem sub malo: sed mors esse potest meritoria, ut in morte Martyrum constat; ergo &c.

Confirmatur primò. Mors non est à Deo: nam Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit.* Malum autem pœnæ à Deo est; ergo &c.

Confirm. secundò. Pœna debet esse afflictiva: at mors afflictiva esse non potest. Quia quando mors est, eam homo non sentit: quando autem mors nondum est, sentiri non potest; ergo &c.

XXII. Respondeo ex D. August *l.* 13. *de Civit. Dei c.* 5. relato à D. Th. 2. 2. *q.* 164. *a.* 1. *ad* 6. Quòd, *quemadmodum injusti malè utuntur non tantùm malis, sed etiam bonis; ita justi benè utuntur non tantùm bonis, sed etiam malis. Hinc fit, ut & mali malè lege utantur, quamvis sit lex bonum; & boni benè moriantur, quamvis sit mors malum.* Inquantùm igitur Martyres, & Sancti morte benè utuntur, fit eis mors meritoria.

XXIII. Ad primam confirmat. dico cum D. Thoma laudato *ad* 5. quòd mors, quatenus est malum naturæ humanæ, est defectus quidam incidens ex culpa hominis; & sic non est à Deo, nec Deus mortem hoc modo fecit, sed culpa. Quatenus verò mors est pœna, sic induit quandam rationem boni, & est à Deo. Unde Augustinus dicit l. 1. Retract. c. 21. *Scriptum est* Deus mortem non fecit. *Sed illud non minùs verum est* (Ecclesiast. 11. v. 14.) Vita, & mors à Domino Deo est. *Vita scilicet à donante, mors à vindicante.* Quod repetit cap. 26.

XXIV. Ad secundam confirmationem dico cum eodem Sancto Thoma citato *ad* 7. quòd si mors sumatur in facto esse, ut est privatio vitæ, non

 est

est pœna sensus, sed damni. Si verò sumatur in fieri, pro alteratione disponente ad mortem, ut dicitur aliquis mori, dùm moveiur ad mortem; sic est pœna sensus, & afflictiva.

DUBIUM III.

De iis, quæ primis Parentibus contigerunt post Divinam in eos animadversionem.

§. I.

Ejectio Adami, & Hevæ è Paradiso.

I. POEnas, quibus, ut hactenus commemoravimus, primi Parentes post peccatum mulctati à Deo fuere, alia demùm subsecuta est; ejectio nempè utriusque è Paraso terrestri, eis in perpetuum reditu interdicto. Refert enim Moyses Gen. 3. à v. 22. *Et ait* (Deus) *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumtus est. Ejecitque Adam; & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.*

II. Pœna hæc in hoc sita fuit (ait D. Th. 2. 2. q. 164. a. 2.) *quòd subtractum fuit eis id, quod integritatis statui competebat, scilicet locus terrestris Paradisi ..... Et quia ad illum statum primæ innocentiæ per seipsum redire non poterat, convenienter apposita sunt impedimenta, ne rediret ad ea, quæ primo statui competebant, scilicet à cibo, ne sumeret de ligno vitæ, & à loco.* Collocavit enim Deus ante Paradisum Cherubim, & flammeum gladium.

III. Neque dicas. Si homo statim post peccatum necessitati mortis fuit addictus, non poterat beneficio ligni vitæ ad immortalitatem reparari; ergo frustra esus ligni vitæ ei interdicitur: *Ne fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum* Gen. 3. v. 22.

IV. Respondet enim D. Tho. allegato loco ad 6. *quòd homo, si post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset* (defecerat enim animæ vis præservandi corpus à morte, deficiente originali justitiâ) *sed beneficio illius sibi potuisset vitam magis prolungare. Unde quòd dicitur*, & vivat in æternum, *sumitur ibi æternum pro diuturno. Hoc autem non expediebat homini, ut in miseria hujus vitæ diutiùs permaneret.* Ex quo colligitur, interdictum ab esu ligni vitæ fuisse quidem pœnam, sed fuisse quoque misericordiam; ne scilicet perennando vitam, perennaret homo etiam miserias. Unde D. Tho. in 2. dist. 29. q. 1. a. 5. ad 4. *Verba illa* (inquit) *Domini sunt magis accipienda per modum compassionis, quàm insultationis.*

V. Convenienter autem post peccatum ejecti fuerunt primi Parentes è Paradiso, docet D. Thom. in 2 *dist. 29. q. 1. a. 5.* Sicut enim ad beatitudinem consummatam duo pertinent: unum de essentia, nempe visio clara Dei, gaudium &c. alterum de congruitate, nempe locus excellentissimus, qui est Cœlum Empyreum: ita ad statum innocentiæ, in quo homo quâdam inchoatâ beatitudine fruebatur, ut ait August. *lib. 11. de Civit. Dei cap. 12.* unum pertinebat quasi de essentia, ut immortalitas, subjectio animæ ad Deum, & virium inferiorum ad rationem: alterum quasi congruenter, & hoc erat locus. Immortali enim vitæ, & ab omni inquietudine segregatæ congruebat locus temperatissimus, ac delicijs plenus, qualis erat Paradisus terrestris, quem hortum voluptatis Scriptura appellat. Quemadmodum ergo post peccatum ab illo statu innocentiæ, & donis illi essentialibus dejectus est homo: ita etiam & locum amittere debebat, qui illi excellentiæ congruebat, & aliò exul emitti.

§. II.

§. II.

Mora Adami, & Hevæ in Paradiso terrestri.

VI. De spatio temporis, quo Adam, & Heva in delicijs Paradisi morati sunt, seu quo in statu innocentiæ permanserunt, non modica concertatio est inter Doctores. Cum enim Deus nihil de hoc in sanctis Scripturis revelatum reliquerit, licuit cuique secundùm varias conjecturas diversimodè opinari.

VII. Hoc quidem judico certum, eâdem die, quâ peccarunt, ejectos fuisse è Paradiso: nam hoc ex Moysis narratione colligitur. Refert enim, statim post peccatum apertos fuisse oculos amborum, & cùm cognovissent se esse nudos, fecisse sibi perizomata, de nuditate suâ erubescentes; & auditâ Dei voce, pudore simul, & timore perculsos, sese abscondere tentasse. Sed jussu Dei coram eo se sistere coactos, ab eo increpitos, ac pœnis mulctatos, è Paradiso eliminatos fuisse: quæ omnia tanquàm successivè, nullâ interpositâ morâ, evenisse narrantur. Eodem igitur die, quo peccarunt, die in vesperam inclinante, ejecti fuere: locus enim ille reorum conveniens habitaculum non erat, ut *§. præced.* ostendimus. Addi potest, quòd si longiori tempore mansissent, cùm jam exarsissent libidine, ac mutuò concupiscentiæ motus experti essent, periculum erat, ne invicem commiscerentur; cùm tamen S. Augustinus, aliique Patres communiter censeant, virgines illos è Paradiso egressos fuisse; nec nisi post ejectionem referat Moyses Gen. 4. v. 1. *Adam verò cognovit uxorem suam Hevam*. Hinc improbabile videtur, quod dicunt aliqui, eos fuisse ejectos die immediatè sequenti eorum lapsum, nimirùm die septimo: nam die septimo dicit Scriptura, Deum nihil operatum de novo fuisse, sed requievisse ab omni opere. Verius ergo est, sub finem illiusmet diei, quo peccaverant, hoc est, Sole in oceasum inclinante, exterminatos fuisse è Paradiso: etenim refert Moyses, Deum apparuisse, Adami vocasse, eumque increpasse post meridiem. Cùmque statim subjiciat pœnas, quibus castigati ambo fuerunt, & postremò ejectionem, consequitur, hanc circa vesperam contigisse.

VIII. Dubitatio ergo restringitur ad tempus, quo Protoparentes in Paradiso innocentes perstiterunt. Minùs probabiliter sentiunt, qui longiorem moram eos ibi traxisse autumant; quorum aliqui usque ad quadraginta dies eam protrahunt, & propterea totidem diebus Christum jejunasse in deserto. Ita Cæsarius. Alji apud ipsum, & Bar-Cepham, eos tot annis in Paradisi delicjis fuisse censuerunt, quot Dominus noster Jesus Christus in ærumnis mundi versatus est. Probabiliùs loquuntur, qui breviorem censent eos traxisse moram. Horum aliqui eam duorum fuisse dierum putant. Ita Abulensis. Alji octo dierum, ut Pererius, Cornelius à Lapide, Torniellus, Salianus, Spondanus, & alji. Alji verò unius tantùm diei. Ita non pauci. Has ergo duas posteriores opiniones tanquàm problemmata, cùm nihil certi statui possit, Lectori nostro proponemus.

IX. Contensonius noster, qui uno tantùm die Protoparentes in innocentia, & in Paradiso commoratos fuisse, inter alios existimat, sic discurrit. *T. 2. l. 4. dissert. 5. c. 2. speculat. 1. Primi hominis descriptio*. Sexta primæ hebdomadæ die formatis in instanti, vel brevissimo tempore animantibus, horâ circiter sextâ, seu duodecimâ Italicâ, productus est Adam: & paulò post in Paradisum translatus, eique permisso omnium fructuum esu, ligni scientiæ boni, & mali comestionem circa septimam, italicè tertiam decimam, prohibuit. A' septima ad meridiem adducta sunt ad Adam omnia animantia, idque ministerio Angelorum,

rum, qui rem citò absolverunt, singulisque nomina imposita. A meridie usque ad horam primam, vel secundam, & Italicam ferè vigesimam, immissus est sopor in Adam; & extractâ ex eo costâ formatur Heva. Excitatusque à somno eam in conjugem accepit, & præceptum à Deo impositum intimavit. A secunda ad quartam, seu vigesimam secundam Italicam, Heva per Paradisum ambulans, fructum curiosa vidit, serpentem tentantem audivit, decepta comedit, & maritum ad comedendum induxit. A quarta hora ad sextam venit Deus ad auram post meridiem, idest post transactum fervorem caloris, utrumque Parentem corripuit, punivit, ejecit.

X. Alii verò, inter quos Pererius *q. 2. in 3. caput Genes.* non judicant consentaneum, omnia ea, quæ relata sunt, intra unius diei spatium peracta fuisse. Vix enim percipere potest animus, tantam rerum molem, nimirùm animalium productionem, formationem Adæ extra Paradisum, ejus in Pardisum translationem, præcepti impositionem, omnium animalium ad ipsum accessum, nominis impositionem singulis: deinde Adami somnum, cum muliere ex eo dormiente formatâ colloquium, & conversationem, sermonem insuper serpentis cum Heva (quem multò longiorem, quàm Moyses describat, credibile est fuisse) Hevæ deceptæ accessum ad arborem, ejus pulchritudinis considerationem, ex fructu comestionem, excursum ad virum, viri suasionem, ut & ipse comederet, foliorum contexturam incompertæ nuditatis tegumentum, utriusque, auditâ Dei voce, fugam in abditiorem Paradisi locum, utriusque ex eo loco Dei imperio egressum, utrumque à Deo separatum, interrogatum, utrumque punitum, utrumque è Paradiso tandem ejectum: omniaque alia, indicare plusquàm unius diei spatium ad ea perficienda necessarium fuisse, nisi ad omnipotentiæ virtutem fiat recursus, à qua, cùm nullum adsit fundamentum, abstinendum est.

XI. Huic existimationi pondus addere conantur auctoritate Augustini *l. 2. de Peccat. merit. c. 21.* ubi ait, Adamum, & Hevam de cæteris arboribus Paradisi, & etiam de ligno vitæ alimenta sumsisse, quod uno die, vel paucis diei unius horis contigisse, incredibile est: unde Heva serpenti respondit Gen. 3. v. 2. *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur.* Et huic consonare videtur, quod Sanctus Gregorius scribit l. 4. Dialog. c. 1. *In Paradiso quippe assueverat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditiâ, & celsitudine visionis interesse.* Quòd si Adam *assueverat &c.* ergo plus quàm uno die, imò paucis horis in Paradiso fuit.

Quapropter se ad veritatem proximiùs accedere arbitrantur, si dicant, Adamum per unam dierum octavam in Paradiso mansisse, felicissimâ tàm animo, quàm corpore absque ulla perturbatione vitâ fruendo, in contemplatione cœlestium, ac terrenorum, & recto usu ciborum corporalium. Octavâ autem die recurrente, nempe feriâ sextâ secundæ hebdomadæ, accessisse ad mulierem serpentem, eam tentatione vicisse, mulierem Adamum ad lapsum induxisse, ac utrumque eâdem die inclinante, ejectum è Paradiso fuisse. Et hâc eâdem die (posito, quòd Mundus fuerit in uno conditus) Christum in Cruce mortuum, ac Latronem, nosque omnes Paradiso restituisse. Hæc probabiliter.

XII. Cæterùm, si quis velit unâ tantum die Protoparentes in Paradiso substitisse, & non unâ integrâ hebdomadâ, omnibus præfatis conjecturis respondere potest primò: non esse incredibile omnia prænarrata contigisse unâ die. Si enim, ut fatentur alterius opinionis Patroni, à meridie ad vesperam sextæ diei contingere potuerunt tentatio, & colloquium serpentis cum muliere, lapsus mulieris, ejusdem

acces-

accessus ad Adam, Adæ lapsus ad ejus instigationem, utriusque erubescentia post lapsum, ob quam consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, fuga à Deo vocante, Dei increpatio, singulorum punitio, & tandem ejectio; quæ omnia humano modo, & consequenter morâ temporis facta leguntur: cur ab initio ejusdem diei usque ad meridiem contingere non potuit productio animalium, formatio Adæ, adductio animalium ad ipsum, sopor, & formatio mulieris ex eodem, quæ cum sint opera Dei ferè omnia, si non momento, minori tamen spatio temporis perfici poterant?

XIII. Secundò. Si ipsis incredibile videtur, Adamum, & Hevam diuturno tempore in Paradiso stetisse, puta per dies quadraginta, quia credibile non est, Dæmonem, quem humanæ felicitatis invidia urebat, diù se tenere potuisse, quin hominem fraude, ac dolo circumvenire, ac ex ea dejicere conaretur; cur credibile erit per septem dies sese continuisse, & solùm octavo ipsum aggressum fuisse? anne credibilius est, ipsum id tentasse statim?

XIV. Tertiò. Nec verba mulieris dicentis: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*, evincunt oppositum. Nam ibi ly *vescimur* idem reddit, ac *vesci possumus*. Deinde textus Hebraicus, quem sequuntur lxx. Interpretes, Chaldæus, & Syrus legit *edemus*. Accedit, quòd probabiliter post meridiem Adam, & Heva comederunt de variis fructibus, & etiam de ligno vitæ: unde dicere potuit *vescimur*, quia ferè è prandio veniebat. Unde magis erat tentationi pervia, & ex hoc, quòd de aliis fructibus comederat, uno excepto, occasionem eam tentandi sumere potuit callidus insidiator.

Solùm obstare posset, quod de primo sexto die dicitur: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona* (Gen. 1. v. 31.) Quod non esset, si illo die tam grande malum fuisset factum. Sed dico, verum esse, quòd ea, quæ fecerat Deus, erant valdè bona: at peccatum illud fecit homo, non Deus. Hæc satis. Utramque opinionem exposui, quam voluerit Lector amplectatur.

§. III.

Regio, quam Adam exul incoluit.

XV. Hic videtur certum, Adam è Paradiso exulem, regionem non procùl à Paradiso existentem incoluisse. Huic pondus maximum dant lxx. Interpretes, qui locum hunc Gen. 3. v. 23. *Ejecitque Adam*, ita transtulerunt: *Et habitare fecit eum ante Paradisum, seu è regione Paradisi voluptatis*. Quod singulari providentiæ nutu factum, ait Chrysostomus Homil. 18. in Genes. *Ut jugem dolorem haberet, quotidie cogitans, unde exciderat, & in quem statum se conjecerat*. Et paulò infra: *Quòd propè, & è regione Paradisi eum, qui illinc exciderat, habitare jussit, maxima providentia, & cura signum fuit; ut spectando memor esset, & inde lucrum faceret &c.* Idem asserit Moses Bar-cepha *lib. de Paradiso par. 2. c. 14.* referens S. Ephrem Syrum in comment. super Genes. (quæ tamen non habemus) *Assignavit ipsi locum non procul ab eo* (idest Paradiso) .... *habitationem ipsi dederat in Paradiso, sed prævaricatus est. Rursùs extrusit è Paradiso, sed in propinquo collocavit*.

XVI. Quapropter si certum esset, in qua regione fuerit Paradisus, facilè esset etiam statuere, quænam fuerit regio Paradiso finitima, in qua exul habitaverit Adam. Sed quia, ut superiùs ostendimus *Quæst. 2. de Paradiso, Dub. 2. §. 3.* de regione, in qua fuerit Paradisus, nihil certi definiri potest; ideo nec quidquam certi afferi de regione Paradiso finitimâ, quæ sedes fuerit Adami exulis. Quia tamen opinio Recentioribus plausibilior Paradisum collocat non procul à Palæstina; idque corroborare intendit, quia

quia Adamus in Palæstina degerit, & in Judæa diem clauserit, quorum fundamenta ex parte retulimus *loco citato num.* 14. Propterea

XVII. Dici potest, non esse inverisimile, Adamum è Paradiso ejectum eam regionem incoluisse, quæ postea Palæstina, seu Judæa dicta est. Id conjicitur ex traditione non solùm Judæorum, sed veterum quoque Ecclesiæ Patrum, quorum aliqua testimonia citato *num.* 14. supra attulimus. Quibus nunc addo sequentem discursum. In ea regione verosimile est, Adam vitam protraxisse, in qua vitam finivit, & sepulchrum invenit: sed creditur mortuus, & sepultus est in regione, quæ Palæstina, seu Judæa postea dicta fuit, nempe sive in Hebron, ut volunt aliqui, sive in monte Golgota, seu Calvariæ, ut plures sentiunt; ergo &c. Major propositio, etsi non certa, cùm compertum non sit, Adamum toto vitæ suæ tempore in ea regione, quam primùm incoluit, permansisse; imò multiplicatis, & sparsis per Orbem terrarum nepotibus suis, ad alias regiones, & ipsum se transtulisse, & fortè in una ex istis diem extremum clausisse: verosimile tamen est, ordinarium cum suis domesticis domicilium retinuisse in ea regione, in quam primò à Deo dimissus fuerat, ut è regione Paradisi positus pœnitentiam ageret.

Minor verò pro prima parte prob. Adam enim sepultum fuisse in Hebron affirmat Rupertus *lib.* 3. *in Gen. c.* 31. dicens de Adamo: *Ubi autem, vel in qua parte terrarum hic infelix operarius habitaverit, non legimus: nisi quòd eum sepultum esse in Hebron civitate* 14. *millibus ab Hierosolymis distante, sacra Scriptura testatur. Sic enim in libro Josuè* (c. 14 v. 15.) *scriptum est*: Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe: Adam autem maximus ibi inter Enacim situs est &c. *Porrò Cariath Arbe interpretatur Civitas quatuor, sic dicta, pro eo, quòd tres Patriarcha, Abraham, Isac, & Jacob, & ante hos Adam maximus ibi siti sint*. Hæc Rupertus. Cui novissimè subscribit Christianus Adricomius *Theatr. Terræ Sanctæ* verbo *Hebron*.

XVIII. Attamen hinc Adam sepultum fuisse in Hebron, non colligi plerique autumant. Nam per ly *Adam maximus* Interpretes non intelligunt primum Parentem, sed hominem (Adam enim est aliquando nomen speciei significans hominem absolutè, ut Gen. 5. v. 2. *vocavit nomen eorum Adam*) & sit sensus: Arbe (ex quo Civitas dicta fuit *Cariath Arbe*) homo maximus, vel potentiâ, vel staturâ ibi situs, idest ibi sepultus est. Neque de primo homine dici potest *Adam maximus*; nisi admittamus quorumdam fabulam asserentium; Adamum fuisse staturâ gigantem. Pro quo præterire nolo Rabbinorum commentum lib. *Sanedrin*, & *Bartolovi t.* 1. *p.* 65. 66. dicunt enim, primum hominem mirabili adeò magnitudine præditum, ut ambo mundi confinia contingeret. Deo tamen post peccatum manum super ipsum comprimente ad centum ulnarum mensuram redactum. Apud aliquos nongentorum cubitorum altitudinem obtinebat, dicuntque, perterritis Angelis de tanta altitudine, inter hos fines restrictum fuisse. Philo *de mundi opificio* Adamum omnium gigantum maximum fuisse autumat fretus præfatis verbis *Adam maximus*. His accedit, quòd in Versione lxx. Interpretum ly *Adam maximus*, & ly *situs est* desiderantur. Huic tamen interpretationi favet S. Hieronymus in *c.* 17. *Matth.* ubi repudiatâ opinione volentium Adam in Calvariæ loco fuisse sepultum, & ideò Christum fuisse ibi crucifixum, concludit: *ex quo apparet, Calvariam non sepulchrum primi hominis; sed locum significare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Adam verò sepultum juxta Hebron, & Arbe, in Jesu filii Nave volumine legimus*.

XIX. Minorem verò quoad secundam partem tenuerunt plerique Veterum Ter-

Tertullianus *lib. 2. carminum contra Marcionem cap. 4.* ubi de Golgotha loquens ait:

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pro sanguine terra madescit;
Pulvis Adæ, ut possit veteris cum Sanguine Christi
Commixtus, stillantis aqua virtute lavari.

Sanctus Cyprianus *Serm. de Resurrect. Christi* (vel quisquis alius Cypriano coævus) *Nos* (inquit) *ad Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adam calvaria, qui sub loco, quo Crux Domini fixa est, humatus creditur ab Antiquis &c.* Origenes tract. 35. in Matth. *Venit* (inquit) *ad nos traditio quadam, quòd corpus Adæ primi hominis sepultum est, ubi crucifixus est Christus.* Idem sentiunt Athanasius *de Pass. Domini*. Epiphanius *Hæres. 46. contra Tatianum.* Chrysostomus *Homil. 84. in Joann.* Ambrosius *in Lucam c. 23.* Theophilactus, & Euthymius *in c. 27. Matthæi*.

Afferri solet S. Augustinus *Serm. 71. de tempore*, ubi idem asserit: sed quia sermo ille à PP. Maurinis spurius, vel saltem dubius existimatur, abstineo. Afferri quoque solet S. Hieronymus, qui estò, ut nuper vidimus, Adam sentiat sepultum in Hebron, non in Calvaria: epistola tamen sub nomine Paulæ, & Eustochis ad Marcellam olim 17. modò 44. oppositum scribit: sed quia incertum ex stilo apparet, an S. Hieronymus sub nomine prædictarum mulierum, an verò ipse, vel alius earum nomine eam scripserit, ideò ommitto.

Hæc tamen pro mei Candidati eruditione dicta sint. Cæterùm sive in Hebron, sive in Calvariæ loco sepultus fuerit Adam, semper habetur, eum sepultum fuisse in regione Palæstinæ, seu Judeæ; & proinde verisimile etiam esse, eum ibi quoque dum viveret, habitasse.

XX. Dictis tamen obstare potest, quòd, etsi Adæ sepulchrum inventum fuerit, sive in Hebron, sive in Calvariæ loco, non probatur tamen, Adam primò ibi fuisse sepultum; ac proinde nec ibi mortuum, neque in ea regione habitasse. Constat enim, non solùm omnia cadaverum ossa dissipata, sed etiam sepulchra ipsorum, omniaque ædificia eversa fuisse, & penitus vastata generalibus diluvii inundationibus, adeò ut omnibus huc illuc translatis, nihil priori loco constitisse meritò credi possit. Quòd ergo post diluvium reperta fuerint Adami ossa, & sepulchrum in Palæstina, argumento non est, eum primò fuisse ibi sepultum.

XXI. Responderi potest ex iis, quæ apud Mosem Bar-cepham *l. de Paradiso c. 14.* (ex Jacobo Orrohaita Edesseno inter Syros scriptore valde nobili) leguntur: nempè Noemum in terra Jebus morantem, ante diluvium ossa Adami è tumulo extracta religiosè in Arcam ad se recepisse; & post siccatam terram, diviso inter tres filios suos Orbe, ac Semo, quem cæteris anteferebat, regione, quæ Judæa postea dicta fuit, ad habitandum datâ, eidem Adami ossa tradidisse, vel saltem ejus calvariam; ut ea in antiquo sepulchro, cujus saltem reliquiæ extare poterant, collocaret. Quod factum fuisse, non solùm confirmat Sanctus Epiphanius in *Anchorato* versùs finem, sed etiam quotquot de Adami sepulchro scripsere; qui concordes asserunt, ipsum in Judæa fuisse tumulatum.

XXII. Verùm quia hæc Syrorum traditio non tantæ auctoritatis est, ut indubiam faciat fidem, cum in Scriptura de hoc altum silentium sit; & insuper eâ admissâ, non constet Noe filios Adami ossa reposuisse in eodem loco, ac regione, ubi primò condita fuerant; concluditur, nihil certi statui posse de regione, quam Adam post exilium è Paradiso incoluerit.

XXIII. Aliud momentum afferri potest, observando Gen. 3. v. 23. dici:

& emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumtus est. Quæ verba sensum facere videntur, quòd Adam, qui à terra, de qua sumtus fuerat, translatus fuerat in Paradisum, ut illum sine labore, & molestia operaretur; in pœnam ejectus fuerit in terram, de qua sumtus erat, ut illam in sudore, & labore operaretur: igitur videtur Adam post exilium incoluisse regionem illam, de cujus terra fuerat formatus: hæc autem fuit, vel ager Damascenus juxta Hebron, vel aliqua alia pars Israeliticæ terræ finitima. Adam autem formatum fuisse ex terra agri Damasceni pro ea parte potiùs, quæ respicit ad Hebron, quàm pro ea, quæ ad Damascum accedit, probabiliùs aliqui censent; quia & rubri coloris est, & dumetis, ac spinis consita, ubi illa fertilis est, & colore nigra: certum est autem Adam formatum ex terra rubra, quod nomen ipsum significat, & damnatum fuisse ad operandam terram spinas, & tribulos germinantem. Ut ut sit, colligitur, Adamum incoluisse terram illam, quæ inter Damascum, & Hebron jacet; in eaque creditur, Abel sacrificium obtulisse, ibique a Cain occisum, & sepultum. Sed de hoc satis, superque dictum est.

DUBIUM IV.

An Adam, & Heva salutem consecuti sint?

§. I.

Tatiani error, & Encratitarum.

I. Tatianus Assyrius vir in Philosophicis disciplinis, & eloquentiâ clarus, lectione Sacrorum librorum (ut ipse narrat in Oratione contra Græcos) ad fidem conversus, Justini Martyris discipulus factus; quamdiu ab ejus latere non discessit, celebris in Ecclesia fuit, floruitque secundo seculo Imperatoribus M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Inter ejus multa volumina unicus extat liber ad calcem Operum S. Justini positus, cui titulus *Oratio ad Græcos*. Verùm S. Justino Magistro suo per martyrium sublato, scientiâ elatus, & in plures errores lapsus, sectæ Encratitarum nomen dedit anno 178. circiter. Hujus discipulus fuit Severus quidam, à quo Severiani hæretici nuncupati sunt.

Hi ergo omnes Tatiani, Eneratitæ, seu *Continentes*, & Severiani inter alios errores, quos omnes modò recensere non vacat, hunc docebant, nimirùm, Adam, & Hevam esse damnatione perpetuâ in infernum detrusos propter eorum primum inobedientiæ peccatum.

§. II.

Salus Adami statuitur ex Scriptura.

II. Dico. Adam, & Heva egerunt pœnitentiam de peccato suo, & à Deo veniam consecuti, salutem quoque æternam adepti sunt per Christum. Prob. primo celebri Testimonio Sap. 10. v. 1. & 2. *Hæc* (idest Sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo Patre Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Super quæ S. August. *Epist. 99. nunc 164. ad Evodium cap. 3.* ait: *Et de illo quidem primo homine patre, quòd cum ibidem solverit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit: etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est:* Hæc illum, qui primus factus est, Patrem Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: *magis pro hâc sententia, quàm pro ullo alio intellectu facere videatur.*

III.

III. Hanc veritatem unus, quem viderim, in dubium revocare videtur Rupertus *l.* 3. *in Genes. c.* 31. nam de Adamo loquens: *De quo* (inquit) *utrum aliquando per Christum misericordiam consecutus sit . . . hodieque nonnulli dissertant; pro eo, quia videlicet nusquam canonica Scriptura testatur, illum egisse pœnitentiam. In eo dumtaxat, qui inscribitur liber Sapientia, de illo sic scriptum est*: Hæc (*subauditur Sapientia*) illum, qui primus formatus est à Deo pater Orbis terrarum &c. . . . *Verùm hac Scriptura neque de Canone est, neque de canonica Scriptura sumta est sententia hac.* Et post multa concludit: *Itaque quia de illo vetere Adam nihil usquam boni operis invenitur, & novus Adam illi est oppositus: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur; salvatio ejus & à multis liberè negatur, & à nullo satis firmiter defenditur.* Quibus Rupertus auctoritatem libri Sapientiæ parvi facere videtur, & Adami salutem dubiam relinquere.

IV. At singularis in hoc est Rupertus; cùm nedùm S. Augustinus laudatus, sed cæteri SS. Patres antiquiores pro æterna Adami salute contra Tatianum pugnaverint, ut infra referemus. Deceptus ergo credi potest Rupertus, cùm è Canone Sacrarum Scripturarum liberè expunxerit Librum Sapientiæ, quem (etsi nondum tota Ecclesia Canonicum suo tempore declarasset) suo Canoni inseruerat anno 397. Concil. Carthag. 3. c. 47. quòd & Innocentius I. Epist. ad Exuperium Tholosanum, & Gelasius I. in Synodo Romanâ secuti sunt, ac subsequentes tùm Pontifices, tùm Synodi præstitere; donec in Tridentina, contra Protestantes modernos hæreticos, generali Scripturarum Canoni pro tota Ecclesia insertus est. Advertendum etiam est, quòd Veteres, qui Scripturarum divinarum Canoni illum non inserebant, eum tamen tanquam librum Ecclesiasticum agnoscebant, & ex eo testimonia desumebant, ut alibi probavimus; &, si Deus dederit, publico exponemus. Quare mirandum est, quòd Rupertus citatus ejus auctoritatem elevare conetur, & dicat, quòd *majore libertate parvi penditur, quàm suscipitur.*

V. Attamen crediderim, Rupertum in aliorum potiùs sententiâ, quàm suâ, & referendo potiùs, quàm asserendo hæc dixisse. Moneor ad hoc, quia à temeritatis nota non absolvit eos, qui Adamum salvum non esse definirent; & scholam, ex qua primò prodjit hæc opinio, agnoscit esse damnatam, scholam nempe Tatiani, & Encratitarum: unde subdit: *Ne quis tamen temerè definiat, constat & hoc* (*ut Ecclesiastica refert historia*) *ab Encratitis hæreticis inventum esse, quibus Tatianus auctor extitit.* Nec obstat, quòd *in Adam omnes moriuntur.* Hoc enim verum est: sed verum etiam est, quòd in Christo omnes vivificabuntur, & proinde etiam Adam. Ubi enim superabundavit delictum, superabundavit & gratia. Ita S. Irenæus *lib.* 3. *adversus Hæres. c.* 39. modò 33.

§. III.

Salus Adami asseritur ex Patribus.

VI. Primus, qui Tatiani errorem in hac materia impugnandum suscepit, fuit S. Irenæus *lib.* 3. *adversùs Hæres. cap.* 34. & *sequentibus* modò *integro capite* 33. cujus rationes subjiciemus. Prima ergo est. Deus per Christum è captivitate Diaboli eripuit eorum filios; ergo eripuit quoque primos Parentes. Conseq. prob. Si enim filios liberans, Parentem, quem fecerat, ut viveret, in morte relinqueret, quam ei intulerat serpens, victus esset à serpente Deus; & serpens cum primis suis spoliis victor de Deo triumphasset: *Si enim, qui factus fuerat à Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam, læsus serpente, qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti,*

victus esset Deus; *& superasset serpentis nequitia voluntatem Dei*. Et infra: *Nec victus quidem parebit inimicus, ipsis veteribus spoljis manentibus apud eum*. Irrationabile insuper esset redimere filios natos in captivitate, in ea relictis Parentibus, qui primi in captivitatem ducti fuerant. *Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico læsus est, & prior captivitatem passus est, dicere, non eripi ab eo, qui vicerit inimicum, ereptos verò filios ejus, quos in eadem captivitate generavit* ... *Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, & junctos duxerint captivos, & multo tempore in servitutem possederint eos, ita ut generent apud eos; & aliquis dolens pro his, qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet: non tamen justè faciet, si filios quidem eorum, qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum, ipsos verò, qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat inimicis, propter quos & tuitionem fecit, consecutis libertatem filiis ex causa paterna vindicationis &c.* Vel enim infirmus esset liberator, si non posset, vel injustus, si non vellet.

VII. Altera Irenæi ratio est confirmativa præcedentis. Deus maledixit terræ, ac serpenti, non autem Adamo, & Hevæ; ergo signum est, quòd eos finaliter non reprobavit. *Propter hoc* (inquit) *& in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex Veteribus quidam ait: quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine*. Probat insuper consequ. Quia enim ob fratricidium reprobaverat Cain, ei maledixit; ergo si non maledixit Adæ, eum non reprobavit.

VIII. Tertia ratio ex ista consequens est. Ideò Cain maledicto, & reprobationi subjectus fuit, quia se peccasse negavit, nec Deum timuit, nec in fratricidio confusus fuit, aut ullum signum pœnitentiæ dedit. *Propter hoc, & ipse maledictum portavit, quoniam à se peccatum tulit, non reveritus Deum, neque confusus in fratricidio*. Atque Adam, & Heva timore correpti, & confusione sese cooperiunt, & abscondunt; & quamvis excusatione illud conentur tegere, peccatum tamen suum cum rubore confitentur, quæ omnia pœnitentiæ signa sunt. Unde observans Irenæus, eos sibi consuisse perizomata ex foliis potiùs ficus, quàm alterius arboris, quæ minus corpus ejus vexare potuissent, dicit: *Per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam*. Additque: *Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas, pro foljis ficulneis, induisset eos*.

IX. Quarta Irenæi ratio sumitur ex inimicitia posita à Deo inter serpentem, & mulierem, & semen illius, per quod, idest Christum, caput serpentis conterendum erat. Ex quo infert, quòd Adam, qui fuerat victus, victor esset futurus serpentis per Christum. *Victus autem erat Adam, ablatâ ab eo omni vitâ, propter hoc victo rursùs inimico recepit vitam Adam*: novissima *autem* inimica evacuatur mors, *quæ primum possederat hominem*. *Quapropter liberato homine, fiet, quòd* scriptum est: Absorpta est mors in victoria .... *Quod non poterit justè dici, si non ille liberatus fuerit, cui primùm dominata est mors. Illius enim salus evacuatio est mortis: Domino igitur vivificante hominem, idest Adam, evacuata est & mors*.

X. Quinta ejusdem ratio hæc est. Christus venit Pastor quærere ovem, quæ perierat, quam inventam portavit gaudens in humeris suis: atqui si primam, quæ perierat, nempe Adam, non invenisset quæsitam, plenum non foret Pastoris gaudium, & adhuc in radice possideretur à perditione omnis hominis generatio; ergo &c. Concludit ergo: *hi, qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, nisi hoc, quòd semetipsos hæreticos, & apostatas faciunt veri-*

veritatis; & advocatos se serpentis, & mortis ostendunt.

XI. Tertullianus quoque pro Adami salute contra Tatianum pugnat. Primò. *Lib. de Præscriptionibus adversùs Hæreticos c.* 52. Ex eo, quòd Adæ filii salvi facti sint, repuiat inconveniens, non salvum esse Adamum Parentem. Reprehendens enim Tatianum: *Quasi* (inquit) *non, si rami salvi fiunt, & radix salva fit.* Secundò. Lib. 2. adv. Marcionem cap. 25. *Nam* (inquit) *etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino*: Ecce Adam factus est, tanquam unus ex nobis, *de futura scilicet hominis adlectione in divinitatem. Denique quid sequitur? Et nunc ne quando extendat manum, & sumat de ligno vitæ, & vivat in ævum. Interponens enim*, & nunc, *præsentis temporis verbum, temporalem, & ad præsens dilationem vitæ fecisse se ostendit. Ideoque nec maledixit ipsum Adam, nec Hevam, ut restitutionis candidatos, ut confessione relevatos, Caim verò, & maledixit &c.* Quibus acutè observat, Adam, & Hevam fuisse ad tempus vitâ gratiæ privatos cum spe restitutionis; ideoque vocat eos *restitutionis candidatos*. Candidati enim apud Romanos erant *petitores honorum*. Tertiò. Adami pœnitentiam, & divinæ indignationis resciſſionem asserit expressè *lib. de Pœnitentia cap.* 2. his verbis: *Nam Deus... post condemnatum hominem eum sæculi dote, post ejectum Paradiso, mortique subjectum; quum rursùs ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit, rescissâ sententiâ irarum pristinarum ignoscere pactus operi, & imagini suæ.*

XII. Origenes item *Tract.* 35. *in Matth.* approbans traditionem, quòd Christus ibi passus, & crucifixus sit, ubi corpus Adæ primi hominis fuerat sepultum: *Ut caput* (ait) *humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit. Inconveniens enim erat, ut cùm multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, & beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse pater omnium hominum ejusmodi gratiam consequeretur.*

XIII. Quintò pariter Epiphanius *Hæres.* 46. ubi Tatianum perstringens: *Stulta quippe* (inquit) *tota hæc est opinio. Nam si Adamus salutem minimè est adeptus, hoc est, ipsa quodammodo generis massa, nec ulla massæ hujus particula servari poterit. Si enim, qui primus omnium conditus est, & ex integra adhuc terra formatus, salutis minimè est particeps; quæ ab eodem orta sunt, quo tandem pacto salutem obtinebunt?* Et infra: *Jam verò si Adamum Dominus ipse fabricavit, ac primum illud suum opus nihilominus exterminat, dum reliquos interim servat, quanta hæc, Tatiane, stultitia est? Imbecillitatem enim Domino, quantùm in te est, affingis, qui hominem, quem ante omnes affinxerat, ob unicum mandati violati crimen è Paradiso depulsum, nec mediocri animadversione castigatum, servare minimè potuerit, aut, ut potuerit, misericordiam ei nullam adhibuerit.*

XIV. Hæ sunt rationes, seu veriùs congruentiæ, quibus Patres Adami salutem sibi persuadebant contra Tatianum. Quibus addi possunt omnes Patres illi, qui asseruerunt Christum in monte Calvariæ crucifixum, ubi sepultus fuerat Adam; *ut primi Parentis reliquias sanguine suo rigaret, ac tàm ipsum, quàm nos ejus Posteros, ad spem consequendæ salutis erigeret* (verba sunt Sancti Epiphanii laudato loco) Patres, qui hanc traditionem suo suffragio comprobarunt, retulimus *Dub. præced.* §. 3. *num.* 19. Omnibus præfatis accedit S. Gregorius, qui *l.* 7 *Epist. ep.* 34. *ad Eulogium*, ait: *Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam redjit.*

XV. Porrò Adamum, & Hevam in gratiam restitutos fuisse, & salutem æternam consecutos per Christum, præter ea, quæ ex Patribus indicata sunt.

sunt; probatur. Quia ab Adæ lapsu, quo ipse, & totum genus humanum à Regno Cœlorum, & salute æterna exclusum fuerat, nullus potuit Regno, & saluti restitui, nisi per Mediatorem Christum, & fidem in ipsum. Quare Petrus Act. 4. v. 12. *Et non est* (inquit) *in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et hac ratione Apoc. 13. v. 8. Christus dicitur Agnus, *qui occisus est ab origine Mundi*: quia prævisus, & fide conceptus operari cæpit reconciliationem, & salutem à Mundi initio. Hoc indicant verba Sapientiæ c. 9. v. 19. *Nam per Sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio* (c. 10. v. 1. 2.) *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.* Quænam est autem hæc sapientia, nisi Christus, quem Paulus 1. *Cor.* 1. *v.* 24. vocat *Dei virtutem, & Dei Sapientiam?* Hunc primis Parentibus promisit, cùm Gen. 3. v. 15. *inimicitias* (inquit Deus serpenti) *ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa* (vel ipsum, vel ipse) *conteret caput tuum.* Unde Rupertus *l.* 3. *in Gen. c.* 19. ait: *Cùm igitur dicit Deus, ponam* inimicitias inter te, & mulierem, *profectò magnum gratiæ suæ opus promittis . . . Porrò hæ inimicitiæ non per ipsam mulierem, sed per semen illius exercendæ, & usque ad victoriam producendæ sunt. Proinde . . . continuò subjunxit*, & semen tuum, & semen illius. *Quo enim de semine hæc dicuntur, nisi de uno, qui est Christus? Ipse namque solus, ità semen mulieris est, ut non etiam viri semen sit &c.*

XVI. Nec dicas. Gelasius I. anno 494. in Concilio Romano rejecit ut apocryphum librum, qui inscribitur *Pœnitentia Adæ*. Nam Respondeo, Gelasium rejecisse quidem ut apocryphum librum, non autem ut apocrypham pœnitentiam. Nam rejecit quoque in eodem Concilio ut apocryphos libros *De Infantia Salvatoris, de Nativitate Christi*: & tamen quis dicet, eum apocrypham existimasse Christi nativitatem, & infantiam?

DUBIUM V.

Utrum anni, quibus leguntur vixisse Adam, aliique ante diluvium, sint anni communes pares nostris.

§. I.

Ethnicorum opinio.

I. ADami, & Veterum ante Diluvium longævitatem describens Moyses *Genes. cap.* 5. scribit: *Adam* vixisse annis nongentis, & triginta: *Seth* nongentis duodecim annis: *Enos* annis nongentis quinque: *Cainan* nongentis decem: *Malaleel* octingentis nonaginta quinque: *Jared* nongentis sexaginta duobus: *Enoch* trecentis sexaginta quinque annis, post quos à Deo raptus, ampliùs non apparuit: *Mathusala* nongentis sexaginta novem annis: *Lamech* septingentis septuaginta septem: *Noe* nongentis quinquaginta annis.

II. Hoc Ethnicis, aliisque nonnullis incredibile visum est. Quapropter annos multò breviores fuisse, quàm nostros existimarunt, nimirùm, vel menstruos, quales olim Egyptiis in usu fuerunt; aut certè tàm breves, ut centum ex illis decem ex nostris non superarent: ità ut in eorum opinione non plures, quàm dies triginta sex circiter annus complecteretur. In hac sententia fuisse Varronem testis est Lactantius *lib.* 2. *Instit. c.* 13. dicens: *Sic facta hominis vita est temporaria, sed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur; quod divinis Litteris proditum, & per omnium scientiam publicatum, cùm Varro non ignoraret, argumentari nisus est, cur putarentur Antiqui mille annos vixitasse. Ait enim, apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per duodecim*

signa circuitus faciat annum, sed Luna; qua Orbem illum signiferum triginta dierum spatio illustrat.

III. Sanctus quoque Augustinus, eorum, qui suo tempore ita sentiebant, opinionem exponit, ac explodit lib. 15. de Civit. Dei c. 12. *Neque enim* (inquit) *ullo modo audiendi sunt, qui putant, aliter annos illis temporibus computatos, idest, tanta brevitatis, ut unus annus noster decem illos habuisse credatur. Quapropter inquiunt: cùm audierit quisque, vel legerit, nongentos annos quemquam vixisse, debet intelligere nonaginta; decem quippe illi anni unus est noster, & decem nostri centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth; & ipse Seth viginti habebat, & sex menses, quando ex illo natus est Enos, quos appellat Scriptura ducentos, & quinque annos. Quoniam, sicut isti suspicantur, quorum exponimus opinionem, unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant: & easdem partes annos vocabant &c.*

IV. Et hoc se colligere arbitrabantur, prosequitur S. August. quia *per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante Diluvium, nullus ferè in nostris Codicibus invenitur, qui cùm esset centum annorum, vel infra, vel etiam centum viginti, aut non multò ampliùs, genuerit filium; sed qui minimâ ætate genuerunt, centum, & sexaginta, & quod excurrit, fuisse referuntur. Quia nemo, inquiunt, decem annorum homo potest gignere filios, qui numerus centum appellabantur anni ab illis hominibus. Sed in annis sexdecim est matura pubertas, & proli jam idonea procreanda, quos centum, & sexaginta annos illa tempora nuncupabant.*

V. Porrò quomodo credibilem hanc existimationem esse persuadere conarentur, sic S. Augustinus ostendit. *Ut autem aliter annum tunc fuisse computatum non sit incredibile, adjiciunt, quòd apud plerosque Scriptores historiæ reperitur, Ægyptios habuisse annos quatuor mensium, Acarnanas sex mensium, Lavinios tredecim mensium. Plinius secundus cùm commemorasset, relatum fuisse in litteras, quemdam vixisse centum quinquaginta duos annos, & alium decem ampliùs, alios ducentorum annorum habuisse vitam, alios trecentorum, quosdam ad quingentos, alios ad sexcentos, nonnullos ad octingentos etiam pervenisse; hæc omnia propter inscitiam temporum peraccidisse arbitratus est. Alji quippe, inquit, æstate unum determinabant annum, & alterum hyeme; alji quadripartitis temporibus, sicut Arcades, inquit, quorum anni trimestres fuere. Adjecit etiam aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum mensium fuisse supra diximus, Luna fine limitasse annum. Itaque apud eos, inquit, & singula millia annorum vixisse produntur.*

His (concludit S. Doctor) *velut probabilibus argumentis quidam non destruentes fidem sacra hujus historia, sed adstruere nitentes, ne sit incredibile, quòd tam multos annos vixisse referuntur Antiqui, persuaserunt sibi; nec se suadere imprudenter existimant, tàm exiguum spatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem sint unus noster, & decem nostri centum illorum.* De vario modo annos computandi videri possunt Alexander ab Alexandro *Dierum genial. lib. 3. c. 24.* Giraldus *de diebus, annis, & mensibus*, aliique. Nobis ad resolutionem quæstionis veniendum est.

§. II.

Veritas statuitur.

VI. Dico. Anni, quibus vixisse Adam, cæterosque Patriarchas ante diluvium ex Moyse supra retulimus, fuerunt anni pares nostris, duodecim nimirùm mensibus constantes, non menstrui, aut bimestres, aut quadrimestres.

Probo primò non fuisse annos menstruos,

ſtruos, ſive conſtantes ſolis triginta, vel triginta ſex diebus. Si enim hoc eſſet, ſequeretur, Cainan, qui genuit Malaleel anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo, & Malaleel, & Henoch, qui anno ætatis ſexageſimo quinto genuerunt, ille Jared, iſte Mathuſalam, generaſſe, cùm ſolum vixiſſent quinque, vel ſex annis noſtræ computationis: ſed hoc incredibile eſt; ergo &c. Similiter cum *Geneſ.* 11. *v.* 12. genuiſſe legatur Sale anno ætatis trigeſimo quinto; & tùm Sale, tùm Phaleg, & Sarug cum vixiſſent annis triginta, & Nachor cum vixiſſet annis viginti novem; ſi anni paulò plùs fuiſſent, quàm menſes, nempè vel triginta, vel triginta ſex dies quilibet annus, jam ſequeretur, eos generationi aptos fuiſſe, & de facto genuiſſe paulò poſt ſecundum, vel tertium ætatis annum ſecundùm noſtram computationem: ſed hoc quis credere poterit?

VII. Si reſpondeas, ſeptuaginta Interpretes multò plures annos tribuere præfatis viris, quando filios genuerunt; unde non ſequi abſurdum, quod inferimus. Ant. probatur. Ubi enim Vulgata noſtra dicit, Cainan genuiſſe anno ætatis ſeptuageſimo; Verſio lxx. legit anno ætatis centeſimo ſeptuageſimo. Ubi Vulgata legit Malaleel genuiſſe anno ætatis ſexageſimo quinto; Verſio lxx. vertit anno ætatis centeſimo ſexageſimo quinto. Ubi noſtra Vulgata dicit, Enoch anno ætatis ſexageſimo quinto genuiſſe Mathuſalam; Verſio lxx. legit anno ætatis centeſimo ſexageſimo quinto. Hàc autem ætate, etſi anni eorum menſtrui fuiſſent, habiles generationi extitiſſent: centum enim ſexaginta quinque anni eorum reſpondent ſexdecim cum dimidio noſtris.

VIII. Dicam tamen, admiſſo ant. negando conſequ. Fides enim adhibenda potiùs eſt Vulgatæ noſtræ, quàm Verſioni Septuaginta, quæ extat. Tùm quia Vulgata noſtra tanquam authentica omnibus proponitur à Tridentino *ſeſſ.* 4. Tùm quia concordat textui originali Hebraico. Quare illa additio centum annorum, quæ in Verſione lxx. reperitur, mendum eſt. Nam ſi hæc Græcæ Verſionis ſupputatio valeret, jam Matuſala ſupervixiſſet diluvio annis quatuordecim, ut deducit S. Hieron. in *quæſt. ſeu tradit. Hebraicis*, & alii poſt ipſum. Quòd tamen eſſe non poteſt: cùm ex Gen. c. 7. conſtet, omnes homines mortalem vitam agentes diluvio periiſſe, præter Noe, & eos, qui cum ipſo fuerunt in Arca, hoc eſt, præter octo, ut 1. *Petri* 3. *v.* 20. inter quos certè Mathuſala non fuit. Si verò Hebræorum, ac Latinorum Codicum ſupputationem ſequamur, inveniemus, Mathuſala non ſupervixiſſe diluvio, ſed ipſo diluvii anno objiſſe paucis (quidam ſcribunt ſeptem) diebus ante diluvium. Ab initio namque Mundi uſque ad diluvium fluxerunt anni mille ſexcenti quinquaginta ſex: Mathuſala verò natus fuit anno Mundi ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo; cui numero ſi addantur anni nongenti ſexaginta novem, quibus ipſe vixit, reperietur, eum ſolùm vixiſſe ad annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum, qui fuit annus diluvii.

IX. Rem hanc S. Hieronymus laudatus ita exponit. *Famoſa quæſtio, & diſputatione omnium Eccleſiarum ventilata, quòd juxta diligentem ſupputationem, quatuordecim annos poſt diluvium Mathuſala vixiſſe referatur. Etenim cùm eſſet Mathuſala annorum centum ſexaginta ſeptem, genuit Lamech. Rurſùm Lamech cùm eſſet annorum centum octoginta octo genuit Noe, & fiunt uſque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathuſala trecenti quinquaginta quinque. Sexcenteſimo autem anno vitæ Noe diluvium factum eſt, ac per hoc habitâ ſupputatione per partes, nongenteſimo quinquageſimo quinto anno vitæ Mathuſalæ diluvium fuiſſe convincitur. Cùm autem ſupra nongentis ſexaginta novem annis vixiſſe ſit dictus, nulli dubium eſt, quatuordecim eum annos vixiſſe poſt diluvium. Et quomodo verum eſt,* quòd

quòd octo tantùm animæ in Arca salvæ factæ sunt?

Restat ergo, ut quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero. Siquidem & in Hebræis, & in Samaritanorum libris, ita scriptum reperi: Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala, postquàm genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusalæ anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe. A die vero nativitatis Mathusalæ usque ad diem nativitatis Noe, fuunt anni trecenti sexaginta novem. His adde sexeentos Noe, quia in sexcentesimo vitæ ejus anno factum est diluvium: atque ità fit, ut nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno, quo cœpit esse diluvium.

X. Sancto Hieronymo concinit Sanctus Augustinus, dum *lib. 15. de Civit. Dei cap. 11.* propositâ hac quæstione, & relatâ opinione aliquorum, qui supputationem lxx. Interpretum sustinere volentes, nec valentes negare, eâ positâ, sequi Mathusala quatuordecim annis diluvio supervixisse, ad has angustias redigebantur; ut dicerent, Mathusala (durante diluvio) cum Patre suo Henoch, qui translatus fuerat, aliquantùm fuisse, atque ibi, donec diluvium præteriret, vixisse. Eâ opinione cui voluerit relictâ: *Certum est* (inquit) *non vixisse Mathusalem post diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est, quòd de numero annorum in Hebræis Codicibus invenitur.*

XI. Libro autem 15. *de Civit. Dei c. 13.* quærens, cuinam in dinumeratione annorum standum sit, an textui Hebraico, an Versioni lxx. Præmisso, incredibile esse, Judæorum gentem tam longè, latquè diffusam, in hoc conscribendo mendacium uno consilio conspirare potuisse; ac similiter incredibile esse, septuaginta illos Senes, qui etiam Judæi erant, unum invicem de hac diversitate communicasse consilium, concludit, eam diversitatem in supputatione credibiliùs irrepsisse vitio Scriptoris, qui ex Ptolomæi bibliotheca primus excripsit, unde in alios omnes codices error manaverit. *Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in Codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de centum annis priùs additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ septuaginta Interpretum, sed scriptoris tribuatur errori; qui de bibliotheca supradicti Regis codicem describendum primus accepit.*

XII. Ad hæc parumper divertere placuit, ut Tyronem meum de hac re aliquali notitiâ instructum reddam; & ut de diversitate in annis Patriarcharum ante diluvium inter textum Hebraicum, ac Vulgatam nostram, & inter Versionem lxx. interrogatus respondere possit: non in nostra Vulgata mendum esse, quæ textui Hebraico consonat, sed in Græca potiùs Versione; ac proinde firmum esse argumentum, quo ostendebamus, quòd si anni Patriarcharum non essent pares nostris annis, sed menstrui, itâ ut decem illorum unum solum ex nostris conficerent, sequeretur, quòd in puerili ætate filios generassent.

XIII. Hoc iterum confirmo auctoritate S. Augustini *l. 15. de Civit. Dei c. 12.* dicentis: *Poteramus certè hanc asseverationem* (de annis menstruis) *ex Hebræis Codicibus redarguere, atque convincere; ubi Adam non ducentorum triginta, sed centum triginta annorum fuisse reperitur, quando tertium genuit filium: qui anni, si tredecim nostri sunt, procul dubio primum genuit, quando undecim, vel non non multò ampliùs annorum fuit. Quis potest hac ætate generare usitatâ istâ, nobisque notissimâ lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortasse etiam, quando creatus est, potuit. Non enim eum tàm parvum,*

quàm infantes nostri sunt, factum fuisse credibile est. Sed filius ejus non ducentorum quinque, sicut nos legimus, sed centum quinque fuit, quando genuit Enos; ac per hoc secundùm illos, nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainan ejus filio, qui cùm apud nos centum septuaginta reperiatur, apud Hebræos septuaginta legitur fuisse, quando genuit Malaleel? Quis generat homo septennis: si tunc anni septuaginta nuncupabantur, qui septem fuerunt?

XIV. Probo secundò. Anni, quos intellexit Moyses, erant anni habentes mensem secundum; ergo non erant menstrui. Erant habentes mensem septimum, decimum: unus eorum habebat ante diem decimam septimam septimi mensis centum quinquaginta dies; ergo non erant anni bimestres, aut quadrimestres, quemadmodum dicuntur apud Egyptios in usu fuisse, sed anni pares nostris duodecim constantes mensibus. Ant. quòad singulas partes probatur ex diluvii narratione. Pro prima quidem Genes. 7. v. 11. Aquæ diluvii terram inundavisse dicuntur *anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis.* Pro secunda prob. Gen. 8. v. 3. dicitur, quòd cum aquæ obtinuissent terram centum quinquaginta diebus, *cæperunt minui post centum quinquaginta dies*: statimque sequitur v. 4. *Requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.* Tertia verò pars apparet ex iis, quæ sequuntur v. 5. *At verò aquæ ibant, & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.* Et ut hæc omnia uno, eodemque anno contigisse appareat, cùm dixisset, anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die diluvium cæpisse; annum, quo imminutæ sunt aquæ, vocat sexcentesimum primum v. 13. *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram.* Et v. 14. *Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis, arefacta est terra.* Habemus ergo in uno anno mensem secundum, septimum, decimum & primum, ac secundum anni sequentis. Et ne quis putaret, menses tunc non fuisse sicut nostros, in uno mense nominat decimum septimum, imò & vigesimum septimum diem. Ne quis autem existimaret, solis adhuc decem mensibus constitisse annum, apud Zachariam c. 1. v. 7. inveniet undecimum mensem, duodecimum verò apud Hester c. 3. v. 13. c. 9. v. 1. c. 13. v. 9. & c. 16. v. 20.

XV. His itaque statutis, cùm nequiverit hactenus inveniri origo, ubi anni cœperint numerari per plures menses, quàm fuerint numerati ab initio, nec Moyses hoc indicaverit, imò eodem modo semper locutus sit; dicendum est, annos tempore diluvii non fuisse majores, sed pares annis, quibus ab initio mundi vita Patriarcharum describitur: & ita semper in populo Israelitico continuasse, constantes nimirum duodecim mensibus, menses autem habuisse dies tùm viginti novem, tùm triginta.

XVI. Hoc argumentum urget Sanctus Augustinus *lib. 15. de Civit. Dei cap. 14.* quem præstat audire. *Sexcentesimo (inquit) anno vitæ Noe, scriptum est, factum esse diluvium. Cur ergo ibi legitur*: & aqua diluvii facta est super terram sexcentesimo anno in vita Noe, secundi mensis septimâ, & vicesimâ mensis; *si annus ille minimus, quales decem faciunt unum nostrum, triginta sex dies habebat? Tantillus quippe annus, si antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menses, aut mensis ejus est triduum, ut habeat duodecim menses. Quomodo igitur hic dictum est*, sexcentesimo anno secundi mensis, septima, & vicesima die mensis, *nisi quia tales, quales nunc sunt, etiam tunc erant menses? Nam quo pacto aliter vicesimo & septimo die secundi mensis diceretur, captum esse diluvium? Deinde postea in fine diluvii ità legitur*: Et sedit Arca in mense septimo,

mo, ſeptimâ & viceſimâ die menſis, ſuper montes Ararat. Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem: in undecimo autem menſe prima die menſis, apparuerunt capita montium. *Si igitur tales menſes erant, tales profectò & anni erant, quales nunc habemus. Menſes quippe illi triduani, viginti ſeptem dies habere non poterant. Aut ſi pars triceſima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur; ergo nec toto quatriduo noſtro factum eſt illud tam grande diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus, & noctibus. Quis hanc abſurditatem, & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjecturâ falsâ ità vult adſtruere Scripturarum noſtrarum fidem, ut alibi deſtruat. Prorsùs tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc eſt, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo, nocturnoque determinant: tantus menſis, quantus & nunc eſt, quem Luna cœpta, & finita concludit: tantus annus, quantus & nunc eſt, quem duodecim menſes lunares, additis propter curſum ſolarem quinque diebus, & quadrante conſummant: quanti anni ſexcenteſimi vitæ Noe ſecundus erat menſis, ejuſque menſis viceſimus & ſeptimus dies, quandò cæpit eſſe diluvium; in quo dies quadraginta continuata ingentes pluvia memorantur, qui dies non binas, ac paulò ampliùs horas habebant, ſed vicenas, & quaternas die, noctuque tranſactas. Ac per hoc tàm magnos annos vixerunt illi Antiqui uſque ampliùs, quàm nongentos, quantos poſtea vixit Abraham centum ſeptuaginta quinque ... & quantos etiam nunc vivunt homines ſeptuaginta, vel octoginta, vel non multò ampliùs, de quibus dictum eſt:* Et ampliùs eis labor, & dolor.

XVII. Probo tertiò ex præfatis Auguſtini verbis ſequenti diſcurſu. Anni eorum, qui à Moyſe recenſentur ex Sem propagati poſt diluvium, non ſunt anni vel menſtrui, vel bimeſtres, vel trimeſtres, vel quadrimeſtres, ſed anni duodecim menſium pares noſtris; ergo ſimiliter tales ſunt anni eorum, qui à Moyſe recenſentur propagati ex Adam ante diluvium. Conſequentia videtur legitima; cùm Moyſes eodem modo proſequatur recenſendo annos eorum, qui poſt diluvium, & eorum, qui ante vixerunt, nemo prudens, & ſapiens judicare poterit, eum de annis ejuſdem, & æqualis menſuræ non ſemper fuiſſe locutum. Præterea ſi poſt diluvium anni, qui fuerant ante breviores, cæpiſſent eſſe longiores, hujus variationis originem, vel ſaltem indicium aliquod relinquere debuiſſet Moyſes: malus enim hiſtoricus fuiſſet, ſi hanc æquivocationem à ſua hiſtoria non ſuſtuliſſet. Addo, quòd Jacob qui *Gen.* 47. *v.* 9. ad Regem Pharaonem dixit, ſe quamvis haberet ætatis centum triginta annos, non perveniſſe tamen ad ætatem Patrum ſuorum, falſum dixiſſet, ſi anni ætatis ſuæ eſſent pares noſtris, anni vero Patrum ſuorum fuiſſent menſtrui: etenim integros triginta tres annos ſuperaſſet ipſum Mathuſalem, qui tamen, præ omnibus Patriarchis, longiſſimam vitam traxiſſe legitur.

Antecedens verò probatur. Si anni, quos vixiſſe referuntur progeniti ex Sem poſt diluvium, fuiſſent vel menſtrui, vel triginta ſex dierum, ſequitur, breviſſimam fuiſſe ætatem eorum ſaltem, qui poſt Heber nati ſunt. Etenim Phaleg, qui ducentos triginta novem vixiſſe legitur, non ampliùs, quàm viginti quatuor annos impleviſſet: Reu, qui ducentos triginta novem, Sarug, qui ducentos & triginta, ferè totidem: Nachor, qui centum quadraginta & octo vixit, ſolos quindecim attigiſſet: Thare, qui ducentos & quinque, ſolos viginti, & paulò ampliùs: Abraham tandem, qui centum ſeptuaginta quinque annos traxit, & qui Geneſ. 25. verſ 8. *Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectaque ætatis, & plenus dierum*, ſolos annos ſeptemdecim vitæ conſummaſſet. Addo, quòd cùm, ut ſuperiùs dixi, plures eorum generare

Aa 2 cæpe-

cæperint ætate paulò supra, imò aliquis etiam paulò infra trigesimum; anno ætatis infantilis tertio generare cæpissent. Quo quid absurdius?

Benè igitur ait Rupertus l. 4. in Genes. c. 12. *Audiendi non sunt, qui breves annos, verbi gratiâ menstruos, vel quaternorum mensium in illa ætate computari volunt; quia videlicet contra Legem in Lege Moyses annos non supputavit, sed quales ipse observandos Festis, vel Sacrificiis, cæterisque Sacris Ritibus agit, tales & numeravit, scilicet annos secundum Lunam, communes quidem duodecim mensium, Embolismares verò tredecim mensium.*

§. III.

Antediluvianorum longævitas non incredibilis.

XVIII. Non esse incredibile, primos illos humani generis propagatores vitam adeò longævam protraxisse, ostendit Eusebius *lib. 9. Preparat. Evang. c. 13.* partim quia Deo cariores, partim quia cibis melioribus utebantur, partim quia astrologicis studiis deditis, longior ætas debebatur; ut accuratiorem, ac certiorem per experientiam cognitionem acquirerent. Quod Scriptorum quoque Gentilium, à Josepho laudatorum, testimonio comprobat, dicens: *Praterea quòd hominum, qui principes nati sunt, diuturni avi fuisse, Moses asseverat, ejus quoque rei testes Gentilium Scriptores à Josepho laudantur his verbis:* „ Nemo, inquit, priscorum hominum „ vitam cum nostræ, annorumque no„ strorum brevitate componens, quæ „ de ipsis memorantur, falsa esse putet: „ dùm ex longè brevioribus vitæ no„ stræ spatiis, ne Veteres quidem il„ los tantum vivendo temporum con„ ficere potuisse conjiciet. Nam illi „ sanè partim quòd Deo cariores, ip„ sâque illius manu facti essent, par„ tim quòd cibis vim suam diutiùs, „ integritatemque retinentibus uteren„ tur, vitam in tot annos propagare „ commodè poterant. Adde, verum „ etiam fuisse, ut partim in virtutis „ suæ præmium, partim ad accura„ tiorem, ac certiorem, cùm Astro„ logiæ, tùm Geometriæ, quas ipsi „ artes invenerant, usum, & experien„ tiam, longiorem eis Deus vitam „ indulgeret; quippe qui nisi sexcen„ tos minimùm annos, quot videlicet „ magnus Annus absolvitur, vivendo „ complevissent, certi nihil unquam „ iis de rebus Posteris tradidissent. Cu„ jus equidem rei testes habeo quot„ quot Græcos inter, Barbarosque re„ rum antiquarum monimenta reliquere. Nam & Manethus, qui Ægy„ ptiorum, & Berosus, qui Chaldai„ cam scripsit historiam, & Molus, & „ Hæstiæus, & Hieronymus Ægyptius, „ quique res Phænicum prosequuti „ sunt, uno mihi omnes ore suffra„ gantur. Imo etiam Hesiodus, Hecatæus, Hellanicus, Acusilaus, Epho„ rus item, & Nicolaus, Veteres mil„ le annos vixisse tradunt. = Dicit „ hæc Josephus *lib. 1. Antiquit. c. 4.* „ circa finem.

XIX. Tantam Veterum ante diluvium longævitatem non esse incredibilem probat S. August. *l. 15. de Civit. Dei c. 9.* Et quia Sacra Scriptura narrat, cujus prænunciata, sicut comperimus ex eventu vera esse; ita vera esse credenda sunt, quæ narrat transacta, estò ea apud nos non experiamur. Quemadmodum enim credimus Historicis narrantibus, quæ aliis in locis contingunt, licèt apud nos non contingant; pari ratione credere debemus ea, quæ aliis temporibus evenerunt, estò non eveniant nostris. *Antiquorum* (inquit Augustinus) *magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multò posterioribus seculis produnt. Annorum autem numerositas cujusque hominis, qui temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest. Nec tamen ideò fides sacra huic historia deroganda est, cujus*

tantò

tantò impudentiùs narrata non credimus, quantò impleri certiùs pronunciata conspicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius (l. 7. c. 48.) *esse adhuc gentem, ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse credantur & tempora? An verò est credibile, alicubi esse, quod hìc non est, & incredibile est, aliquando fuisse, quod nunc non est?* Ita de more acutè S. August.

XX. Sed objicies primò. Ut superiùs vidimus, varius fuit apud varias Gentes annum computandi usus, & ritus. Apud aliquas enim annus habebat unum mensem, vel triginta sex dies, vel quatuor menses, ut apud Ægyptios; cur annos Veterum tales fuisse non arbitramur, sed volumus esse pares nostris duodecim mensibus constantes?

XXI. Respondeo, pluribus de caussis accipiendos esse annos pro annis communibus ex duodecim mensibus constantibus. Primò ex qualitate Scriptoris, nempe Moysis, qui cùm esset, non Ægyptius, sed Judæus, numeravit annos secundùm Legem, & suæ gentis ritus, ut dicebamus ex Ruperto: hi autem erant anni lunares duodecim mensium. Secundò propter absurda, quæ ostendimus secutura, si annos menstruos, sumeremus; nempè quòd homines in ætate puerili, imò infantili, genuissent filios, & alia inconvenientia, quæ attulimus. Tertiò, & fortiùs, quia in illis annis, ut in anno, quo contigit diluvium, assignantur mensis secundus, septimus, & decimus; imò in quolibet mense assignatur decima septima, & vigesima septima dies. Quibus apertè constat, fuisse annos, ac menses pares nostris. Videantur dicta superiùs.

XXII. Objicies secundò. Incredibile est, homines non habentes continentiæ propositum, eam in matrimonio cælibes servasse ad illam usque ætatem, quâ Scriptura Sacra refert; illos liberis primò operam dedisse, nimirùm, quòd Seth genuerit Enos primogenitum solùm anno centesimo quinto vitæ suæ; quòd Enos jam nonagenarius, & non priùs genuerit Cainan; & Mathusalem annorum centum octoginta septem genuerit Lamech; & Noe anno ætatis suæ quingentesimo genuerit Sem, Cham, & Japhet. Annos igitur Patriarcharum longè minores nostris credibile est. Ita sibi objicit S. Augustinus *lib. 15. de Civit. Dei c. 15.*

XXIII. Cui objectioni duplici responsione occurrit: *Hæc quæstio* (inquit) *duobus modis solvitur*. Prima est, illos primorum seculorum homines ex proportione longævissimæ ætatis longè seriùs annos pubertatis attigisse. *Aut enim tantò serior fuit proportione pubertas, quantò vita totius major annositas*. Secunda longè probabilior est, Genealogiam, quam ibi texit Moyses, non complecti omnes genitos, nec eos quoque, qui primò geniti sunt, sed eos tantùm, per quos generationum series ad Noe usque perduceretur, & exinde ad Abraham, ex cujus stirpe futurus erat Christus. Unde ex quo Seth solùm anno centesimo quinto vitæ suæ referatur genuisse Enos, non seqitur, Enos fuisse simpliciter primò genitum; ita ut nullum ante genuerit, nec ante generationi operam dederit, sed primum, ex quo genealogia ad Moysis intentum propaganda erat. *Aut* (pergit S. Augustinus) *quòd magis video esse credibile, non hìc primo geniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, à quo rursùs ad Abrabam videmus esse perventum*. Deinde ostendens, quòd estò ex Adam soli Cain, Abel, & Seth geniti referantur; non proinde affirmari potest, etiam ante Cain, & Abel alios non genuisse, sicut neque de Seth alios non genuisse antequàm gigneret Enos; quandoquidem de ipso legitur Gen. 5. v. 7. quòd *genuit filios, & filias*; concludit: *Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nomi-*

nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: imò verò quoniam credibile non est, Patres illos ætate tam longâ, aut impuberes fuisse, aut conjugibus caruisse, vel fœtibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cùm sacra Scriptor historia ad ortum, vitamque Noe, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire; eas utique commemoravit, non quæ prima suis Parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinem venerint.

XXIV. Hoc exponit exemplo S. Matthæi, qui in Genealogia Christi ab Abraham texendâ, non primò genitos, sed eos tantùm, qui ad ordinem susceptæ generationis pertinent, recensuit: *Evangelista* (inquit) *Matthæus generationem Dominicæ carnis per seriem Parentum volens commendare memoriæ, ordiens à Patre Abraham, atque ad David primitùs ut perveniret, intendens*, Abraham, *inquit*, genuit Isaac. *Cur non dixit Ismael, quem primitùs genuit?* Isaac autem, *inquit*, genuit Jacob. *Cur non dixit Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset. Deinde sequitur:* Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. *Nunquid Judas primogenitus fuit?* Judas, *inquit*, genuit Phares, & Zaram. *Nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, sed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque texuit in ordine generationum, per quos ad David, atque inde, quò intenderat, perveniret. Ex quo intelligi potest, Veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos, per quos succedentium ordo generationum ad Noe Patriarcham duceretur, ne sera pubertatis illorum obscura, & non necessaria quæstio nos fatiget.* Hactenus Augustinus, quo nemo acutiùs, nemo meliùs.

XXV. Quæres: quæ fuerint causæ longævitatis in veteribus Antediluvianis hominibus?

Hanc quæstionem excitat Theodoretus *Interrogat. 49. in Genes.* quærens: *Quare longo tempore vivebant Antiqui?* Cui respondet: *Ut longiore temporis spatio augeri numero possent. Nam propter hoc etiam plures uxores ducebant. Itaque etiam post diluvium, usque ad tempora Patriarcharum, longævi erant. Posteaquàm autem terram repleverunt, diminutus est deinceps annorum numerus.* Sed hæc est causa finalis.

Porrò causa efficiens erat præcipua divina Providentia sic statuens ad præfatum, seu alios sibi notos fines, cui serviebant, optima corporum constitutio, cibi melioris virtutis quàm nunc, & simpliciores, sobrièque sumpti, ad indigentiam nempè, non ad luxum, & voluntatem. Quinam autem essent cibi, queis alebantur, statim dicemus.

DUBIUM VI.

Quibus cibis Antediluviani homines uterentur, an solis terræ oleribus, arborumque fructibus, an verò etiam carnibus.

§. I.

Ratio, & status Quæstionis.

I. Huic quæstioni occasionem præfert Moyses, qui inducens Deum assignantem homini cibum, nullam mentionem facit carnium, sed olerum, & fructuum tantùm, nisi post diluvium. Genesis enim 1. v. 29. ubi assignatur cibus hominibus, nempè Adamo, & Hevæ vix formatis, sic legitur: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Rursus Gen 2. v. 16. & 17. ubi, datâ facultate Adamo omnibus cibis vescendi uno reservato, de solis arborum fructibus sermo est. *Ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cap. 3. v. 17.

17. 18. & 19. inter pœnas Adæ post peccatum inflictas dicitur: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane*. Ubi nihil de carnibus, sed semper de terræ oleribus comedendis.

II. Solùm ergo post diluvium carnes in esum concessæ hominibus leguntur Genes. 9. v. 3. & 4. *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis*. Idest tàm liberè potestis vesci carnibus animalium humanæ complexioni convenientibus, quàm antea oleribus virentibus, addendo ultra olera etiam carnes. Et hoc partim proper hominum infirmitatem ex peccato causatam, & processu temporis auctam, cui conveniens erat, ut provideretur de cibo solidiore; & partim propter plantarum vim debilitatam, & terræ fœcunditatem diluvio imminutam.

III. Ex his & præfocatur error Manichæorum negantium licere occidere animalia in usus hominum; ideoque referente S. August. *lib. de Hæres. c.* 46. monebant auditores suos, ut si carnibus vescerentur animalium, ea non ipsi occiderent. Et neque ferenda est impudentia Calvini, qui in hunc versum Genesis tyrannidem non ferendam, & atrocem Dei injuriam vocare audet, si præcepto humano carnibus vesci prohibeamur; quod Deus hìc licere voluit, & omnibus sine ulla limitatione concessit. Quasi non Scriptura exemplis plena sit, quibus aliquod prohibetur ab homine, quod Dei permissione spectatâ fuerat licitum. Vinum certè non prohibuerat Deus, & tamen ex præcepto Jonadab Rechabitæ religiosè à vino abstinebant; ut habetur *Jerem.* 35. *v.* 6. Propter quod à Deo benedictionibus cumulantur *ibid. v.* 19. Dies festorum non præceperat Deus; & tamen ex Statuto Mardochæi, & Hester tanquàm dies festos piè observare cæperunt Judæi; *Hester* 9. *v.* 31. & *Act.* 15. *v.* 28. & 29. Ex Apostolorum Statuto jubentur Christiani abstinere à suffocato, & sanguine, quos tamen divina lex ampliùs non obligabat. Sed de his alibi. Interim scitè ait Clemens Alexandr. l. 2. Pædagogi c. 1. *Etsi maximè propter homines omnia facta sunt, non tamen omnibus uti bonum est, sed neque semper. Nam tempus, occasio, modus, & respectus rei alicujus non parvum ei, qui instituitur, momentum afferunt ad id, quod sibi est utile*:

IV. Porro idcircò Deus statim à diluvio hanc animalium carnibus vescendi potestatem dedit, ut Idololatriam præveniret. *Summa quippe insania est* (ait Theodoretus q. 55. in Genes.) *adorare, quod comedis, & comedendo scilicet consumitur*. His igitur ad eruditionem præjactis, nunc videndum est, an ante diluvium esus carnium fuerit hominibus permissus, & an in usu, hocque indifferenter, & apud omnes.

V. Circa hoc varji sunt Auctores, tùm Veteres, tùm Recentiores. Aliqui enim illicitum, & prohibitum volunt, ante diluvium fuisse carnium usum. Alji non fuisse prohibitum, sed inusitatum. Alji fuisse concessum, & usitatum apud omnes. Alji tandem quamvis non vetitum, fuisse tamen apud homines pios, & religiosos ante diluvium insuetum carnium esum.

§. II.

Esus carnium jure naturæ quovis tempore licitus.

VI. Dico primò. Nullum cibi, aut alimenti genus fuit, aut est prohibitum homini jure naturali. Probatur primò. Quia omnia sunt naturaliter instituta propter hominem, juxta illud Psalm. 8. v. 8. & 9. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper, & pecora campi*;

pi; Volucres Cœli, & pisces maris &c. sed ista pro majori parte naturaliter in alimentum hominis sunt; ergo &c. Quod confirmant verba illa Genes. 1. v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*: sed dominium est jus utendi re sua ad quoslibet usus; ergo saltem jure naturali homo uti potest animantibus idoneis in sui alimentum.

VII. Secundò. Quod jure naturali prohibitum est, ratione naturali cognosci potest: sed nulla ratione naturali cognosci potest, aliquod alimentum esse prohibitum: quia cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio, si unum esset naturaliter prohibitum; ergo & omnia.

VIII. Tertiò. Ut docet D. Thom. 1. p. q. 96. a. 1. *Omnia animalia sunt homini naturaliter subjecta*. Quod probat *primò ex ipso naturæ processu. Sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum..... ita etiam est in usu rerum naturalium: nam imperfectiora cedunt in usum perfectorum. Plantæ enim utuntur terrâ ad sui nutrimentum, animalia verò plantis, & homines plantis, & animalibus. Unde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philosophus dicit in* 1. *Polit. c.* 5. *quòd* venatio sylvestrium animalium est justa, & naturalis; quia per eam homo vendicat sibi, quod est naturaliter suum. Et apertiùs 2. 2. q. 64. a. 1. *Nullus* (inquit) *peccat ex hoc, quòd utitur re aliqua ad hoc, ad quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt propter perfectiora..... omnia autem animalia sunt propter hominem. Et ideò si homo utatur plantis ad utilitatem animalium, & animalibus ad utilitatem hominum, non est illicitum ..... Inter alios autem usus maximè necessarius esse videtur, ut animalia plantis utantur in cibum, & homines animalibus, quod sine mortificatione eorum fieri non potest. Et ideò licitum est plantas mortificare in usum animalium, & animalia in usum hominum.*

IX. Quartò. Ideò jure naturæ esset vetitus esus carnium, quia istæ naturâ suâ essent immundæ, ut asserebant Manichæi: sed hoc est falsum; ergo &c. Min. prob. Tùm ex Paulo 1. *Timoth.* 4. *v.* 3. ubi damnat eos, nempe Manichæos, qui prohibituri erant usum ciborum, *quos Deus creavit ad percipiendum*. Et rationem reddens v. 4. *Quia* (inquit) *omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Quare etsi in Veteri lege carnes aliæ vocarentur mundæ, aliæ immundæ: hoc non dicebantur, quia essent naturâ immundæ, & ideò prohibitæ jure naturæ. Sic enim (inquit D. Tho. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 1.) *Nulla genera ciborum immunda sunt, vel hominem inquinare possunt secundùm suam naturam*. Sed dicebantur immunda aliqua ciborum, maximè carnium, genera, immunditiâ corporali ob causas, quas ibi S. Thomas enumerat: & ideò lege positivâ, ac cæremoniali in Veteri Testamento prohibebantur à Deo. Quibus causis cessantibus, suaptè naturâ omnia munda sunt.

X. Hinc S. Augustinus *lib. 6. contra Faust. cap.* 7. ait: *Testamento autem veteri cur non sit contraria ista sententia, quâ dicit Apostolus*: omnia munda mundis, & omnis creatura Dei bona est, *si possunt, intelligant, hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis: illas autem litteras, propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non naturâ, sed significatione immunda dixisse. Itaque, verbi gratiâ, si de porco, & agno requiratur, utrumque naturâ mundum est, quia omnis creatura Dei bona est; quâdam verò significatione agnus mundus, porcus immundus est; tanquam si stultum, & sapientem diceres, utrumque hoc verbum naturâ vocis, & litterarum & syllabarum, quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod dicitur* stul-

stultus, *immundum dici potest, non naturâ sui, sed quoniam quiddam immundum significat &c.* Constat ergo, nec carnes, nec quemcumque alium cibum ex natura rei esse immundum, nec jure naturæ aliquando suisse homini prohibitum. Dubium restringitur, an sicut lege positiva divina quidam cibi prohibiti erant in lege Mosaica: ita ante diluvium prohibitus à Deo fuisset omnium carnium esus.

§. III.

An carnium Esus vetitus esset ante diluvium, Jure Positivo?

XI. Dico secundò. Quamvis ex Scriptura esus carnium ante diluvium non legatur expressè vetitus, non est tamen improbabile, quòd implicitè saltem vetitus fuerit. Prima pars videtur constare: etenim nullibi in Genesi legitur expressè vetita alia comestio, quàm de ligno scientiæ boni, & mali Gen. 2. v. 16. 17. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Quòd si carnium esum expressè Deus prohibuisset, expressis verbis id declarasset.

Altera autem pars suadetur primò *Gen. 1. v. 27.* ubi assignatur cibus homini, & animantibus de universis, & solis herbis, & earum seminibus, de universis, & solis arboribus, earumque fructibus sermo est. Videtur ergo suisse concessio hæc taxativa, & limitativa ad sola olera, & arborum fructus, & proinde horum concessio, & non aliorum. Quare dicit Abulensis: Hìc taxavit Deus cibos hominibus, ut scilicet carnes non comederent, sed fructibus vescerentur.

Si dicas, quòd si Deus carnes prohibere intendisset, prohibitionem indicasset = Ego similiter repetam: si Deus carnium esum concedere intendisset, hanc concessionem expressisset, & non ad sola olera, & fructus concessionem restrinxisset. Si enim ex eo, quòd carnes non sint prohibitæ, inferre volunt, quòd fuerint concessæ: pari ratione ex eo, quòd non sint concessæ, inferam ego, quòd sint prohibitæ. Quia etsi aliquando illa intelliguntur concessa, quæ expresè non inveniuntur prohibita; nonnunquam tamen intelligitur prohibitum, quod non invenitur concessum ut *Tit. 7. de translat. Episcopi c. 2.* Et hoc maximè, quando expressio est pœnalis. Cùm ergo Adæ post peccatum indixerit inter cæteras pœnas Gen. 3. v. 18. *& comedes herbam terræ*; videtur, eibum illus ad sola ea, quæ sunt fructus terræ, coarctasse.

XII. Confirmatur. Quia *Gen. 9. v. 3.* Ubi Deus Noè, & aljis hominibus esum carnium concedit, ita legitur: *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Cur ergo hìc carnes expressè conceduntur, si jam eas concesserat? Nec dicatur, hanc esse expressiorem repetitionem concessionis tacitæ superiùs factæ. Nam si ita est: cur de solis carnibus, non de oleribus mentionem facit, dicendo omnia olera, & omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum? At dùm dicit: quasi olera virentia tradidi vobis omnia, quid aliud dicere voluit, nisi, ubi prius solis oleribus utendi in eibum tradidi vobis potestatem, nunc omnium, quæ vivunt, ut antea olerum, copiam vobis plenè facio.

XIII. Urgetur ex eo, quod additur statim v. 4. *Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Ex quibus sic. Si antea homines comedebant carnes: vel eas comedebant cum sanguine, vel sine sanguine. Si comedebant non cum sanguine, non erat opus hoc novo præcepto. Si verò comedebant cùm sanguine, cur non redditur ratio, quare Deus antea permiserat, & tunc de novo prohibebat? Videtur ergo, quòd tunc dedit primò facultatem comedendi: & ideò hominibus modum naturalem eas comedendi præscripsit.

XIV. Nec dicas. Deus cùm primò designavit olera, & fructus in cibum, non respexit solos homines, sed & cætera animantia *Genes. 1. v. 29. & 30.* Si ergo hâc designatione homini legem statuit vetantem esum carnium, hanc etiam omnibus animantibus statuit, ipsis quoque leonibus, lupis, corvis, canibus &c. quibus naturale est carnibus pasci, non oleribus. Quis autem dicat præfata animalia ante diluvium non fuisse carnivora, sed oleribus, & arborum fructibus alita fuisse? Nequaquam, ait S. Thomas 1. p. q. 96. a. 1. ad 2. *Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata; ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis sicut leones, & falcones; ergo &c.*

XV. Respondeo, hanc instantiam urgere, etsi non adsit præceptum. Nam etsi non præceperit omnibus, tamen assignavit, & homini, & cunctis animantibus terræ, volucribus Cœli, universis, quæ moventur, & in quibus est anima vivens, olera, herbas, semina, fructus arborum: ergone eas assignavit quoqe leonibus, lupis, corvis, falconibus? Dicendum ergo est, quòd Deus assignavit, seu etiam præcepit herbas, olera, fructus arborum in cibum omnibus animantibus, sumto ly *omnibus* cum distributione incompleta, seu accommoda; nempe omnibus, quorum naturis tales cibi consentanei sunt bobus scilicet, equis, ovibus, non leonibus, lupis, & similibus, quibus naturale est comedere aliorum animalium carnes: homini verò, qui naturaliter omnibus, & herbis, & carnibus pascitur, solas tunc, cum robustior esset, & herbæ, ac plantæ majoris virtutis essent, herbas terræ, & arborum fructus concessit: carnes postea etiam concessurus, quando homo factus infirmior egeret fortiori alimento, & herbæ suæ virtutis multum deperdidissent, quod contigit post diluvium. Ita non improbabiliter. At quidquid sit de præcepto, aut prohibitione.

§. IV.

An Esus carnium esset ante diluvium insuetus?

XVI. Dico tertiò. Probabilius censeo, ante diluvium esum carnium, apud saltem viros Religiosos, ac pios, insuetum fuisse. Ita sentiunt plerique Patrum. Ex quo enim expressa concessio carnium in escam legitur facta solùm post diluvium, cùm antea sola olera, ac fructus Deus expressisset, existimarunt, homines religiosos, ac pios his cibis contentos vixisse; neque ad ulteriores, nempe carnes, manum, & os apposuisse. Ita sentire visus est Tertullianus *l. de Anima c. 38.* & *adversus Psychicos c. 4. & 5.*

XVII. Apertè autem hoc testatur S. Jo. Chrysost. *Homil. 27. in Genes.* ubi expendens illa verba *Gen. 9. v. 3.* Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. *Hinc* (inquit) *initium dictum est edendarum carnium; non ut ipsas ad ventris ingluviem paret, & instruat: sed quia ex ipsis homines erant sacrificaturi, & Deo gratias acturi, ut ne viderentur quasi à consecratis abstinere. Idcirco edendi facultatem concedit, & multam dat utendi licentiam.* Quasi olera herbarum vobis dedi omnia.

XVIII. Apertiùs S. Hieronymus *lib. 1. adversus Jovinianum* huic hæretico objicienti: *In secunda Dei benedictione, comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima concessa non fuerat*, sic respondet. *Sciat, quomodo repudium juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur; sed propter duritiam cordis nostri per Moysen humano generi concessum est: sic & esum carnium usque ad diluvium ignotum fuisse. Post diluvium verò, quasi in eremo murmuranti populo coturnices: ita dentibus nostris nervos, & virulentias carnis ingestas.* Et paulò post: *Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus vescebamur,*

mur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis improbantur in signum. Hoc cursu usque ad diluvium pervenimus. Post diluvium autem cum datione Legis, quam implere nullus potuit, carnes ingesta sunt ad vescendum, & repudia concessa duritia, & cultellus circumcisionis appositus.

Libro autem secundo adversùs eundem post varia Philosophorum, aliorumque Gentilium exempla, qui à carnibus abstinuerunt, ait: Adam *quandiu jejunavit, in Paradiso fuit; comedit, & ejectus est; ejectus statim duxit uxorem. Qui jejunus in Paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur; & tamen ejectus non protinùs accepit licentiam carnium vescendarum, sed tantùm poma arborum, & fruges segetum, & herbarum olera ei traduntur in cibum: ut exul quoque Paradisi, non carnibus, quæ in Paradiso non erant, sed similitudine frugum Paradisi vesceretur.*

XIX. Idem sentit Theodoretus *Interrogat.* 55. *in Genesim* dicens: Deus *mox ubi creasset hominem dedit illi terræ fructus, jubens illum vesci fructu seminum, & arborum. Post diluvium autem majores illi delicias munificè largitur, jubens occidere, & comedere volatilia, & natatilia, & terrestria animalia, affectum affectu repellens, & leviori curans graviorem. Prævidens enim Deus, homines in extremam dementiam lapsos, hæc omnia pro Diis habituros, permisit illorum esum, ut impietatem illam cohiberet. Summa enim est insania adorare, quod comeditur. Propterea verò animalia quædam immunda dixit, alia verò munda: ut illa quidem tanquam immunda exhorrentes, non deificent, hæc verò, quæ comeduntur, non adorent.*

XX. In hanc sententiam propendit S. Thomas 1. 2. *q.* 102. *a.* 6. *ad* 2. his verbis: *Esus plantarum, & aliorum terræ nascentium fuit apud homines etiam ante diluvium. Sed esus carnium videtur esse post diluvium introductus. Dicitur enim Genes.* 9. Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem. *Et hoc ideò, quia esus terræ nascentium magis pertinet ad quamdam simplicitatem vitæ: esus autem carnium ad quasdam delicias, & curiositatem vivendi. Spontè enim terra herbam germinat, vel cum modico studio hujusmodi terræ nascentia in magna copia procurantur: oportet autem cum magno studio animalia nutrire, vel etiam capere. Et ideò volens Dominus populum suum reducere ad simpliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit, non autem in genere terræ nascentium. Vel etiam quia animalia immolabantur Idolis, non autem terræ nascentia.* Hæc Divus Thomas. Quibus rationem congruitatis adsignat, nempe quia voluit Deus ab illis primis hominibus majorem vitæ simplicitatem, ac minorem in procurandis eduliis curam, & solicitudinem; cui maximè congruit solis terræ nascentibus ad esum uti, in quibus procurandis, ut ait S. Doctor, minus studium adhibetur.

XXI. His concinit etiam Boætius lib. 2. de Consolatione metro 5.

Felix nimiùm prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu;
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande;
Non Bacchica munera norat
Liquido confundere melle.

Ipseque Ovidius *lib.* 1. *Metamorphos.* de prima ætate loquens, ait:

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Lib. insuper 15. *Metam.* idem repetens, ait:

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit; nec polluit ora cruore

Tunc & aves tuta movere per aera pennas,
Et lepus impavidus medijs erravit in agris
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.

Hæc argumento sunt, antiquum illum morem solis terræ nascentibus vesci mansisse in hominum memoria, nec Poetam hæc sibi finxisse, sed ex antiquitate accepisse. Et quod magis est, Lutherus in *c. 9. Gen.* Grotius, Joann. Clericus, aljique ex Protestantium grege (in dictum caput) quamvis pro esu carnium quolibet tempore contra nos pugnare soliti, asserunt tamen, dominium in necandas bestias in cibum solùm post diluvium homini à Deo fuisse concessum.

XXII. Temperanda tamen hæc opinio videtur multis; & hæc est secunda nostri asserti pars. Cùm enim ante diluvium essent homines pii, ac religiosi, quales multo tempore fuere filii Seth, essent etiam viri impii, quales erant ex Semine Cain prognati; hique procedente tempore numero, & malitiâ exereverint, ut junctis in matrimonium filiabus suis cum filiis Seth, istos malitiâ sui à primigenia pietate, bonisque moribus averterint; ut corruptâ vitiis omni carne, contemptâ omni lege, & quavis laudabili consuetudine rejectâ, summè offensus Deus decreverit diluvio totum genus humanum mergere, ac delere, quod de facto præstitit, solo Noe, ejusque familiâ reservatis: credibile est, abstinentiam à carnibus ad solos paucos fuisse redactam, cùm alji cujusque generis intemperantjis, & carnis delicjis dediti, per fas, & nefas ei curandæ studerent.

XXIII. Probo ergo, saltem apud viros pios, & religiosos, antiquum morem solis terræ frugibus, ac fructibus vescendi, & ab esu carnium abstinendi usque post diluvium mansisse. Vel enim Deus sola terræ nascentia Adæ ante, & post lapsum concedens in cibum, ipsi, ejusque Posteris saltem implicitè, & tacitè vetuerat esum carnium, ut multi volunt; vel saltem indicavit, se carnium usum non concedere. Si enim carnium esum ab initio concessisset, frustra postea Noe concessisset; frustra enim denuò conceditur, aut permittitur, quod antea erat licitum, vel concessum, aut permissum: atqui viri religiosi, ac pii ab esu carnium certè abstinuissent, si traditione accepissent, eas à Deo fuisse vetitas: & licèt de præcepto eis non constaret, cùm tamen scirent, eas à Deo non fuisse inter alios cibos expressas, prudenter existimassent, voluntatem Dei fuisse, ut solis cibis ab ipso præscriptis, ac edulio frugali ad vitæ simplicitatem contenti essent. Et propterea credibile valde est, eos religiosè illis terminis sese continuisse: eò vel maximè, quòd Majores eorum ita se gessisse accepissent.

XXIV. Confirmatur. Dato, quòd carnes tunc temporis non essent expressè vetitæ, non tamen erant expressè concessæ; imò concessio divina solas herbas, semina, ac lignorum fructus homini, ac cæteris animalibus in cibum indulgebat; ergo viri probi jure censere poterant, carnes non solùm eis non fuisse concessas, sed implicità quadam prohibitione vetitas, ac proinde sibi esse ab eis abstinendum.

Cùm ergo, ut omnes fatentur, major vis nutriendi esset in herbis, & plantis ante diluvium, quàm postea, terrâ Oceani superundantis salsedine infectâ; cùm etiam humanæ naturæ vigor multò validior esset, nec tantâ reparatione per cibos egeret, unde vitam ad ætatem adeò longævam, ut præcedente Dubio vidimus, protrahebant: absque ulla dubitatione credimus, homines probos, ac Deum timentes, qui ad nutum divinæ declarationis vivere volebant, cùm satis dignoscerent, hujusmodi cibos ad vitam optimè sustentandam sufficere posse, omnino abstinuisse à carnibus, & etiam piscibus, estò non tanquam speciali prohibitione vetitis, tanquam

tamen

tamen implicitè interdictis, & rejectis tanquam superfluis, & delicjis potiùs inservientibus, quàm necessitati.

Procedente verò tempore, humanâque passim crescente licentiâ, atque intemperantiâ, non imus inficias, homines (paucis exceptis) carnibus etiam vesci voluisse. Quinimò, ex Beroso tradit Caietanus, usque adeò increvisse humanam ingluviem; ut homines, omnem exuentes humanitatem, humanas quoque carnes comedere non formidarint. Quod credibile reddit similis usus barbararum quarumdam gentium novi Orbis. Quare cùm D. Thomas suprà laudatus, ait: quòd *esus carnium videtur esse post diluvium introductus*, exponendus est, eum fuisse introductum passim, & communiter apud omnes stante apertâ Dei declaratione, & concessione *Gen. 9. v. 3.* cùm antea apud aliquos solùm malè moratos ex abusu, & intemperantiâ esset introductus.

§. V.

Asseruntur, quæ praecedenti Resolutioni videntur obstare.

XXV. CAjetanus in *cap. 4. Genes.* Sotus *de Justit.*, *& Jure lib. 5. qu. 1. a. 1.* Natalis Alexandr. *hist. Vet. Test. dissert. 6. propos. unica*, & aliqui alii censent, ante diluvium homines non solùm impios, sed & justos carnium esum frequentasse. Istorum ergo momenta proponenda sunt, & pro viribus dissolvenda.

XXVI. Primum eorum fundamentum sumitur ex dominio, quod naturaliter habet homo in animalia cætera: ex quo D. Thomas *1. p. q. 96. a. 1.* infert animalia naturaliter esse in usum, & nutrimentum hominis; ergo ad dominium ejus pertinebat, ut eis, quæ comedi poterant, & quorum carnes erant humano corpori nutriendo aptæ, uti possent in cibum, & mactando.

Respondeo, hoc argumentum confirmare nostram primam assertionem, nempè, quòd spectato Jure naturæ possit homo tanquàm dominus mactare animalia, eorum carnibus in alimentum uti, quia naturaliter sunt instituta propter hominem: sed non infirmare tertiam assertionem spectantem Jus positivum, & de facto. Sicut enim non obstante hoc dominio hominis super omnia animalia, potuit Deus, & de facto tempore Legis scriptæ limitavit hoc dominium ad aliqua sola, quæ vocavit munda, horum esum concedendo, aliorum verò, quæ vocavit immunda, esum interdicendo; eâdem ratione potuit Antediluvianis hominibus olerum, & omnium terræ nascentium esum concedere, & carnium quorumcumque animalium expressè, vel tacitè ad tempus sibi placitum reservare.

XXVII. Sanè hoc dominium super universa animantia datum fuit homini statim condito, & adhuc innocenti Gen. 1. v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Statimque assignans homini cibum, non dixit: ecce dedi vobis universa hæc animantia in escam, eorum carnes in cibum; sed v. 29. *Dixitque Deus; ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Quòd si ex hoc infert Soto *l. 5. de Justitia, & Jure q. 6. a 1.* quòd in statu innocentiæ, quantòvis seculo durasset, facillimè creditu est, nullum futurum apud homines esum carnium; cùm tamen homines in eo statu dominium perfectissimum habuissent super animalia: cur non erit æquè facile creditu, hanc abstinentiam, post peccatum infirmato super animalia dominio, nullâ Dei extante concessione de carnium usu, apud homines saltem pios, & religiosos perseverasse? Dominabantur ergo animantibus dominio quasi politico, sicut domini servis, utendo eorum operâ, sive

five ad terram exercendam, five ad onera portanda, five ad fructum ex eis percipiendum, puta lac; non tamen dominio terrifico manus in eorum vitam immittendo, eaquè destruendo, ut fuis carnibus cibos fibi pararent. Hoc enim dominium terrificum folùm legitur hominibus datum Genef. 9. v. 2. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terra &c.* Deinde ftatim fubditur v. 3. *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.*

XXVIII. Non horreat pius Lector fuper his audire Lutherum, cujus auctoritas, eftò in aljis fit contemnenda, in hac tamen controverfia non infirmum, puto, exhibet argumentum. Is ergo, qui primus contra abftinentiam à carnibus vexillum explicuit; cùm potuiffet fuæ voracitati non leve pondus adjicere, fi probaffet à Mundi exordio conceffum fuiffe ufum carnium ab ipfo Deo, & propterea omnibus licitum, quemadmodum ex verbis illis *crescite, & multiplicamini &c.* infert omnibus licitum effe, imò & in dictum Matrimonium: nihilominus in *cap. 9. Genef.* citatum de efu carnium ad illa verba: *Et terror vester, ac tremor*, ita loquitur:

In abundantiam consolationis videtur hìc dominium hominis augeri. Etsi enim post conditam creaturam omnia animalia homini subdita sint; tamen non legimus, bestias sic timuisse, & fugisse hominem, sicut hoc in loco Moses testatur. Causa autem est, quòd hactenus animalia non fuerunt morti destinata, ut essent cibus homini; sed fuit homo tanquam civilis Dominus bestiarum; non fuit occisor, aut vorator. Hìc autem subjiciuntur homini tanquam Tyranno, qui habeat potestatem absolutam mortis, & vita. Ideò quia nunc gravior servitus animalibus imposita est, hominibus autem amplius, & gravius dominium tributum, animalia terrore metu hominum exercentur. Sicut videmus, quòd etiam, qua cicurata sunt, tamen non facilè se manibus apprehendi patiuntur. Sentiunt enim dominium hominum grave, & naturaliter periculo suo moventur. Id, quod ante hanc Domini vocem non factum esse existimo, hactenus enim tantùm ad operas suas animalibus aptis erant usi, & ad oblationes, non ad cibum, & alimoniam. Pertinet autem hac quasi augmentatio dominii etiam eò, ut Deus ostendat singulari privilegio, quod Patriarcha non habuerant, se favere homini, & benè velle.

Et poft multa: *Auctum ergo hoc in loco hominis dominium est, & animalia bruta homini ad servitutem sunt subjecta usque ad mortem. Ideò metuunt, & fugiunt hominem propter hanc novam, & hactenus in Mundo inusitatam ordinationem. Nam Ada abominatio fuisset occidere aviculam ad cibum. Sed nunc, cùm accedit verbum, intelligimus, singulare hoc beneficium esse, quòd hoc modo instruxit Deus culinam omni genere carnium. Post de cella quoque instruenda curabit, cùm culturam vitis ostendet homini.* Hæc Lutherus.

Quæ ante ipfum docuerat Rupertus *lib. 4. in Genef. c. 30.* ubi poftquàm dixit, homini à principio folummodo dictum fuiffe: Ecce dedi vobis omnem herbam virentem..... & univerfa ligna, quæ habent in femetipfis femen tem generis fui, *erunt vobis in cibum*; fubjungit: *Porrò hęc homini potestas super cuncta animalia nunc jure accrevit. Nam & tunc propter hominem condita, & nunc propter hominem reservata, duplici ex causa hoc ipsum homini debent, quod sunt. Igitur si antehac absque ulla Dei pracipientis auctoritate hac homo in cibum prasumsit, jam ex hoc nunc ante legem, & deinde per legem potestate acceptâ, jure sibi vendicat eadem in esum; ut is potiùs contra Dei faciat imperium, qui prohibere tentaverit &c.* Hìc ad Manichæos alludit Rupertus ex Paulo 1. *Timoth.* 4.

XXIX. Secundum fundamentum eft. Antediluviani homines Sacrificia offerebant Deo. Abel Sacrificium obtulit;

tulit; obtulit & Cain; & Posteros obtulisse credendum est: & non Holocausta dumtaxat, in quibus tota victima igne consumebatur, sed & Propitiatoria, & Pacifica, in quibus victimarum partem in usum offerentium cessisse credere par est, ne viderentur quasi à consecratis abstinere. = Addunt: quid enim laudis promeritus fuisset Abel, quòd opima, & pinguia gregis sui Domino litasset; si ea Domino obtulisset, quorum pelles tantùm, & lanam, non verò carnes in usum proprium habere potuisset? = Præterea si animalia mactabant, ut ea Domino offerrent, cur non ut ex eorum carnibus vescerentur, & saltem Deo oblatis?

XXX. Hoc fundamentum nutare videtur. Nam & in statu innocentiæ homines Sacrificia Deo non solùm de terræ frugibus, sed & de animalibus in testimonium supremi dominii obtulissent; & tamen Contrarii (& maximè Soto) credibile putant, homines in eo statu solis terræ frugibus, & arborum fructibus contentos à carnium esu prorsus temperasse; ergo ex usu Sacrificiorum esus carnium non colligitur.

Dico ergo, Sacrificium, quòd obtulit Abel, fuisse verum, ac purum Holocaustum; & proinde totam victimam igne consumtam fuisse. Cùm enim, ut docet S. August. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 7. aliquo signo visibili, & adspectabili ostenderit Deus, sibi placuisse Abelis Sacrificium, non autem Cain; & hoc Cain ipse dignoverit, propter quod indignatus Abelem occidit; hoc signum, ait S. Hieronymus *lib. Quæst. Hebraic. in Genes.* non aliud fuisse, quàm inflammationem hostiæ Abel, & non Cain: *Unde* (inquit) *scire poterat Cain, quòd fratris munera suscepisset Deus, & sua repudiasset: nisi illa interpretatio vera est, quam Theodotion posuit:* Et inflammavit Dominus super Abel, & super Sacrificium ejus: super Cain verò, & super Sacrificium ejus non inflammavit? *Ignem autem ad Sacrificium devorandum solitum venire de Cœlo. & in Dedicatione Templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit Altare.* Cùm ergo Abelis Sacrificium, utpote primum, fuerit norma, & exemplar aliorum; videntes Posteri, gratam fuisse Deo totius hostiæ incensionem, credibile est, Adamo etiam magistro, ritum totam hostiam igne absumendi in reliquis Sacrificiis servasse, nec fuisse usum absumendi in cibum Sacrificii partem; qui postea per legem, secundùm varias Sacrificiorum species, (quæ tunc temporis non erant) Deo jubente introductus est. = Dici quoque potest, quòd dato, Antediluvianos homines aliquid de carnibus Deo immolatis religionis ergo degustasse; non inde infertur, saltem viros pios, ac religiosos in communem cibum assumsisse.

Ad id, quod addunt, dico, multum laudis promeritum fuisse Abel, qui de agnis, & ovibus suæ curæ, & dominio concreditis, quarum lacte alebatur, pellibus, & lanâ utebatur ad tegumentum, etsi eas non mactaret ad comedendum, primogenita, eaque selectiora, opima nempe, & pinguia Deo litavit, & non sibi, ut Cain reservavit. Sicut multum promereretur apud Principem, qui ex armento selectiorem, ac sibi cariorem equum, aut ex venatione pulcherrimum leonem ei in tributum offerret, quamvis istorum carnibus non utatur in cibum: & sicut maximam laudem apud Deum sibi comparavit Abraham, paratus filium suum Isaac primogenitum Deo immolare.

XXXI. Verùm ad id, quod tertiò subjungunt, quis non videt, maximum discrimen esse inter mactationem pecorum ad ea immolanda Deo Domino vitæ, & mortis supremo, & ad ea convertenda in usum hominum? Primum enim Jus naturæ dictat, & exigit, & fuisset quoque in statu innocentiæ. Secundum à Dei taxatione

ne homini cibos præscribentis dependet. Porrò cùm Deus præscribens homini cibos, olera quidem, & arborum fructus expresserit, carnium verò non nisi post diluvium meminerit; credibilius est, quòd sicut in statu innocentiæ homines à carnibus abstinuissent, ut Adversarii concedunt: ita etiam post culpam homines, saltem pios, à communi carnium usu temperasse, nisi fortè velis, carnes Deo immolatas degustasse.

XXXII. Tertium fundamentum est. Adam, Heva, eorumque Posteri animalium pellibus pro indumento usi fuere, saltem usque ad inventum lanificium, & artem textrinam; ergo ad hunc saltem finem animalia mactabant; ergo pecudibus mactatis, eorumque carnibus in cibum utebantur. Quis enim credet, quòd carnes, quas Deus creavit ad percipiendum, feris, ac volucribus projicerent?

Confirmant. Fuit Abel pastor ovium, alii Antediluviani greges aluerunt, & curarunt. Cur verò tanta ovium, aliarumque pecudum ad humani corporis sustentationem congruentium cura, si nusquam earum carnibus vescerentur? An quia earum lacte pascebantur? sed cur lacte pecudum, quamvis à Deo non expresso vesci poterant, earum verò carnibus nequaquam?

XXXIII. Respondeo, vel negando consequ. Non enim primi Adæ Posteri mactabant pecudes, ut ex earum pellibus sibi indumenta conficerent; sed ex earum, quæ suo fato moriebantur, exuviis vestiebantur. Vel conced. conseq. Mactare enim homines etiam pii animalia, ut ex eorum pellibus induerentur, absque scrupulo poterant, secus verò eas mactare ad comedendum. Nam ad primum Deus ipse, qui *Gen. 3. v. 21.* Adæ, & uxori ejus fecit *tunicas pelliceas, & induit eos*, utique ex animalibus occisis, & excoriatis, hoc facto eis ostendit modum, quo indui deberent; & proinde tacitam eis licentiam fecit, ut eas in hunc finem mactarent. Ad secundum verò nulla nec post lapsum licentia adhuc tacita colligi potest; quin herbarum comestio Adæ legitur repetita ibid. v. 18. *& comedes herbam terræ*. Unde credendum est, viros pios carnes animalium, ex quorum pellibus vestiebantur, non fuisse ausos in cibum sumere; sed vel subtus terram sepeliisse, vel feris, avibusque vorandа reliquisse: eo modo, quo etiam nunc quorumdam animalium pelles ad usus humanos assumimus, quorum tamen carnes, vel terræ mandamus, vel feris, avibusque vorandas relinquimus. Ex quo, Joseph à Costa *lib. 1. Hist. Ind. cap. 21.* refert, quosdam Indorum populos, apud quos vaccarum, & bovum nimia est multitudo, contemtis eorum carnibus, solas pelles detractas in mercimonium curare, & ad alias partes transmittere.

XXXIV. Ad confirmat. concedo, Abelem, & Posteros ex Seth prognatos, greges, & armenta curasse, quamvis fortè non in tanta multitudine, quanta legitur post diluvium, maximè de Abraham, & Loth *Gen. 3. v. 5.* Nego tamen, ea curasse (saltem viros pietatem colentes) ut ex eorum carnibus escam sumerent; sed ut eorum pellibus caperent indumenta, & eorum lacte veluti fructu vescerentur. Cur autem lacte pecorum pasci sibi licere, non verò carnibus, existimarent, ratio est. Cùm enim Deus ab initio *Gen. 1. v. 28.* concesserit homini dominium super omnia animalia, dominium autem saltem importet Jus utendi, ac fruendi re suâ; poterant conjicere sibi collatum fuisse Jus fruendi, & percipiendi ex animalibus fructus, puta ex armentis lac, ex gallinis ova &c. Quia verò concedendo dominium in animantia, non dixit: *ut sint vobis in escam*, sed potiùs hominibus cibum assignans, de solis terræ frugibus, & arborum fructibus mentionem fecit; Jure existimare poterant, Deum sibi reservasse dominium vitæ, & mortis animalium, ejusque concessisse

domi-

dominium merè civile, & salvâ eorum substantiâ, quale habent domini in servos, non despoticum: & ideò contentos eorum fructibus, in animalium vitam manus non immisisse.

XXXV. Quartum fundamentum est. Adam, ejusque Nepotes utpotè cognitione perfecti, optimè norant, quantò salubriores essent animalium carnes, quàm olera, & fructus, maximè naturæ infirmæ; ergo non est credibile ab eis abstinuisse.

Respondeo primò. Quòd si non obstante hâc cognitione, à carnibus abstinuissent in statu innocentiæ, ut Adversarji non negant; eâdem ratione potuerunt abstinere post lapsum. Quia verò obstare potest infirmitas contracta per peccatum;

XXXVI. Ideo respondeo secundò. Adam, & Nepotes ejus optimè dignovisse carnium salubritatem, ijs tamen usos non fuisse; quia cùm non audissent, eas sibi in esum concessas, religiosè judicabant, Dei voluntatem non esse, ut ijs tanquam non necessarjis, sed superfluis, abstinerent. Quod experimento comprobabant ex longævitate vitæ, quâ fruebantur. Si enim legimus, multos eremorum cultores solis oleribus, baccis, fructibusque victitare solitos, ad eam ætatem vitam incolumes protraxisse, ad quam delicatioribus epulis nutriti non perveniunt; quantò magis id credendum est in primis illis seculis, quibus ante diluvium major erat in frugibus, fructibus, & radicibus nedùm abundantia, sed, & vigor, & salubritas? In hac victus simplicitate filios Adam ex Seth perdurasse existimo, quousque paternæ pietatis hæreditatem servaverunt. Verùm cùm procedente tempore augeri cæpisset inter homines corruptio, maximè post commixtionem filiorum Seth cum filiabus Cain, sentio, per fas, & nefas omnes indifferenter carnes in cibum usurpasse; cùm priùs soli ex Cain prognati Deum parùm timentes illis uterentur.

XXXVII. Quintum fundamentum est. Ante diluvium mundorum, & immundorum animalium discrimen notum erat, ac usitatum; dixit enim Deus ad Noe Gen. 7. v. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena, masculum & fœminam: de animalibus verò immundis duo, & duo, masculum, & fœminam:* sed munda dicebantur, quorum usus frequens erat in cibis, & Sacrificjis, immunda verò, quæ a cibis, & Sacrificjis arcebantur; ergo &c.

XXXVIII. Respondeo, animalia ante diluvium dicta fuisse, & divisa in munda, & immunda quoad usum Sacrificiorum: quę enim in Sacrificium assumebantur, dicebantur munda; quæ à Sacrificio arcebantur, immunda reputabantur. Quamvis enim discretio animalium mundorum ab immundis pręscripta deinum legatur sub Moyse *Levit.* 11. nihilominùs etiam ante Legem, imò ante diluvium, partim Dei instinctu, partim traditione Majorum, ea, quæ Sancti prædecessores divinitùs illuminati idonea judicaverant ad Sacrificium de ipsis Deo offerendum, munda dicebantur, immunda verò, quæ non esse apta ad Sacrificium existimarunt. Non autem munda dicebantur, vel immunda quoad esum ante diluvium, imò nec statim post diluvium. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 103. a. 1. ad 4. *Distinctio* (inquit) *mundorum animalium, & immundorum non fuit antę Legem quantùm ad esum, cùm dictum sit Gen.* 9. Omne, quòd movetur, & vivit, erit vobis in cibum: *sed solùm quantùm ad Sacrificiorum oblationem, quia de quibusdam determinatis animalibus Sacrificia offerebantur. Si tamen quantùm ad esum* (subintellige post diluvium) *erat aliqua animalium discretio; hoc non erat, quia esus illorum reputaretur illicitus, cùm nullâ lege esset prohibitus, sed propter abominationem, vel consuetudinem: sicut & nunc videmus, quòd aliqua cibaria sunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in aljis comeduntur.* Quod docue-

docuerat etiam Chrysost. *Homil.* 24. *in Genes.*

XXXIX. Sed dices. Cur ex mundis animalibus septena jussit Deus in Arcam adduci, & ex immundis tantùm duo? Nisi ut Noe, & familiæ ejus (duobus, masculo, & fœminâ exceptis, qui ad propagationem reservabantur) essent in escam pro tempore, quo in Arca erant moraturi.

XL. Nego tamen, hanc fuisse causam. Propterea igitur de omni specie mundorum animalium septem, tres scilicet fœmellas, & quatuor mares reservari voluit Deus; ut scilicet unum par maris, & fœminæ esset ad propagationem, secundum par ad Sacrificia passim post diluvium offerenda; tertium ad esum hominum post diluvium; masculus verò, qui solus supererat, erat pro Sacrificio statim à fine diluvji offerendo, quod à Noe legitur factum *Gen.* 8. *v.* 20. Dici etiam posset, plura de mundis animalibus fuisse introducta in Arcam, etiam ut aliqua eorum essent Noe, & filjis ejus in usum, ac cibum Deo concedente illi specialiter, quod statim toti humano generi concessurus erat. Ita videtur sentire S. Chrysost. qui estò, ut supra vidimus, initium edendarum carnium post diluvium afferat contigisse, *Homilia tamen* 24. *in Gen.* dicit: *Plura quidem præcepit ex mundis introduci, ut justus ille, & qui cum illo erant, ex illorum usu aliquam consolationem acciperent.*

Verùm benè consideranda sunt ea, quæ Chrysostomus subdit, nimirùm, Deum jussisse septena numero impari introduci. Cùm enim sciret Noe justum ab Arcæ incommodis, & diluvji periculo liberatum, pro gratiarum actione hostias, & Sacrificia oblaturum, *ut ne hoc faciendo mutilaret paria; ideò Dominus ..... jubet septena, & septena introduci ex singulis avium generibus, ut cùm cessaret universalis interitus, & suam mentem declararet, paria volatilium, cæterorumque animalium non læderentur, introducta fuerant, non ut in cibum ex parte absumerentur, sed ut intacta reservarentur, unico excepto, quod erat in Sacrificium offerendum.*

Quemadmodum ergo S. August. *Quæst.* 7. *in Genes.* verius existimat, leones, aquilas, & cætera animalia carnivora, dùm in Arca fuerunt, animalium carnibus pasta non fuisse, sed aljis cibis eis convenientibus Deo disponente, & Noe præparante: ita & ipsum Noe cum suis in Arca positum, animalium quidem pacificorum, ac mundorum consuetudinem habuisse; ea tamen ad comedendum non usurpasse, sicut nec priùs.

XLI. Sextum fundamentum est. Si animalia mactare ad esum nefas fuisset, ijs multiplicatis, maximum extitisset periculum vastationis segetum, maximè ab animalibus ferocibus, & rapacibus.

XLII. Respondeo, hanc instantiam locum habere etiam in adversa opinione. Nam Antediluviani homines animalia ferocia, & rapacia certè non mactassent ad comedendum; ergo ijs multiplicatis maximum extitisset periculum vastationis segetum.

Dico, huic incommodo provisum fuisse quoad animalia fera, & rapacia venatione, & aucupio, cui filios Cain maximè deditos fuisse, credunt multi. Imò & de Lamech traditur, quòd dùm venationi indulgeret, putans se occidere feram, occiderit Cain inter virgulta latitantem. Quam traditionem à Majoribus acceptam refert S. Hieronym. *Epist.* 145. *ad Damasum*, modò *tom.* 2. *inter Epist. Criticas* 2.

Quoad animalia verò mansueta, domestica, & quorum carnes postea in usum alimenti venerunt, eidem periculo provisum fuisse existimo. Tùm quia non ita universalem ab eorum carnibus abstinentiam apud homines fuisse, dixi, etiam ante diluvium; quia multi, ijque fortè maxima pars, naturæ corruptione in dies invalescente, carnes ad ingluviem vorarent.

Tùm

Tùm quia homines, qui religiosè à carnibus temperabant, minus soliciti erant in eorum multiplicatione curanda, sed solùm tantum, quantum sat erat Sacrificijs, indumentis, & etiam lacte ex ijs comparandis; quo fiebat, ut multa nullo Custode errarent, & à lupis, alijsque feris discerperentur. Quibus accedebat divina providentia, quæ sicut feras non adeò multiplicari sinit, ut homini ubique insidientur, sed eas in montibus, ac desertis locis continet; sic & animalia cætera ante diluvium multiplicari permittebat, quantum usui humano pro eo tempore necessaria erant. His responsio patet fundamentis Natalis Alexandre, aliorumque oppositum opinantium. Ponderet Lector prudens; quidque sibi magis placuerit, eligat.

QUÆSTIO VII.

De peccati Originalis existentia.

Peccavit Adam, ut vidimus, frangens præceptum, sed non peccavit solus; in ipso enim peccante omnes peccavimus, omnes ejus peccato infecti fuimus. *Etenim illud peccatum* (inquit August. Serm. 4. de verb. Apost. nunc serm. 153. c. 11.) *non in fonte mansit, sed pertransiit: non in illum, aut illum, sed in omnes homines pertransiit*. Ex cænoso fonte omnes rivi, qui ab eo defluunt, eodem cæno sordidati oriuntur. Cùm enim fuerit peccatum non solius personæ, sed totius humanæ naturæ capitis, sorde, quâ ipse pollutus fuit, totam infecit, ac sordidavit naturam, quæ ex ipso seminali propagatione erat traducenda. Quare jure vocatum fuit peccatum originis, quia origine contrahitur; & distinguitur in originale originans, & originale quasi originatum. Illud est ipsum Adæ peccatum, quatenus fuit causa transfusionis sui ipsius in Posteros. Istud verò est ipsum peccatum, ut per originem transfusum in Posteros; & hoc propriè vocatur originale, quia origine contractum. Et de hoc præcipuè sermo erit in hâc, & sequentibus quæstionibus, queis primò investigabitur, an sit, & quomodo propagetur. Deinde quid sit. Tertiò quas ærumnas in universum genus humanum induxerit. Quintò quibus pœnis post hanc vitam puniatur.

DUBIUM I.

An omnes Homines de facto contrahant Originale peccatum?

§. I.

Errores recensentur.

I. Tanti ponderis, & momenti est hujus dubji determinatio, ut ex pecati originalis assertione plures fidei articuli firmentur, qui, eo sublato, evertuntur. Unde D. August. lib. 1. contra Julianum c. 6. *Quisquis* (inquit) *in Christianæ fide vult labefactare quod scriptum est: Per hominem mors ..... totum, quod in Christum credimus, auferre molitur*. Et lib. de peccato originali postquàm c. 23. proposuit varias quæstiones, in quibus salvâ fidei veritate licet alterutrum opinari, c. 24. subjungit: *Sed in causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus, à quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus, à quo missus est: in horum ergo duorum hominum causâ propriè fides Christiana consistit*. Sedulò igitur pertractanda est, & pro merito discutienda, & stabilienda.

II. Primus, qui seculo quarto adversùs peccati originalis traductionem mussitare cæpit, fuit Ruffinus Presbyter. In Actis enim Concilji Carthagi-

nensis contra Cœlestium, quæ refert S. Augustinus *lib. de peccato origin. c.* 3. interrogatus Cœlestius, quibus magistris hunc errorem didicisset, respondit: *Sanctus Presbyter Rufinus, Romæ qui mansit cum Sancto Pammachio, ego audivi illum dicentem: quia tradux peccati non sit*. Hoc idem de Rufino asserit Marius Mercator *in Commonitorio adversus heresim Pelagii*, dicens: eum fuisse, qui *hanc ineptam, & non minus inimicam rectæ fidei quæstionem, sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifice, Romam primus invexit*. Quia verò Mercator hunc Rufinum dicit natione Syrum, suspensos reddidit Eruditos; an iste Rufinus fuerit celebris Aquileensis Presbyter, ac Monachus à S. Hieronymo in Chronico ad *ann.* 377. recensitus, Origenis acerrimus defensor, ac Pelagiani dogmatis præformator; an verò alius personâ, & patriâ distinctus. Natalis Alexandr. *Secul.* 4. *hist. Eccl. c.* 6. *a.* 33. Aquileensem fuisse contendit, qui errorem hunc inter familiares quidem docuit, sed non prodidit. P. Garnerius autem, & Maurini, alium, nempè Syrum fuisse autumant. Huic tamen Controversiæ nos immiscere, instituti nostri non est.

III. Porrò qui contra peccatum Originale in apertum prodiit, fuit Pelagius, acerrimus divinæ gratiæ hostis (cujus personam, patriam, mores, errorerque superiùs descripsimus *Tom.* 4. *de Prædestin. q.* 3. *Dub.* 1. §. 1.) quem secuti fuere ejus discipuli Cœlestius, Julianus &c. Horum ergo capitale dogma, & veluti cæterorum basis erat: *Progenitores humani generis Adam, & Hevam mortales à Deo creatos, nec quemquam Posterorum sui prævaricatione transgressos læsisse; sed sibi tantùm nocuisse, seque mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitùs nullum. Hominesque esse peccatores imitatione, non* origine, & propagatione. Hæc paucis mutatis Mercator *in Commonit.*

IV. Cœlestius verò publicè ausus est hunc suum errorem per quinque sententias explicare, idest:

Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.

Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum.

Quoniam infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur; quia neque per Resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit.

Quoniam infantes, etsi non baptizentur, habent vitam æternam.

Ita Marius Mercator, inquit, unam, impiamque sententiam complectuntur.

V. Ex his inferebant primò Pelagiani. *Concupiscentiam, & libidinem non esse malam*. Unde ipsos patronos impudentissimos libidinis vocat S. August. *lib.* 3. *contra Julian. c. ultimo*.

Secundò. *Ignorantiam, & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia, dicebant esse naturæ*. Ex S. August. *lib. de dono persever. c.* 11.

Tertiò. *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem*. Quam propositionem cùm Pelagiani assererent de quacumque ignorantia, non solùm invincibili (ut perperam existimat Jansenius) sed etiam vincibili, quæ aliquomodo involuntaria, & necessaria dici potest in se; ideò tanquam error à Palæstinis Judicibus, teste S. August. *lib. de Gest. Pelagii c.* 18. reputatur.

Quartò. Mortem, cæterasque humanæ vitæ miserias peccati pœnam esse inficiabantur. Ita S. August. *l.* 2. *Oper. imperfecti contra Julian. c.* 236. Pelagianos increpans, ait: *Quas miserias vos cùm sine ullo peccato accidere dicitis parvulis, injustum Deum verò vos facitis*.

Quintò. Parvulis sine Baptismo morientibus vitam æternam promittebant, extra tamen regnum Cœlorum, quod

quod solis baptizatis tribui asserebant. Hoc testatur S. August. *l. de Haeres. c.* 88. dicens: *Promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen aeternam, & beatam quamdam vitam suam.* Et l. 1. de Anima, & ejus origine c. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, Regnumque Calorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quasi medium locum. Hoc enim eis etiam haresis Pelagiana promittit.* Pelagianis tamen impior fuit Calvinus, qui fatetur originale peccatum; & tamen pueros ex fidelibus ortos, etsi absque baptismo decedant, in Regnum Cœlorum admittit *lib. 4. Instit. cap.* 15. §. 20. quem sic redarguisset Augustinus citatus. *Iste autem cùm confiteatur parvulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam Regnum Cœlorum non baptizatis ausus est polliceri: quod nec illi ausi sunt, qui eos asserunt sine ullo prorsus esse peccato. Ecce qualibus se laqueis prasumtionis innectat.*

VI. Errorem hunc Pelagianum, Augustini, & Africanorum Antistitum ex opera extinctum, Constantino III. Heraclii filio imperante, ac Theodoro Pontifice circa annum 640. excitarunt Armeni credentes, Adamum sibi tantùm nocuisse, parvulosque ex parte Adami nullam contrahere culpam, seu pœnam. Fatebantur tamen, Baptismum esse ipsis necessarium ad vitam aeternam consequendam, sine quo parvuli eam non consequerentur; non quidem propter peccatum originale, sed propter privationem gratiae, quae in parvulis solâ gratiâ baptismali tolli potest. Hoc tamen addebant discrimen inter parvulos morientes sine baptismo; quòd si filii fidelium sint, collocentur in Paradiso terrestri; si autem infidelium, aut haereticorum, in Infernum cum parentibus suis detrudantur.

VII. Seculo octavo, anno 716. Constantino Sexto Imperatore, & Leone Tertio Rom. Pontifice, Albanenses inter multos turpissimos errores, hunc quoque adoptarunt, nimirùm, peccatum originale nihil esse; ideòque parvulos nullâ originali labe maculatos nasci, aut Baptismo egere. In hoc luto seculo 13. anno 1216. Friderici II. Imperatoris, & Innocentii III. temporibus turpiter haeserunt Albigenses, Baptismum ceu inutilem, & supervacaneum rejicientes; eò, quòd nullum hominem peccasse in Adam existimarent.

VIII. Ex Haereticis verò recentioribus hâc eâdem fuligine tincti fuere Hulricus Zuinglius Canonicus Constantiensis, qui anno 1525. veterum haeresum innovator factus, hanc etiam ex Pelagio docuit de peccato originali, quòd sit tantùm naturae morbus, non peccatum. Item Joannes Westphalus Germanus Doctor, & Concionator insignis habitus sub Carolo V. Imperatore, & Clemente VII. Pontifice, Sectâ Lutheranus, evulgare cœpit anno 1533. inter alia nullum esse peccatum originale, nec parvulos recens natos, aut conceptos illud contrahere, nec credendum esse Augustino hoc asserenti: putabat enim peccatum in homine esse non posse, nisi voluntariâ commissione.

IX. Sociniani tandem, quorum originem, & errores supra *Tom. 4. Tract. de Trinit. Qu. 1. Dub. 1. §. 1. n. 14. & Dub. 2. §. 1. nu. 6.* qui hodie per Hollandiam, Angliam, aliasque infectas nationes grassantur, Trinitatis Mysterio everso, Christo divinitate spoliato, Ecclesiâ à suis cardinibus evulsâ, in peccatum quoque originale insurgunt, dicentes primò. Hominem ante lapsum non fuisse immortalitate donatum; nec mortalitatem, neque mortem naturalem per peccatum intrasse in Mundum, sed moriendi necessitatem, & mortem aeternam.

Secundò. Justitiam originalem in primo homine nullam fuisse.

Tertiò. Peccatum originale nullum esse.

Quartò. Baptismum non esse praeceptum, nec necessarium, nec eo ritu infantes regenerari. Haec, aliaque ex

ex Socino Sectæ auctore refert Alexander noster *Hist. Eccles. sec.* 15. & 16. *cap.* 2. *a.* 13. §. 4.

X. Præterire non possum, inter negantes ab Adam trahi peccatum originale, ante Pelagianos fuisse etiam Manichæos, alio tamen principio motos: quia nimirùm carnem putabant ab initio malam, animam verò colligatione cum carne coinquinari. Ita S. August. *lib.* 4. *contra Epist. fundam. cap.* 4. dicens: *In eo sanè, quòd dicunt* (Pelagiani) *per Adam mortem ad nos transisse, non crimina, non habent adversarios Manichæos: quia nec ipsi adstruunt originale peccatum ex homine primo priùs puro, & recto corpore, ac spiritu, & postea per arbitrium liberum depravato, deinceps in omnes cum morte transisse, & transire peccatum: sed carnem dicunt ab initio malam de malo corpore, & à malo spiritu, & cum malo spiritu creatam; animam verò bonam, partem scilicet Dei, pro meritis inquinationis suæ per cibos, & potum, in quibus antea colligata est, venire in hominem; atque ita per concubitum carnis vinculo alligari... Ac per hoc Manichæi consentiunt Pelagianis, non crimen primi hominis transisse in genus humanum, neque per carnem, quam nunquam dicunt fuisse bonam, neque per animam, quàm perhibent cum meritis inquinamentorum suorum, quibus polluta est ante carnem, venire in hominis carnem.*

XI. Ecclesia tamen Catholica quovis seculo peccatum originale confessa est; illudque negantes tanquàm Christianæ fidei eversores anathemate detestata est. De hoc Catholico dogmate tractat D. Tho. 1. 2. *q.* 81. 82. & 83. Quia verò nobis propositum fuit omnia huic tractatui ingerere, quæ ad hominem, ejusque statum pertinent; idcircò peccati originalis existentiam hoc dubio, & cætera, quæ de ipso disputari solent tùm inter Catholicos, & hæreticos, tùm inter Catholicos ipsos, discutimus.

§. II.

Existentia Originalis peccati ex Scripturis.

XII. Hanc veritatem utrumque Testamentum Vetus, & Novum manifestat. Primum testimonium ex Veteri sumitur ex illo Genes. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Quæ ponderans D. Augustinus lib. de pecc. origin. cap. 30. *Quid enim* (inquit) *mali, quæso, parvulus propriâ voluntate commisit, ut alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tàm severâ, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis metus incussus est, cùm de justis, quando moriebantur, tunc potiùs diceretur, & appositus est ad populum suum, vel appositus est ad Patres suos; quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separet à populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei.* Et c. 31. pergit dicens: *Quid sibi ergo vult, pro nullo propria voluntatis admisso, tanta damnatio? Neque enim sicut nonnulli secundùm Platonicos opinantur, hoc unicuique infantis anima redditur, quod ante istam vitam suâ voluntate commisit, cùm haberet ante hoc corpus, vel benè, vel malè liberum vivendi arbitrium; cùm Paulus Apostolus apertissimè dicat: nondum natos nihil egisse boni, vel mali.* Quare concludit: *Unde ergo rectè infans illâ perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & justè intelligitur ex Adam natus antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit, non secundùm debitum, sed secundùm gratiam liberatus?*

XIII. Secundum testimonium exhibet Job. 14. *v.* 4. qui secundùm Versionem lxx. *Nemo* (inquit) *mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Et secundùm Vulgatam sic ad Deum ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semi-*

semine? nonne tu qui solus es? Quænam, quæso, est sordes, à qua nec infans unius diei mundus est, nisi ea, quam contraxit, quia semine immundo immunditiâ culpæ conceptus. Hanc enim solus Deus potest abstergere, sordes namque corporis diluere homines possunt.

XIV. Tertium exhibet David Psal. 50. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.* Vel, ut vertit S. Hieronymus, *in iniquitate conceptus sum: & in peccato peperit me mater mea.* Porrò quænam est iniquitas, in qua se conceptum, quodnam peccatum, in quo se partum fuisse dicit David? Certè non personale parentum, cùm ex sancto conjugio fuerit conceptus, non fornicario, aut adultero; ergo fuit peccatum origine contractum ab Adam. Propterea S. Augustinus enarrat. in præfatum Psalm. *Suscepit* (inquit) *personam generis humani David, & attendit omnium vincula, propaginem mortis consideravit, originem iniquitatis advertit, & ait:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Numquid David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo, & conjuge ipsius? Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.*

XV. Ex Novo Testamento primum, ac præcipuum dat Paulus *Rom. 5. v. 12.* dicens: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus ita discurro. Per unum hominem in hunc Mundum intravit quoddam peccatum, quod omnes homines fecit peccatores, & morti obnoxios: at hujusmodi peccatum nequit esse in unoquoque actuale, seu actuali uniuscujusque voluntate commissum, quia non dixisset Paulus; *Per unum hominem intravit,* sed dixisset: *Per unumquemque intravit;* quilibet enim esset auctor peccati, & mortis suæ, quod tamen est falsum: cùm infantes morti sint obnoxii, & sæpè moriantur, antequam quidquam mali, aut boni propriâ voluntate egerint; ergo est peccatum, quod ab uno in omnes unà cum morte pertransiit. Hic autem unus debuit esse omnium hominum primus, nempe Adam, aliàs non in omnes homines ab illo peccatum, & mors pertransissent. Peccatum autem, quod ab uno primo in Posteros pertransit, non aliâ viâ, quàm originis transit; quia cùm peccante illo, omnes in eo peccaverint, peccatum ipsius velut capitis in omnia membra diffunditur. Unde ait Paulus: *In quo omnes peccaverunt.*

XVI. Ut vim hujus Paulini testimonii, quo mirè premebantur, evaderent Pelagiani, respondebant: revera per unum, nempè Adamum, peccatum intrasse in Mundum, & in Posteros pertransisse, non origine, & propagatione, sed imitatione. Ita ut, Adam peccando, viam peccandi Posteris suis aperuerit, eosque exemplo suo ad peccandum pellexerit. Non verò ita, ut peccatum primi Parentis in nobis sit, nosque peccatores efficiat: ideòque ullum in nobis ex Adamo originale peccatum derivari negabant.

XVII. Sed hanc responsionem esse contra mentem Apostoli, pluribus modis apertè ostenditur. Primò. Nam Paulus ibi *v. 17. 18. & 19.* antithesim constituit inter Adam, & Christum, quòd sicut *unius* (Adæ) *delicto mors regnavit per unum: sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sicut enim per unius inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ita *multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: ita & per unius obeditio-*

ditionem justi constituentur multi. Eo igitur modo per unum hominem Adam (dicit Paulus) invectum esse peccatum in homines, sicut per Christum collata justitia est: sed justitiam à Christo imitatione solâ acceptam nemo dixerit. Nam & veteres Sancti, qui Christum præcesserunt, ideòque non potuerunt eum imitari, justitiam tamen suam Christo acceptam referunt; & parvuli, qui Christum sicut non cognoscere, ita nec imitari possunt, per Christum justificantur; ergo nec peccatum ab Adamo diffunditur imitatione solâ, sed carnali generatione, sicut à Christo justitia spirituali regeneratione transfunditur. Et hoc est constitui peccatores per inobedientiam Adæ, sicut constituimur justi per obeditionem Christi, ut dicit Paulus.

Secundò. Si peccatum intrasset in Mundum per Adam, quia præcisè fuit primus inter homines, qui peccavit, & aliis dedit exemplum peccandi; pari ratione debuisset dicere Paulus justitiam intrasse in Mundum per Abel, quia Abel primus fuit inter homines, qui justitiam coluit, & exemplum aliis dedit eum imitandi; & per Abraham intrasse fidem in Mundum, quia exemplo suo omnibus in fide prævivit, unde *Pater credentium* dictus est. Et tandem dicere debuisset, peccatum intrasse in Mundum per Diabolum, quia primus fuit, qui peccavit, & quem peccando etiam ipse Adam imitatus est. Ita S. August. *Epist.* 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium cap.* 3. his verbis: *Si quemadmodum illi dicunt, propterea ista commemorasset Apostolus, ut intelligeremus, ad primum hominem peccatores ideò pertinere, quia non delictum ex illo nascendo traximus, sed eum imitando peccamus; Diabolum potiùs poneret, qui & primus peccavit, & de quo nullam substantiæ propaginem traxit genus humanum, sed eum solâ imitatione secutum est. Unde dicitur* (Job. 8. 38.) *pater impiorum. sicut noster dicitur pater Abraham propter imitationem fidei, non propter originem carnis. Nam ideò de ipso Diabolo dictum est* (Sap. 2. 25.) Imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius. *Deinde si propter imitationem hoc loco Apostolus commemoraret primum hominem, quia primus peccatum in hominibus fecit, ut ideò ad illum omnes homines peccatores diceret pertinere; cur non Sanctum Abel posuit, qui primus in hominibus justus fuit, ad quem justi omnes propter imitationem justitiæ pertinerent? Sed posuit Adam, contra quem non posuit nisi Christum; quia sicut ille homo delicto suo vitiavit posteritatem suam; sic ille Deus homo justitiâ suâ salvavit hæreditatem suam. Ille trajiciendo carnis immunditiam, quod non poterat impius Diabolus; ille donando spiritus gratiam, quod non poterat Abel justus.*

XVIII. Hoc idem repetens lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 9. *Si Apostolus* (inquit) *peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc Mundum, non propagatione, sed imitatione intraverit; ejus principem non Adam, sed Diabolum diceret, de quo scriptum est* (1. *Joh.* 3. 8.) Ab initio Diabolus peccat. *De quo etiam legitur in libro Sapientiæ* (*c.* 2. 24.) Invidiâ autem Diaboli mors intravit in Orbem terrarum. *Nam quoniam ista mors sic à Diabolo venit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, sed quòd eum fuerint imitati, continuò subjunxit*: Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. *Proinde Apostolus cùm illud peccatum, ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit, à quo propagatio generis humani sumsit exordium*. Deinde ostendens, quòd sicut justi imitantur quidem justitiam Christi, sed præter hanc imitationem gratia ejus justitiam nostram intrinsecùs operatur: sic licèt peccatores imitentur Adam dùm peccant, adhuc tamen ab eo nascendo peccatum traxerunt, concludit: *Sicut ergo ille, in quo omnes vivificantur, præter quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam laten-*

catenter infundit, & parvulis: sic & ille, in quo omnes moriuntur, præter quòd eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occultâ etiam tabe carnalis concupiscentiæ sua tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes.

XIX. Respondent secundò, Paulum sumere peccatum metonymicè pro pœna, seu effectu peccati; & sensum esse, quòd per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, hoc est, peccante uno homine morbus quidam, & pronitas ad peccandum, mortalitas, aliæque ærumnæ in Mundum intrarunt: hæc enim, quæ effectus peccati sunt, metonymicè peccatum vocavit Apostolus. Ita Zuinglius in hunc locum.

XX. Sed contra primò. Quamvis interdum peccatum pro pęna peccati accipiatur in Scripturis, quo sensu concupiscentiam peccatum appellat Paulus, ut dicemus; nusquam tamen Scriptura affirmat peccare, aut peccatorem esse quempiam ob hoc solùm, quòd in eo sit effectus, vel causa peccati: sed Paulus dicit, quòd peccato Adæ, seu in Adam *omnes peccaverunt*, ejus *inobedientiâ peccatores constituti sunt multi*, imò eodem modo, quo Christi obeditione justi constituuntur multi; ergo cùm ex Christo non solùm effectus justitiæ, sed justitia ipsa derivetur; ita ex Adam non solus peccati effectus, sed peccatum ipsum in omnes transfunditur: hoc enim est constitui peccatorem, sicut est constitui justum.

XXI. Contra secundò. Paulus dicit, per unum hominem peccatum introivit in Mundum, & per peccatum mors: at si nomine peccati intelligeretur non peccatum ipsum, sed effectus peccati, nimirum vel mors, vel pronitas ad peccandum, fieret sensus incongruus, vel falsus. Nam si per peccatum sumatur mors, fiet sensus: Per unum hominem *mors* introivit in Mundum, & *per mortem mors*, qui sensus incongruus est. Si verò per peccatum sumeretur pronitas ad peccandum, fieret sensus: mortem ex propensione ad peccandum natam esse, qui sensus omnino falsus est. Non enim propensionis ad peccandum, sed *peccati stipendia* mors est (ait Paulus Rom. 6. v. 23.) Nec Deus Adamo mortem comminatus est ob pronitatem ad peccandum, sed ob actualem violationem præcepti eidem imp[osi]ti: *In quacumque* (inquit) *die comederis ex eo, morte morieris.*

XXII. Contra tertiò. Injustè infligitur pœna derivata ex culpa alterius ei, qui nullo modo cum ipso, vel in ipso peccavit, aut illius criminis particeps est; ergo si Adæ Posteri secum non traherent Adæ culpam, nec cum eo, & in eo peccassent, injustè peccati illius effectus, ac pœnas portarent, & maximè extremi supplicij. Sicut injustè à Principe extremo supplicio statuerentur devoti in perpetuum posteri descendentes à parentibus læsæ majestatis reis, nisi parentum crimen, & labes, in omnes propagaretur, omnesque ejusdem delicti conscii essent.

XXIII. Respondent tertiò. Peccatum, de quo loquitur Paulus, non esse peccatum originale ex Adam in filios propagatum, sed peccatum actuale; quia per peccatum actuale Adami, seu quando Adam peccavit, peccatum actuale cæpit esse in Mundo, quia Adam erat pars Mundi, & subinde in aliis. Ita Zuinglius *l. de Baptismo*.

XXIV. Sed contra. Nam si hæc interpretatio valet, potiùs per Diabolum, qui omnium primus peccavit, peccatum introisset in Mundum, ut supra dicebamus. Quòd si Zuinglius intelligat de Mundo corporali, cujus Angelus non est pars; nec etiam Adam primus peccavit, priùs enim peccavit Heva, deinde ejus suasione peccavit Adam; ergo per Hevam potiùs, quàm per Adam, peccatum in Mundum intrasset.

XXV. Confirmantur dicta ex S. Augustino *lib. 4. contra duas Epist. Pelagian.*

lagian. cap. 4. ubi Pelagianos perstringit sic primò. *Pelagiani quomodo dicunt*, solam mortem ad nos transisse per Adam? *Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccavit: pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes parvulos injusto supplicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis.* Secundò. Ibidem post multa: *Ubi enim* (inquit) *ait Apostolus:* Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, *ibi volunt intelligi, non peccatum pertransisse, sed mortem. Quid est ergo, quod sequitur*, in quo omnes peccaverunt? *Aut enim in illo uno homine peccasse dicit omnes Apostolus, de quo dixerat*, peccatum intravit in Mundum: *aut in illo peccato, aut certè in morte..... Quodlibet ergo eligant. Aut enim in illo homine peccaverunt omnes, & ideò dictum est, quoniam quando ille peccavit, in illo erant omnes: aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes: aut restat, ut dicant, quòd in illa morte peccaverint omnes. Sed hoc quemadmodum possit intelligi, non planè video. In peccato enim moriuntur omnes, non in morte peccant. Nam peccato præcedente mors sequitur, non morte præcedente peccatum.... Sicut venenum si bibitur, appellatur poculum mortis, quòd eo poculo facta sit mors; non quòd morte sit poculum factum, aut à morte sit datum.* Quæ Augustini dicta benè notanda sunt, omnes enim Contrariorum evasiones præcludunt.

XXVI. Secundum ex novo Testamento pro hac Catholica veritate argumentum sumitur ex eodem Paulo 2. Cor. 5. v. 14. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Quibus relatis: *Nega igitur* (inquit August. Juliano l. 6. c. 9.) *Christum etiam pro parvulis mortuum, at eximas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum.* Quì fieri potest, *iniquis*, ut res arbitrii conditioni feminum misceatur? *Si fieri non posset, non esset, unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt: quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Audisne Juliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt.*

XXVII. Tertium ex eodem depromitur ad Ephes. 2. v. 3. *Et eramus naturâ*, hoc est à nativitate, & origine, *filii iræ*, hoc est iræ divinæ obnoxii, propter peccatum, quod cum natura traximus ex Adam, *Sicut & cæteri* ex Adam prognati gentiles. Super quæ D. Thomas lect. 1. *Eramus* (inquit) *naturâ, idest per originem natura, non quidem natura ut natura est, quia sic bona est, & à Deo, sed natura ut vitiata est.* Filji iræ, *idest vindicta, pœna, & gehenna; & hoc* sicut cæteri, *idest gentiles.* Hoc testimonio se victum fatetur Calvinus ipse in Comment. hujus loci dicens: *Locus est insignis adversus Pelagianos, & quicumque peccatum originale negant. Nam quod naturaliter inest omnibus, id certè originale. Naturaliter verò nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet; ergo peccatum in nobis hæret, quia Deus non damnat innocentes. Pelagiani cavillabantur, peccatum ab Adam in universum humanum genus propagatum esse, non origine, sed imitatione: sed Paulus nos cum peccato gigni testatur, quemadmodum serpentes suum venenum ex utero afferunt.*

Quia verò Pelagiani reponebant, vocem græcam, pro qua nos habemus *naturâ*, etiam significare, *prorsùs*, vel *omninò*; respondebat S. August. lib. 6. contra Julian. c. 10. *Quod autem dicis*, ubi ait Apostolus naturâ filji iræ, posse intelligi prorsus filji iræ: *nonne hic admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi Catholicam fidem, quia non ferè invenitur latinus codex, si non à vobis nunc incipiat emendari, vel potiùs in Mundum mutari, ubi non* naturâ *sit scriptum? Quod utique cavere*

vere debuit Interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hac esset antiquitas, cui vestra capit resistere novitas.

§. III.

Eadem veritas ex Conciliis.

XXVIII. Audito errore Pelagii, quid egerit Ecclesia contra illum, descripsimus superiùs *Tom. 4. Tract. de Pradest. q. 3. dub. 1. §. 1. num. 2. 3. &c.* Damnatus Cœlestius Pelagii discipulus anno 412. in Concilio Carthaginensi sub Aurelio, atque in Orientem (quò pariter se receperat Pelagius) profectus, ibi errorem sui Magistri edito l bro evulgare cœpit. Quo commoti Antistites Palæstinæ duplicem Synodum eodem anno 415. Hierosolymis unum, Diospoli alterum convocarunt, cui Episcopi 14. interfuerunt. Utriusque meminit S. Augustinus *lib. de Gestis Pelagii*. Utrique astitit compulsus Pelagius; capita errorum ei objecta fuere. Negavit ille, quæ sibi opponebantur de peccato originali, sua esse, nempè, *quòd peccatum Ada ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem &c.* Quamvis tamen à se non dicta, tamen se anathematizare protestatus est his verbis (ut in Actis ejusdem Synodi t. 1. Concil. Harduin. col. 2011.) *Reliqua verò, & secundùm ipsorum testimonium, à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo. Sed tamen ad satisfactionem Sanctæ Synodi anathematizo eos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt*. Ita Pelagius. Cumque nullus esset, qui ejus mendacium detegeret (*absentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere*, ut ait S. August. *l. 2. Retract. c. 47.*) fictâ ejus ejuratione decepti Antistites, dogma quidem condemnaverunt, sed Pelagii personam Catholicè sentire hoc decreto declararunt: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat, & anathematizat, communionis Ecclesiasticæ eum esse, & Catholicæ confitemur.*

XXIX. Hâc eâdem deceptione se primò detentum fatetur S. Augustinus *l. de peccato Origin. c. 14.* adeò enim faciles Judices Palæstinos, ut sibi ab hæretico fucum fieri finerent, non existimavit: suam tamen deceptionem, cùm Pelagii libros legit, agnovit. *Quod autem* (inquit) *scitis, & quod in eo etiam libro posui, quem de gestis Palæstinis ad venerabilem senem nostrum Aurelium scripsi, illâ ego responsione Pelagii, totam istam quæstionem consumtam esse gaudebam; confessusque mihi apertissimè videbatur, esse in parvulis originale peccatum, anathema dicendo eis, qui peccato Adæ ipsum solum, non etiam genus humanum crederent læsum...... Sed postea eùm legissem quatuor ejus libros...... & invenissem, hominem adhuc contra Catholicam fidem de parvulis sentientem; plùs mirari cæpi tam impudens in Ecclesiastico judicio, & de tanta quæstione mendacium*. Et post multa: *In eisdem quippe libris, & contra peccati ex Adam in parvulos transitum loquitur, & de gestis Palæstinæ Synodi gloriatur; ubi eos, qui sic tenent, veraciter damnasse putatus est, & absolutionem fallendo furatus est.*

XXX. Pelagii fraude detectâ Africani Præsules Carthagine Congregati litteras dederunt ad Innocentium I. Papam anno 416. quo eodem anno celebrarunt Concilium Milevitanum secundum (quod totius Africæ Plenarium ab aliis dicitur) cui S. Augustinus interfuit, & ex quo ad præfatum Innocentium unà cum aliis Episcopis litteras dedit. In ejus *Canone* 2. ita statuitur: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere origina-*

lis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in Mundum .... *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.*

XXXI. Idem sanxit Concilium Arausicanum II. anno 529. *Can.* 2. statuens. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod est mors animæ per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quibus hoc Concilium prævenit, ac prædamnavit etiam errorem Zuinglii, & recentiorum Socinianorum, qui, ut supra vidimus, nomine peccati, quod per unum hominem in Mundum intravit, intelligunt mortem corporis, & alios effectus peccati, non verò peccatum ipsum.

Hunc errorem confixit tandem Tridentinum *sess.* 5. quod repetens, & innovans Decreta Conciliorum Milevitani, & Arausicani Can. 2. *Si quis* (inquit) *Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & receptam à Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit; cùm contradicat Apostolo dicenti;* Per unum hominem &c.

§. IV.

Eadem veritas probata ex Patribus.

XXXII. Quòd peccatum primi Parentis traducatur per originem in ejus Posteros, ideòque isti in peccato originali nascantur, probat S. Augustinus *lib.* 1. *contra Julian. c.* 3. auctoritate Patrum Irænei, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambrosii, quorum textus ibi adducit. Inde *cap.* 4. ad Julianum conversus: *I nunc* (inquit) *& mihi objice originale peccatum: dissimula ab istis, finge te nescire quid dicant, & Sancta Ecclesia tot, tantisque Doctoribus, qui vitâ optimè gestâ, debellatisque suorum temporum erroribus, gloriosissimè de hoc seculo, antequàm vos ebullıretis, exierunt, velut eis non visis, in me impetum faciens, & velut nesciens, quòd illi sub meo nomine lacerentur, tanquàm securus insulta.* Deinde provocato Juliano, ut respondeat Innocentio I. Rom. Pontifici, *Huic responde* (inquit) *immò ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio, & dic, unde imago Dei tàm capitali supplicio puniatur, ut vitâ privetur, si peccatum à nascentibus originale non trahitur.* Quia verò familiaris Pelagianorum calumnia erat, confitentes peccatum originale veluti Manichæos traducere, subdit: *Sed quid dicas, aut quid respondeas, qui etiamsi beatum audeas Innocentium, non audebis tamen Christum dicere Manichæum?* Inde *cap.* 5. præfatis Patribus addit Gregorium Nazianzenum, Basilium, & alios Orientales Episcopos quatuordecim, à quibus se damnari timens Pelagius, quamvis fraudulenter, anathematizavit tamen eos, qui dicunt, *quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum &c.* ut superiùs vidimus *cap.* 6. prædictis adjungit S. Jo. Chrysostomum, & *cap.* 7. S. Hieronymum.

Ipse verò S. Augustinus hoc fidei dogma

dogma strenuè propugnavit tribus libris *de Peccat. meritis, & remiss.* uno *de Peccato originali*; duobus *de nuptiis, & conupiscentia*; sex *contra Julianum*; quatuor *contra duas Epist. Pelagianorum*, & alibi passim. A' præfatorum ergo testimoniis adducendis abstineo, quia ea apud August. *l. 1. contra Julian.* citatis capitibus legere Studiosus poterit. Quia verò adeò explorata est in hoc dogmate Augustini mens, cùm nihil in eo frequentius; propterea in ejus auctoritatibus adducendis, præter jam dicta, judico superfluum immorari.

XXXIII. Præter Patres à S. Augustino relatos, & apud ipsum videndos, afferri possunt primò Justinus, qui *Dialogo cum Triphone* dicit, Christum non ideò venisse ad Baptismum in Jordane, quia vel Baptismi lavatione, vel adventu Spiritus Sancti ei opus esset: *Sed humani generis causâ, quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis conciderat: ut interim propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam.* Quibus non solùm homines credidit purgari per Christum à culpa actuali, & propriâ, sed ab alia, in quam totum genus humanum per Adam inciderat.

XXXIV. Secundò Tertullianus originalis peccati variis in locis testis est. *l. de Testim. animæ c.* 3. Diabolum vocat malitiæ Angelum, *per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit*. Lib. de Resurrection. carnis cap. 34. *In primis* (inquit) *cum ad hoc venisse se dicit* (Christus) *uti quodquod perjit, salvum faciat. Quid dicas, periisse? hominem sine dubio. Totumne, an ex parte? utique totum. Si quidem transgressio, quæ perditionis humanæ causa est, tàm animæ instinctu ex concupiscentia, quàm & carnis actu ex degustatione commissa totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui totus perjit delinquendo.* Idem fatetur l. de Carne Christi c. 16. & 17. & lib. 5. adversùs Marcion. cap. 17. *Apparet communi natura hominum, & delicta, & concupiscentias carnis, & incredulitatem, & iracundiam deputari, Diabolo tamen captato naturam, quam & ipse suam fecit delicti semine illato.*

XXXV. Tertiò Origenes *Homil. 8. in Levit. Homil. 3. in Cantic. Homil. 14. in Lucam* peccatum originale expressè fatetur. Et lib. 6. in Epist. ad Romanos: *Omnes* (inquit) *nos homines, qui ex semine viri cum muliere convenientis concepti sumus, illâ necessariâ utimur voce, quam dicit David: Quoniam in iniquitate concepit me mater mea. Verùm qui ex nulla viri contagine, sed solo Spiritu Sancto super Virginem veniente, & virtute Altissimi obumbrante venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentia motu conceptis traditur, omnino non habuit.*

§. V.

Probatur ratione Theologicâ.

XXXVI. AD probandam existentiam peccati originalis rationes quidem naturales non adsunt; rationes tamen Theologicæ, suppositâ fide, Patribus non defuerunt.

Prima est, quam S. August. *lib. de peccat. Origin. cap.* 30. produxit. Circumcisio fuit olim sub tanto terrore à Deo imperata, ut anima illa esset de populo Dei peritura, cujus præputii caro circumcisa non fuisset; peritura, inquam, damnatione non temporali, sed æternâ, ut supra ostendimus; ergo cùm Deus hominem perdendum non minetur, nisi ob culpam, anima illa non pronunciabatur peritura de populo Dei, nisi ob aliquam culpam. Porrò quam culpam puer vix natus propriâ voluntate commiserat, ut alio

lio negligente, & eum non circumcidente, puniendus esset damnatione tam severâ? Fatendum igitur est, aliquod aliud peccatum habuisse, ratione cujus filius iræ Dei nasceretur, non quidem actu proprio commissum, sed origine contractum.

XXXVII. Secunda ratio sumitur ex antiqua Ecclesiæ consuetudine pueros mox natos, & præcipuè quos timet morituros, festinanter deferendi ad Baptismum, tanquàm aliquâ maculâ abluendos. Quid enim minister dicit, ego te baptizo. seu mundo te lavacro in verbo vitæ, si in eis nihil est immundum, quod abluatur, & à quo mundetur? Cur etiam infantibus confertur Baptismus in remissionem peccatorum, si nullo peccato sunt obstricti? Quorsùm exorcismi, & exsufflationes, & abrenuntiatio Satanæ, si Diabolus eis non dominetur? Quâ verò ratione ipsis dominatur, si à peccato immunes sunt?

XXXVIII. Respondebant Pelagiani, infantes ad Baptismum deferri, non ut aliquâ culpâ mundentur, sed ut aditum in Regnum Cœlorum accipiant; quia, ut ait Christus Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Cæterùm etiam sine Baptismo vitâ æternâ potituros esse.

XXXIX. Sed contra primò. Ubi nam didicerunt Pelagiani, dari posse vitam æternam extra Regnum Cœlorum? Certè Scriptura nunc unum, nunc alterum ponit pro una, & eadem re. Et Matth. 25. *v.* 34. de iis, quibus ad dexteram positis dicit Christus: *Venite possidete paratum vobis Regnum*, statim subditur v. 46. *Ibunt in vitam æternam*. Propterea S. August. *Serm.* 14. *de verb. Apost.* nunc serm. 294. c. 2. *Hoc* (inquit) *novum in Ecclesia, priùs inauditum est, esse vitam æternam præter Regnum Cœlorum; esse salutem æternam præter Regnum Dei*. Deinde hoc ostendit, dicens: *Venturus Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram, & sinistram. Sinistris dicturus*: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. *Dextris dicturus*: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. *Hâc Regnum nominat: hâc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.... Ecce in dextra regnum cœlorum est*, percipite, *inquit*, Regnum. *Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra?* Ite in ignem æternum. *In dextra ad Regnum, utique æternum. In sinistra in ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra; ergo qui non in Regno, procul dubio in igne æterno.*

XL. Contra secundò. Eâdem ratione, quâ parvulos non baptizatos excludebant Pelagiani à Regno Cœlorum, eos debebant excludere à vita æterna. Quare enim excludebant eos à Regno Cœlorum; nisi quia non renatos in Christo per fidem, quæ in Baptismo suscipitur? At sine fide Christi nemo ad vitam æternam potest pervenire, Joann. 3. v. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira manet super eum;* ergo infantes sine Baptismo, sine fide, vitæ æternæ incapaces sunt. Sicut enim qui non nascitur, capax vitæ temporalis non est: ita qui non renascitur per fidem Baptismi, vitæ æternæ capax non est. Addo, infantes sine Baptismo Christiani non sunt. Vel ergo vitam æternam possidebunt non Christiani; vel eam infantes sine Baptismo non consequentur.

XLI. Tertia ratio esse potest. Quia Christus est Salvator, & Redemtor omnium non tantùm adultorum, sed infantium. *Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato?* (inquit August. *l.* 1. *de Peccat. merit. c.* 23.)

Quarta ratio sumitur ex miseriis, & in-

& indigentjis, quibus infantes præ cæteris animantibus obnoxji funt. Nafcuntur enim interdùm monftrofo, aut vitiato corpore: moriuntur etiam priufquàm potuerint peccare actualiter. Unde autem ifta in illis, fi omnis peccati expertes effent; cùm omnia, & præfertim mors, per peccatum intraverit in homines?

§. VI.

Pelagianorum Momenta ex Scripturis.

XLII. ADeò apparenter fortia erant, quæ Pelagiani in fui erroris patrocinium advocabant; ut Auguftinus ipfe *lib.* 3. *de Peccat. meritis c.* 4. quamvis fibi vifa fuerint folutu difficilia, adhuc tamen tenendam effe Catholicam veritatem pronuntiarit: *Ego autem etfi refellere iftorum argumenta non valeam, video tamen, inhærendum effe iis, quæ in Scripturis funt apertiffima, ut ex his revelentur obfcura; aut fi mens nondum eft idonea, quæ poffit ea, vel demonftrata cernere, vel abftrufa inveftigare, fine ulla hæfitatione credantur.* Hoc monito, tum in hâc, tùm in quacumque alia controverfa Catholica veritate inftructum volo Candidatum meum.

XLIII. Objiciebant ergo primò illud Ezech. 18. v. 20. *Anima, quæ peccaverit, ipfa morietur: filius non portabit iniquitatem patris:* fed fi, qui nafcuntur ex Adamo, ex illo traherent peccatum originis, jam filji portarent iniquitatem patris; ergo &c.

XLIV. Refpondeo exponendo textum. Filius non portabit &c. Si non fit particeps culpæ patris, concedo; fi fit particeps, nego. Ita S. Thom. 1. 2. q. 81. a. 1. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd filius dicitur non portare peccatum patris, quia non punitur pro peccato patris, nifi particeps culpæ. Et fic eft in propofito; derivatur enim per originem culpa à patre in filium, ficut & peccatum actuale per imitationem.* Imò ex hoc textu configuntur potiùs Pelagiani. Si enim conftat, quòd unus non portet pœnam iniquitatis alienæ, ficut nec filius iniquitatis patris; ergo cùm conftet, omnes etiam illos, qui nondùm poffunt peccare actualiter, ut infantes, portare pœnam iniquitatis Adæ, nempè mortem corporalem, aliafque miferias; confequens eft, quòd fint participes iniquitatis Adæ, quæ facta fit illis propria, ne dicantur portare pœnam iniquitatis alienæ. *Quidquid igitur pœnarum in hac ætate* (parvulus) *patitur, quo merito patitur, fi nullum ex parentibus traxit? Cùm juftiffimus Deus pœnas immeritas nec infligat alicui, nec infligi finat; nec dici poffit ad exercendam virtutem parvuli, quæ adhuc in eo nulla eft, hæc mala eum perpeti.* Ita S. Auguft. *lib.* 3. *Oper. imperf. contra Julian. c.* 49.

Hinc parvuli non portant iniquitatem Adæ, quæ nullatenùs fua fit, fed quæ facta fit fua contagione naturæ, quam accipit ab ipfo. *Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursùs modo quodam reperiuntur & noftra: aliena quippe proprietate funt actionis, noftra funt autem contagione propaginis. Quòd fi falfum effet, profectò grave jugum fuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, nullo modo juftum effet.* Hæc S. Auguft. *l.* 6. *contra Julian. c.* 10. Et D. Thom. q. 4. de Malo a. 1. ad 19. *Peccatum* (inquit) *primi Parentis eft quodammodo peccatum commune totius naturæ. Et ideò cùm aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, fed pro peccato fuo.*

XLV. Objiciebant fecundò illud Rom. 4. v. 15. *Ubi enim non eft lex, nec prævaricatio:* fed infantes recens nati non funt capaces ullius legis, aut præcepti, cùm careant ufu rationis; ergo nulla poteft in eis effe prævaricatio; ergo nullum peccatum. Ita arguebat quoque Zuinglius.

XLVI. Refpondeo primò, nullam effe confequentiam. Non enim dicit Paulus, ubi non eft perfonalis cognitio legis, nec eft prævaricatio; fed ubi

ubi lex non est, ibi nec prævaricatio est, quod utique verissimum est: nulla enim fingi potest prævaricatio, nisi sit lex, quæ prævaricando violetur. Quare arguit in quatuor terminis, nempè à non existentia legis ad non cognitionem personalem legis. Ex prima quidem sequitur negatio prævaricationis, at non ex secunda = Quare secundò respondeo, dist. consequ. nulla prævaricatio proprio actu commissa, conc. consequ. & de hac loquitur Paulus ibi. Origine, & nativitate contracta, de qua hìc sermo est, nego conseq. Probare autem debuisset Zuinglius, & non supponere, omne peccatum esse propriâ actuali voluntate commissum, & nullum esse peccatum origine, & nativitate contractum, quale est peccatum, quod dicimus contrahi à parvulis. Hi enim & possunt considerari, ut personâ distincti ab Adam; & sic incapaces sunt legis, quæ per ipsos impleri debeat, & consequenter etiam prævaricationis personalis. Et possunt considerari, ut erant in Adamo tanquàm in capite, & principio totius naturæ humanæ, cujus voluntas erat moraliter voluntas omnium, & cui lex facta censebatur omnibus facta; & hoc modo ipso prævaricante omnes cum ipso in ipso prævaricati sunt. *Non enim omnes peccatores terræ legem per Moysen datam prævaricarunt*; *sed tamen nisi aliquam prævaricassent, non appellarentur prævaricatores:* Ubi enim lex non est, nec prævaricatio. *Prævaricatâ ergo lege, quæ in Paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati, & mortis*. Hæc August. *Epist.* 89. *nunc* 157. *ad Hilar. c.* 3.

XLVII. Tertiò opponebant ex Paulo Rom. 5. multipliciter. Primo. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit;* ergo non generatione traducitur, quæ non per unum, sed per duos, marem, & fœminam completur; ergo imitatione.

Secundò. v. 14. *Regnavit mors ab Adam etiam in eos, qui non peccaverunt;* ergo ex quo mors in omnes transierit, non sequitur, quòd transierit peccatum.

Tertiò. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ità & per unius obeditionem justi constituentur multi* Ex quibus sic discurrebant. Si per Adę inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ergo peccatum Adæ derivatur ad Posteros non per generationem, quia sic derivatur ad omnes, sed solum per imitationem.

Neque potest dici, quòd Paulus *multos* posuerit pro omnibus. Nam Paulus facit comparationem inter inobedientiam Adæ, & obeditionem Christi, nempe quòd sicut per illam peccatores constituti sunt multi; ita per istam justi constituentur multi: sed non omnes homines constituuntur justi per Christum, quia non omnes ejus fidem recipiunt, sed solùm multi; ergo nec omnes homines, sed solùm multi constituti sunt peccatores per Adam. Alioquin delictum abundaret in plures, quàm gratia, & delictum superabundaret gratiæ; cujus tamen oppositum docet Paulus ibi. *vers.* 15. & 20.

XLVIII. Respondeo ad singula. Ad primum, nego consequ. Etsi enim generatio non perficiatur per unum, sed per duos, rationabiliter tamen Paulus *per unum* dixit, nempe Adam. Tum quòd vir sit causa præcipua generationis. Tùm quòd à solo viro peccatum traducatur. Tùm quòd ita petebat antithesis, quæ instituenda erat inter unum, & unum, primum, & novissimum, Adam, & Christum.

Juliano ita objicienti respondebat S. August. *l.* 2. *Oper. Imperf. cap.* 56. Primò. Quòd si non generatione, sed imitatione peccatum propagari intellexisset Paulus, dixisset, non *per unum*, sed *per unam*, nempe fœminam peccatum intravit. *Numquid enim Hevam non imitantur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumsit initium? A muliere initium factum*

ctum est peccati, & propter illam, sicut scriptum est (Ecclesiastici 25. v. 33.) *morimur omnes. Cur ergo non vis attendere, propterea potiùs Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum intravit in Mundum, quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi? Sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est: prior enim vir seminat, ut fœmina pariat; ideò per unum hominem peccatum intravit in Mundum, quia per semen generationis intravit, quòd à viro excipiens concepit fœmina: quo more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex fœmina.*

Respondet secundò *ibid. cap.* 57. dici posse, quòd etsi duo concurrant ad generationem, potuit tamen dicere Apostolus, unum esse hominem, per quem peccatum intravit in Mundum; quia dùm initur concubitus, vir, & uxor jam non sunt duo, sed una caro: cùmque tali concubitu traducatur originale peccatum, potuit bene dici, quòd per unum intravit.

XLIX. Ad secundum expono textum: In eos, qui non peccaverunt peccato actuali, sicut peccavit Adam, concedo; unde subditur *in similitudinem prævaricationis Adæ*. Qui non peccaverunt absolutè, nec peccato origine contracto, nego, & etiam illatum: peccat enim, quia procedit à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim valet: regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non pecaverunt in se ipsis, & actuali voluntate; ergo regnavit &c. etiam in eos, qui nullo modo, nec in Adam, ejusque peccato peccaverunt, cum in eo omnes peccaverint, ut ait Paulus: *in quo omnes peccaverunt*. Regnavit ergo mors &c. etiam in eos, qui non peccaverunt, *idest* (inquit Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 11.) *qui nondum suâ, & propriâ voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt*, qui est forma futuri: *quia in illo constituta est forma condemnationis futuris Posteris, qui ex ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur.*

L. Ad tertiam benè respondetur, per ly *multi* Paulum intellexisse *omnes*. Dixerat enim supra v. 12. *in quo omnes peccaverunt*. Et v. 18. *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.*

Ita S. August. *l. 6. contra Julian. c.* 24. ubi proposito exemplo Abrahæ, cui dicitur Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, cui *Genes.* 17. *v.* 5. dictum fuerat: *Patrem multarum gentium constitui te*; subiungit: *Ita etiam cùm dictum est, per unum in omnes transisse peccatum, & postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt* multi, *qui &* omnes. *Similiter cùm dictum est, per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ: & rursus dictum est per unius obedientiam justi constituentur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem multos omnes oportet intelligi.* = Neque obest instantia. Nam comparatio inter Adam, & Christum non stat in hoc, quòd sicut per Adam omnes de facto constituuntur peccatores, ita per Christum omnes de facto constituantur justi: sed quia sicut nullus constituitur peccator, nisi per Adam, ita nullus constituitur justus, nisi per Christum. *Non quia* (inquit August. laudato loco) *omnes homines justificantur in Christo; sed quia omnes, qui justificantur, non aliter possunt justificari, quàm in Christo: sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrant in eandem domum, sed quia nemo intrat, nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: idest ex prima origine generis humani nemo ad mortem, nisi per Adam, & nemo per Adam, nisi ad mortem; & nemo ad*

ad vitam, nisi per Christum, & nemo per Christum, nisi ad vitam.

Hanc eamdem instantiam sibi proponit D. Thomas *in c. 5. ad Rom. lect. 5.* dicens: *Sed videtur hoc esse falsum: non enim omnes homines justificantur per Christum, sicut omnes homines moriuntur per Adam.* Cui sic respondet: *Sed dicendum, quòd intelligendum est, quòd sicut omnes homines, qui nascuntur carnaliter ex Adam, incurrunt condemnationem per ejus peccatum: ita omnes, qui renascuntur spiritualiter, per Christum adipiscuntur justificationem vitæ, quia ut dicitur Jo. 3.* Nisi quis renatus fuerit denuò ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest &c. *Quamvis possit dici, quòd justificatio Christi transit in justificationem omnium hominum quantùm ad sufficientiam; licèt quantùm ad efficientiam procedat in solos fideles. Unde dicitur 1. Timoth. 4.* Qui est Salvator omnium hominum, maximè autem fidelium. *Ex hoc autem, quòd hìc dicitur, accipere debemus, quòd sicut nullus moritur, nisi per peccatum Adæ: ita nullus justificatur nisi per justitiam Christi, quæ quidem est per fidem ipsius.*

Ad id, quod additur, respondet S. August. *l. 1. de peccat. Meritis c. 11.* quòd gratia Jesu Christi abundavit in plures, seu in multos, *non* magis multos, *idest multò plures homines; neque enim plures justificantur, quàm condemnantur; sed* multò magis abundavit. *Adam quippe ex uno delicto suo reos genuit: Christus autem etiam quæ homines delicta propria voluntatis ad originale addiderunt, gratiâ suâ solvit, atque donavit.*

LI. Quartò. Opponebant ex eodem Paulo 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum;* ergo illi soli damnandi erunt, qui propria peccata admiserunt.

LII. Respondeo, nego consequ. Aliàs oporteret parvulos baptizatos excludi à Regno Dei, cùm nec ipsi aliquid in corpore gesserint, unde referant bonum. Deinde si parvuli nihil gesserunt in corpore, unde referant malum; cur Pelagiani parvulos non baptizatos excludebant à Regno Dei?

Huc igitur spectat acutum ratiocinium, quo S. Aug. *l. 6. contra Julian. c. 10.* ita eum perstringebat. Hoc Pauli dictum, quod commemoras, *quomodo in parvulis accipis? Utrum & ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque, quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quòd per corda, & ora gestantium sive credunt, sive non credunt?... Nam quomodo reportat bonum, ut intret in Regnum Dei, si hoc reportat quisque quod gessit; nisi quia pertinet ad parvulum etiam, quod per alterum gessit, idest credidit? Sicut itaque quòd credidit, pertinet ad eum, ut reportet bonum, hoc est percipiat Dei Regnum: sic ad eum pertinet etiam, si non credidit, ut reportet condemnationis judicium, quia Evangelica est & ipsa sententia:* Qui non crediderit, condemnabitur. *Et Apostolus dicendo:* Omnes nos manifestari oportet &c. *nihil voluit intelligi medium. Vide ergo, quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis, eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei Regnum. Alienum quippe opus est, cùm credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cùm peccavit in altero. Nec nos dubitamus, quia Baptismate delictum omne mundetur, sed renascendo quisque mundetur. Quod ergo non adimit nisi regeneratio, non cessat trahere generatio.* Ita acutè de more S. Augustinus.

§. VII.

§. VII.

Pelagianorum momenta ex Patribus.

LIII. PRæcipuum suæ causæ Patronum esse S. Jo. Chrysostomum sibi adulabantur Pelagiani, quem propterea summis laudibus extollebant. *In numero eruditorum, & Sanctorum excellentissimum*, eum vocabat Julianus apud S. Aug. *l. 1. contra Julian. c. 6.*

Primò ergo Chrysostomum laudabant, quòd *Homil. ad Neophytos* dicat: *Parvulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi.* Quid clarius?

Secundò. *Homil. 10. in Epist. ad Rom.* expressè dicit, Adamo peccante, homines quidem corpore mortales effectos. *At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse; id verò quam (obsecro) congruentiam, consequentiamque habeat? Invenietur enim nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, si quidem non ex se ipse peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc*, peccatores, *significat? mihi videtur tantumdem significare, quantum illud, supplicio obnoxii, ac mortis rei.*

Tertiò. *Homil. 39. in 1. ad Corinth.* exponens illam Pauli sententiam: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabunutr*, ait, non omnes in Adam mortuos esse morte peccati, sicut nec omnes vivificantur in Christo, cùm multi damnentur. *Quid?* (inquit) *Omnes ne, dic quæso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe justus in generatione sua? Quomodo Abraham? Quomodo Job? Quomodò alii omnes? Quid verò, dic rogo, omnes ne justificabuntur in Christo? Et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat, quod dicitur. Sin autem de justitia, & de peccato, nequaquam.*

Quartò. Peccatum Adæ solam mortem corporis intulisse, non animæ, probant etiam ejusdem verba *Homil. 24. in Epist. ad Ephes.* dicentis: *In corpus quidem nostrum cadit corruptio, sed in animam non cadit. Nunc autem ipsam quoque corrumpimus? Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post Lavacrum, potest etiam animam corrumpere, & efficere, ut capi possit à verme immortali.* Quibus docet, peccata quidem actualia inferre animæ mortem; peccatum verò primi Parentis solam corporis mortem intulisse. Hæc præcipua sunt, quæ Pelagiani ex Chrysostomo pro suo errore colligere se autumabant.

LIV. Priusquàm ad præfata, quæ objecta sunt, respondeatur, ostendendum est, quàm falsò Pelagiani sibi blandirentur, S. Jo. Chrysostomum suo errori patrocinari. Id præstitit S. August. *lib. 1. contra Julian. cap. 6.* Primò ex Epist. ad Olympiam, quâ scribit: *Quando enim Adam peccavit, illud grande peccatum, & omne genus hominum in commune damnavit, de marore pœnas luebat.* Et homil. de Lazaro resuscitato. *Flebat* (inquit) *Christus, cur usque ad hoc mortalitas deliquisset, ut excussa de perennitatibus, inferos adamaret. Flebat Christus, quòd eos, qui immortales esse poterant, Diabolus fecit esse mortales.* Ad quæ Augustinus Juliano. *Quid dici posset expressius? Quid ad ista respondes? Si Adam grandi peccato suo omne genus humanum in commune damnavit, numquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem, nisi per Christum ab ista damnatione liberatur? Si & in Lazaro dicitur excussa de perennitatibus mortalitas, inferos adamasse, quis mortalium non ad istam culpam, casumque pertineat, quo cecidit primus homo de vita perennitate, quam, si non peccaret, acceperat? Si Diabolus omnes, qui immortales esse poterant, fecit esse mortales; unde etiam parvuli moriuntur, si obnoxii peccato primi illius hominis non sunt? Numquid ergo, nisi per eum, in quo omnes vivificabuntur, etiam parvuli de regno mortis eruuntur?*

LV. Vindicat secundò S. Jo. Chrysostomum D. Augustinus ibidem ex *Homil.* 9. *in Genes.* Ubi, quòd bestiæ, quæ ab initio timebant, tremebant, & subjectæ erant homini ut domino, postea factæ sint homini terribiles, eumque lædant, ac sæpe interimant, pœnam dicit esse primi peccati. *Nondum enim erat timor iste: sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea, quæ honoris erant ..... Quamdiù quidem habebat ad Deum fiduciam, terribilis bestiis erat; sed quia offendit, extremos etiam conservorum suorum jam pavet &c.* Quibus relatis inquit Augustinus: *Nempe manifestum est, Sanctum Joannem hâc disputatione monstrasse, illud, quod per unum hominem ingressum est, commune omnibus factum esse peccatum; quandoquidem omnibus terror communis est bestiarum, quæ utique nec infantibus parcunt, quos profectò secundùm istum tractatum Joannis, nullo modo læderent, sive terrerent, nisi essent veteris illius peccati obligatione constricti.*

LVI. Vindicat tertiò S. Jo. Chrysostomum à Pelagiani erroris suspicione S. Augustinus ex *Homil.* 10. *ad Rom.* ubi exponens Chrysostomus illud Pauli: *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum*, dicit primò; Illo peccato contaminata esse omnia. Et sic illud peccatum distinguit à cæteris postea commissis, & introductis; ut non illa tantùm, sed & hoc, & illa per gratiam Christi dicat interfici. Secundò asserit, ita eum peccato mori, qui baptizatur in Christo, sicut carne mortuus est Christus; quia in morte Christi baptizari, nihil est aliud, quàm peccato mori. Hæc iisdem ferè verbis colligit ex Chrysostomo laudato loco Augustinus, qui deinde subdit: *Cui ergo peccato parvulus moritur, si originale non traxit? An fortè non in morte Christi parvuli baptizantur? Cùm Apostolus non dixerit*, quidam, *sed* quicumque, *baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? An quando baptizantur Baptismate Christiano dicturi estis, quòd non baptizantur in Christo; ne vos Episcopus Joannes suâ definitione suffocet, qui dicit, hoc esse Baptismum eis, qui baptizantur in Christo, quod Crux, & sepulchrum fuit Christo, ut quemadmodum ille mortuus est carne, sic & istoc intelligamus mortuos esse peccato?*

LVII. Nunc respondendum est iis, quæ ex Chrysostomo olim Pelagiani, nunc Sociniani opponunt. Ad primum *ex homil. ad Neophytos* respondet S. August. *l.* 1. *contra Julian. c.* 6. citato, Chrysostomum dicere, parvulos non esse *inquinatos peccato*, seu veriùs secundùm græcum textum *peccatis*, vel *peccata non habentes*, nimirùm *propria*. *Comparans ergo* (inquit Augustinus) *eos Joannes Majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptismo, dixit, illos* non habere peccata, *non sicut verba ejus ipse posuisti*, non coinquinatos esse peccato. Ita S. Aug. Dato etiam legendum esse, non *peccatis*, sed *peccato*; exponi deberet de peccato proprio, & personali, quo comparatè ad adultos carent parvuli. At inquies: Cur Chrysostomus non addidit *proprio?* Respondet S. August. lib. 1. contra Julian. c. 6. *Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur?* Quamvis si attendatur editio Basileæ Erasmi 1530. omnis difficultas tolletur. In ea enim non legitur: *infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccato* sed, *infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato*.

LVIII. Verùm, ut de mente Chrysostomi omnis scrupulus tollatur, observandum est, quòd in eadem homilia subjungit, nempè: *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. Numquid* (inquit Augustinus) *contentus fuit dicere*, paternum chirographum, *nisi adde-*

adderet, nostrum? *Ut sciremus, antequàm fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere.*

LIX. Ad secundum *ex homil.* 10. *ad Rom.* jam constat ex dictis, Chrysostomum ibi apertè peccatum originale confiteri, cùm dicat, suo peccato omnia contaminasse. Igitur verba hæc in objectione laudata continent potiùs objectionem Judæorum à S. Paulo confutatam, quàm Chrysostomi sententiam. Cùm enim adversùs Judæos S. Paulus probet, Christi justitiam in omnes homines derivari, & ejus obedientiâ multos justos constitui, nec id Judæi capere possent, rem illustrat exemplo Adami, cujus delicto multi mortui sunt, & illius inobedientiâ peccatores constituti. Sed quia poterat opponi: quomodo unius inobedientiâ alii constitui possint peccatores: *Invenietur enim sic nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, siquidem non ex seipso peccator extiterit.* Chrysostomus respondet, Paulum cum inobedientiâ unius dixit multos constitutos peccatores, peccatorum nomine intellexisse supplicio obnoxios, ac mortis reos, & in eo stetisse Apostolum; nec de causa istius debiti fuisse locutum, nempe de peccato. Tùm quia de eo satis fuerat locutus. Tùm quia ad objectionem Judæorum solvendam necessarium non erat. *Nam*, inquit Chrysostomus, *adversùs Judæum constituta pugna est ambigentem, ac deridentem, quam per unum justitiam factam esse vult. Ideirco cùm ostendit, & supplicium ex uno in omnes derivatum fuisse, quâ id de causa acciderit, nondùm addidit.*

LX. Ad tertium *ex Homil.* 39. *in* 1. *ad Cor.* Respondeo, sensum S. Chrysostomi esse, quòd non omnes mortui sint in Adam morte peccati, à qua nunquam essent liberandi, & in qua in æternum essent permansuri; alioquin nemo justus fuisset, nec Noe, nec Abraham, nec Job. Comparatio autem inter Adam, & Christum, stat in hoc, quòd etsi omnes in Adam mortui sint morte animæ, aliqui tamen liberantur per Christum, ne in æternum moriantur: ita etsi omnes in Christo sint vivificandi, aliqui tamen æternam mortem incurrent, ad differentiam mortis corporalis, quam omnes in Adam ita contraxerunt, ut nemo eam possit evadere. Et hoc est, quod ait: *Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur. Sin autem de justitia, & de peccato, nequaquam*, ideft omnes quidem morientur, si de morte corporis sermo sit; non tamen si de morte animæ, & de peccato, quia aliqui mortem æternam evadent.

LXI. Ad quartum *ex Homil.* 24. *ad Ephes.* dico, Chrysostomum ibi docere, prius peccatum fecisse, ut nobis corpus esset obnoxium corruptioni; nos autem per peccata, quæ post Baptismum committimus, facere animam naturâ incorruptibilem spiritualiter corrumpi, corruptione non solùm temporali, sed æternâ. Hoc autem quid contra peccatum originale? Non enim dixit Chrysostomus, quòd prius peccatum induxit solam corruptionem corporis, & non animæ, sed induxit corruptionem corporis, quod verum est. Ideo autem corruptionem animæ per prius peccatum inductam ibi non indicat; quia loquitur ad fideles jam regeneratos, ideoque à corruptione originali animæ jam liberatos; in quibus estò maneat corpus necessitati corruptionis subjectum, anima tamen, nisi superveniat propriæ voluntatis peccatum, omnis corruptionis expers est.

LXII. Objici secundo potest Theodoretus, qui in c. 5. ad Romanos *Ad omnes enim* (inquit) *homines mors pertransiit, quatenus omnes peccaverunt. Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum, unusquisque mortis decretum suscipit.*

Respond. tamen, Theodoreti mentem non esse, excludere à singulis peccatum originis cuique proprium, cùm dicat,

dicat, quòd *omnes* cum Adam *peccaverunt*: sed solùm velle, unumquemque mortis decretum in se suscipere, non propter primi Parentis peccatum originans extinsecùs ipsi imputatum, sed propter suum, idest propter peccatum in unoquoque originatum, ceu ab Adamo traductum, quod carnali propagatione uniuscujusque proprium evadit, ut decernit Tridentinum *Sess.* 5. Neque oppositum arbitrari potuit Theodoretus; cùm ipsi certum esset, infantes debitum mortis suscipere, qui tamen nullo propriæ voluntatis, seu peccato suo personali, adstricti tenentur.

Cetærùm de mente Theodoreti dubitari non potest. Nam lib. 5. Hæretic. fabul. seu divinorum Decret. Epitome c. 11. *Superat*, (inquit) *benignitatis munificentia justitiam. Justitiæ namque decretum, cùm unus peccasset, universum genus morti tradidit: divina autem misericordia, cùm omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent irretiti, per unius justitiam dedit omnibus salutem.* Et infra: *Lex enim justitiæ omnes ad supplicium ducebat: omnes enim peccatores constituti sumus; Si enim, cùm unus peccasset, condemnatum est genus; multò itaque justius erat, eos, qui peccato subditi erant, supplicium subire.*

LXIII. Possent etiam varia opponi ex commentario Arnobii Junioris in Psalmos: sed quàm is Pelagiano errori fuerit addictus, nimis clarè se prodit in præfatis commentariis nam *in Psal.* 50. 77. & 139. negat peccatum originale. *In Psalm.* 90. & 108. statuit gratiam ex merito fidei, quæ fides ex libero dumtaxat arbitrio auditâ prædicatione concipiatur &c. Hunc Arnobium alium esse ab Arnobio Rhetore, qui scripsit adversus Gentes, eoque multò posteriorem ostendit Sixtus Senensis noster *lib.* 4. *Biblioth. Sancta in Arnobio.* A Gelasio enim in censura cum auctoribus quinti seculi Cassiano, & Fausto commemoratur, ejusque opuscula apocrypha declarantur; cum Arnobius Rhetor seculo quarto vixerit; ille natione Gallus fuerit, iste Afer.

Ex Commentarjis quoque in Paulinas omnes Epistolas sub nominibus Ambrosii, & Hieronymi excusis sumi possent argumenta contra peccatum Originale. Sed viris adhuc mediocriter doctis sufficienter jam innotuit, eos commentarios spurios esse, priores quidem Hilarii Sardi sectâ Luciferiani, posteriores autem verosimiliter ipsius Pelagji. Plus ponderis habere videbuntur, quæ sequentur.

§. VIII.

Pelagianorum rationes.

LXIV. Objiciebant primò. Seu verius improperabant Pelagiani Catholicis, quòd asserentes hominem carnali propagatione culpâ infectum, convenirent cum Manichæis carnem naturâ malam asserentibus. Et rursùm quòd facerent Diabolum hominum nascentium conditorem: neque enim Deus vellet condere homines, ut sub Diaboli potestate redigerentur.

LXV. Sed respondit jam S. Augustinus *lib.* 3. *contra duas Epist. Pelagian. c.* 9. negando sequelam. Non enim Catholici dicunt, ex natura exordium sumsisse peccatum, quod Manichæi dicebant, sed ex libero arbitrio, & ex illo vitiatam fuisse peccato naturam bonam. *Homo enim dùm nascitur, quia bonum aliquid est, in quantùm homo est, Manichæum redarguit, laudatque Creatorem: inquantùm verò trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, & habet necessarium Salvatorem. Nam & quòd sananda dicitur ista natura, utrumque repercutit: quia nec medicinâ opus haberet, si sana esset, quod est contra Pelagium; nec sanari posset omnino, si æternum, atque immutabile malum esset, quod est contra Manichæum.*

Hinc non facimus, Diabolum esse homi-

hominis conditorem, sed Deum, qui hominem fecit rectum; sed quia ipse relictus in manu consilii sui, suo arbitrio in Diaboli se tradidit potestatem, Deus justo judicio suo non facit quidem, ut sub Diaboli potestate sint, qui nascuntur; sinit tamen, ut sub Diaboli potestate sint omnes, qui seminaliter ex Adam veniunt, donec per Christum renascuntur. Audiamus S. Augustinum *lib. 2. de Nuptiis, & concupisc. c. 29.* Objiciebat Pelagianus: *In uno homine* (adulto) *jure vituperatur intentio, & origo laudatur, quia duo sunt, quæ contrariis applicentur. In parvulo autem unum est, natura tantùm, quia voluntas non est. Illud ergo unum, aut Deo adscribetur, aut Dæmoni. Si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum. Si à Diabolo, nibil erit, per quod homo divino operi vindicetur. Perfectè itaque Manichæus est, qui malum originale defendit.* En Pelagiana doctrina.

Cui respondet S. Doctor laudato loco, retorquendo argumenti doctrinam in Adversarium. *Audiat* (inquit) *potiùs adversùs ista, quod verum est. In uno homine jure vituperatur intentio, & natura laudatur, quia duo sunt, quæ contrariis applicentur; sed etiam in parvulo non est unum tantùm, idest natura, in qua creatus est homo à Deo bono; habet enim & vitium, quod per unum in omnes homines pertransiit, sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Celestius, vel eorum quicumque discipulus. Horum itaque duorum, quæ in parvulo esse diximus, unum adscribitur Deo, alterum Diabolo. Et quòd utrumque propter unum horum, idest propter vitium, subjicitur potestati Diaboli, ideò non est incongruum, quia non fit ipsius Diaboli potestate, sed Dei &c.* Et infra: *Est itaque, per quod homo divino operi vindicetur, quia non esset homo, nisi divino opere crearetur: malum autem non esset in parvulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & origine vitiatâ peccatum traberetur. Non ergo, sicut iste ait, perfectè Manichæus est, qui malum originale defendit: sed perfectè Pelagianus est, qui malum originale non credit.* Hæc Augustinus.

LXVI. Secundò objiciebant, & erat instantia. Si carnali generatione traducitur peccatum originale in genitum, jam damnandus erit usus conjugii, utpote qui vel sit causa peccati, vel sine peccato exerceri non possit: sed hic erat alter Manichæorum error; ergo &c.

LXVII. Respondeo, negando maj. Non enim ex usu nuptiarum sequitur per se peccatum, nec dici potest, quòd usus conjugii sit causa originalis peccati; quia etsi nemo peccasset, usus conjugii fuisset, quin peccatum sequeretur in prole: sed quòd ex usu conjugii sequatur infectio peccati in prole, accidentaliter adjungitur ex alia causa, nempè ex voluntate primi hominis, quo peccante, peccarunt omnes voluntates eorum, qui ex eo carnali propagatione erant nascituri, utpote in ejus voluntate contentæ. Nec bonum accusari debet, quòd undecumque ex eo sequatur malum, sicut nec malum excusari, quòd ex eo interdum sequatur bonum. Ita corripit Pelagianos Augustinus l. 1. de Nupt. & concup. c. 1. *Nec advertunt* (inquit) *quòd ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum, & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est Diaboli: sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei.*

Neque etiam damnandæ nuptiæ sunt, quia conjunctam libidinem habeant, sine qua exerceri non possint. Nam morbus iste de nuptiis non est, sed de peccato, cum enim solùm post peccatum primi homines experti sunt, & erubuerunt. Quare si in innocentia perseverantes nuptiarum usum habuissent, nullâ libidinis turpitudine laborassent. Quare discernendum est inter connubii bonum, quod fuit ante

te peccatum, & concupiscentiæ malum, quod ex peccato fuit. *Proinde* (ait Aug. lib. 1. de Nupt. & concup. c. 7.) *Nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia sine illo fieri non potest, erubescunt. Tamquam si quisquam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat; nec propter claudicationis malum mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona est claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.*

Porrò quamvis actus conjugii sine concupiscentiæ motu perfici non possit, non sequitur tamen sine peccato perfici non posse, si ab ea non vincatur, sed eam vincat, & cohibeat. *Illo quippe concupiscentiæ malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis, atque indecoris motibus æstuantem frænat, & cohibet; neque nisi propagini consulens relaxat, atque adhibet, ut spiritualiter regenerandos carnaliter gignat, non ut spiritum carni sordidâ servitute subjiciat.* Ita S. Aug. laudatus c. 8. ponens exemplum in Sanctis Patriarchis.

LXVIII. Quòd si petas. Quare saltem hinc non sequitur, vel quod is, qui generat, peccet, utpote dans operam rei, ex qua necessariò, & infallibiliter sequitur peccatum in prole: vel quòd Adamus semper peccet, quando aliquis homo gignitur, cùm ex actu, quem fecit, sequatur peccatum in eo, qui generatur?

Respondetur neutrum sequi. Non prius, quia peccatum non sequitur per se ex vi generationis, sed ratione mali actus sui capitis. Non posterius, quia traductio peccati in eos, qui generantur, non est ampliùs libera Adamo.

LXIX. Colliges ex dictis, peccatum originale multò minùs refundi in Deum Conditorem. Ut enim distinguit S. Augustinus *l. de Peccato origin. c.* 33. duo in hominis procreatione consideranda sunt, nempe natura, & vitium naturæ: *Simul autem* (inquit) *utrumque propagatur, & natura, & naturæ vitium; quorum est unum bonum, alterum malum. Illud de Conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione adtrahitur: illi est causa bona voluntas Dei summi, huic mala voluntas hominis primi: illud indicat Deum creaturæ institutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum factor est hominis, propter hoc sanandum factus est homo.* Ita pulchrè S. Doctor.

LXX. Tertiò objiciebant, & adhuc instabant. Apud D. August. lib. 2. de Nupt. & concup. c. 28. *Non peccat iste, qui nascitur* (est enim infantulus) *non peccat ille, qui genuit* (cum legitimi conjuges possent absque peccato liberos procreare) *non peccat iste, qui condidit: per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fingis ingressum?*

Ita objicienti respondebat S. Aug. laudato loco, negando consequentiam. Peccatum enim originale intrat per peccatum primi hominis. *Quid quærit* (inquit August.) *latentem rimam, cùm habeat apertissimam januam?* Per unum hominem, *ait Apostolus*, unius delictum, *ait Apostolus*, per inobedientiam unius hominis, *ait Apostolus. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius?*

LXXI. Quartò objiciebant. Peccatum si ex voluntate est; ergo voluntas mala est. Si ex natura; ergo natura mala est: non enim potest arbor bona fructus malos facere.

Citò respondeo (inquit August. l. 2. de Nupt. & conc. c. 28.) *Ex voluntate peccatum est. Quærit fortè, utrum & originale peccatum? Respondeo, prorsùs & originale peccatum: quia, & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret.* Inde conversus ad Adversarium. *Quæro* (inquit) *ab illo, ut, si potest, respondeat. Sicut manife-*

nifestum est, ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fructus ejus fieri omnia opera mala; sic ipsam voluntatem malam, idest ipsam fructuum malorum arborem malam, unde dicat exortam. Si ex Angelo; quid erat ipse Angelus, nisi bonum opus Dei? Si ex homine; quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? Imò quia voluntas mala Angelo ex Angelo, ex homine homini orta est; quid erant hæc duo antequàm in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona, atque laudanda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino, unde oriri posset, nisi ex bono.... Nec ideò tamen ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum factum est à bono Deo; sed quia de nihilo factum est, non de Deo.

Quia verò Adversarius instabat. *Si natura opus est Dei, per opus Dei opus Diaboli transire non potuit.*

Quærit S. Doctor: *Nonne opus Diaboli, quando primùm in Angelo, qui Diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum, quod omnino nusquam erat, in Dei opere oriri potuit; cur malum, quod alicubi jam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cum ipso verbo utatur Apostolus*, & ita in omnes homines pertransiit? *Numquid homines non sunt opus Dei?*

LXXII. Quintò objiciebant. Nemo transfundere in alios potest, quod non habet in se: sed parentes plerumque non habent amplius peccatum originale, quando generant, cùm fuerit in eis per Baptismum extinctum; ergo non possunt illud transfundere in filios.

Confirm. Parentibus ad fidem conversis, & baptizatis nihil obsunt peccata propria; ergo minùs oberit eorum filiis peccatum alienum. Nam Deus, qui dimittit peccata propria, multò magis dimittit aliena.

LXXIII. Respondet S. Thom. 1. 2. q. 81. a. 3. ad 2. *Quòd peccatum originale per Baptismum aufertur reatu, inquantùm anima recuperat gratiam quantùm ad mentem: remanet tamen peccatum originale actu quantùm ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ, & ipsius corporis, secundùm quòd homo generat, & non secundùm mentem: & ideò baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant, inquantùm sunt renovati per Baptismum, sed inquantùm retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati.* Eodem modo

Respondet S. August. *l.* 3. *de Peccat. merit. c.* 8. *&* 9. Quod non habet in se, nec formaliter, nec virtualiter, co. maj. quod non habet in se formaliter, habet tamen virtualiter, & ut causa est, nego maj. & dist. min. non habent in se formaliter, & in ratione particularis personæ, co. min. virtualiter, & ut causæ generationis sunt, nego min. & consequ. Homo igitur baptizatus, & regeneratus, non generat prolem secundùm id, quo regeneratus est, idest secundùm spiritum, quem accepit in Christo, sed secundùm id, quo generatus est, idest secundùm carnem, quam accepit ab Adamo infectam. Unde quamvis in se mundus sit; quia tamen semen ab Adamo derivatum, & concupiscentia naturæ corruptæ, quę sunt instrumenta generationis, immunda sunt; ideò transfundunt immunditiam in prolem. Si enim, quamvis parentes Christiani sint, & fideles, non sequitur, quòd filii eorum sint Christiani, & fideles; quia non generant quatenus Christiani, & fideles sunt, sed quatenus homines sunt: ita quamvis ab originali mundi sint, non sequitur, quòd filios generent ab originali mundatos.

Ita S. August. laudato loco *c.*8. dicens, quòd si sibi causa esset adversùs eos, *qui omnino parvulos baptizari prohibent, aut superfluò baptizari contendunt dicentes, eos ex fidelibus natos parentum meritum necessariò consequi*, ad eos convincendos laboriosiùs, & operosiùs excitari deberet. Sed quia contra Pelagianos, qui parvulos etiam bapti-

zatorum baptizandos esse fatebantur, illi res erat, minori difficultate revincuntur. *Nunc verò* (inquit c. 9.) *quandoquidem cum eis agimus, qui confitentur baptizatorum filios baptizandos, quantò meliùs sic agimus, ut dicamus, vos, qui asseritis de hominibus à peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse; cur non adtenditis, eo modo vobis posse dici, de Christianis parentibus Christianos nasci filios debuisse? Cur eos Christianos fieri debere censetis? Numquid in eorum parentibus corpus Christianum non erat, quibus dictum est:* Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? *Aut fortè corpus quidem Christianum de Christianis parentibus natum est, sed non Christianam animam accepit. Hoc verò multò est mirabilius.... Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos? Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter à peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur. Ac per hoc de hominibus ideò mundatis, quoniam renatis, homo, qui nascitur, renascuntur, ut etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt, non solùm sicut frumenta paleam, & præputium circumcisus; sed etiam, quod & vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt, quod non est jam illorum per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt mortalis seminis vitium. Nam utique quos parvulos, per Sacramentum fidelium, fideles faciendos esse judicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.*

Ex dictis colligo, quòd estò Adamus, ut supra vidimus, egerit pœnitentiam, & consecutus fuerit remissionem sui proprji, ac personalis peccati; non egit tamen pœnitentiam, nec remissionem consecutus fuit illius peccati, quatenùs erat peccatum capitis, & totius naturæ corruptivum, imò nec pro eo mereri, ac satisfacere potuit, & dignitatem capitis jam amiserat. Unde quando generabat, estò in eo nullum esset peccatum personale, quod in Posteros traduceret; erat tamen quasi virtute, & causalitate, ratione infectionis naturæ, & vis seminalis ad traducendam naturam, & cum ea infectionem.

LXXIV. Ad confirm. nego consequentiam, imò & suppositum, quòd nimirum originale peccatum parvulis sit alienum. *Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis; imputat verò non jam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quando hi, qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.* Ita S. Aug. *l. 3. de Peccat. merit. c. 8.*

LXXV. Sextò objiciebant. Redemtio Christi non prodest hominibus non credentibus; ergo nec prævaricatio Adæ, cùm non sit efficacior, nocet hominibus non peccantibus.

Respondeo primò, concesso antec. & consequentiâ, negando suppositum consequentis, nempe quòd Adæ prævaricatio noceat non peccantibus; omnes enim, quibus illa nocet, in Adam peccaverunt. Ita S. August. lib. 3. de Peccat. merit. c. 7. *Unde* (inquit) *nec illud liquidè dici potest, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat,* in quo omnes peccaverunt. *Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquàm omninò ad parvulos non pertineant. Siquidem in Adam omnes tùm peccaverunt, quando in ejus natura illâ insitâ vi, quâ eos gignere poterat, adhuc omnes illâ unus fuerunt: Sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis contrahebat.*

LXXVI. Respondeo secundò cum eodem S. August. citato *l. 3 de Peccat. merit. c. 2.* dist. ant. non credentibus nec in se, nec in alio, co ant. non credentibus in se, credentibus tamen in alio, nego ant. & eodem modo dist. conf. Sicut ergo Redemtio

Christi

Christi prodest parvulis baptizatis in aliena persona credentibus; sic Adæ prævaricatio obfuit parvulis in aliena persona peccantibus. Cum ergo Pelagiani parvulos esse baptizandos confiterentur, ut numero credentium ad scriberentur, & ad Dei Regnum pertinerent: ita parvuli baptizari debent, ut ab originali mundentur. *Benè* (inquit) *quòd ipsi nos admonent, justitiam Christi nisi credentibus prodesse non posse, & prodesse aliquid parvulis confitentur: unde, ut diximus, necesse est, eos baptizatos in credentium numero sine ulla tergiversatione constituant. Consequenter igitur, si non baptizentur, inter eos, qui non credunt, erunt; ac per hoc nec vitam habebunt, sed ira Dei manet super eos: quoniam*, qui non credit Filio non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum (Jo. 3. v. 36.) *& judicati sunt, quoniam*, qui non credit, jam judicatus est (ibid. v. 18.) *& condemnabuntur, quoniam* qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur (Marci 16. v. 16.) Inde ad Pelagianos conversus: *Jam nunc* (inquit) *videant isti, quâ justitiâ tentent, vel conentur asserere, non ad vitam æternam, sed ad iram Dei pertinere, & divinitùs judicari, atque damnari homines, qui sine peccato sunt; si quemadmodum proprium, ita nullum in eis est etiam originale peccatum.*

LXXVII. Octavò objiciebant. Omne peccatum est voluntarium, unde August. l. de vera Relig. c. 14. *Usque adeò* (inquit) *peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium . . . Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi*: sed in infantibus rationis, & arbitrii usu carentibus peccatum originale voluntarium esse non potest; ergo nec potest habere in eis rationem peccati.

Confirmabant. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest: sed parvuli vitare non possunt peccatum originale; ergo ipsis deputari non potest ad culpam. Huic argumento, quod erat præcipuum Pelagianorum, ut respondeatur, fit

§. IX.

Quomodo peccatum Originale sit voluntarium?

LXXVIII. Suppono primò, quòd Adamus fuerit à Deo constitutus caput in esse tùm naturali, tùm morali omnium eorum, qui ab eo descensuri erant seminaliter, seu per seminalem propagationem. Et propterea omnes Posteri, sic ab Adam descendentes, considerandi sunt tanquam unum corpus morale, cujus ipse Adam sit caput, & principium; atque ita gerat personam totius humanæ naturæ ex eo seminaliter propagandæ, secundùm quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius Communitatis, reputantur quasi unum corpus, & tota Communitas unus homo.

LXXIX. Suppono secundò, quòd justitia originalis, quâ ratio subdebatur Deo, & vires inferiores rationi, & corpus animæ, collata fuerat Adæ non solùm pro ipso, ut particulari personâ, sed ipsi tanquam capiti morali totius humani generis, & etiam pro tota humana natura, cujus erat caput. Et propterea sicut ab ipso pendebat, ut natura humana propagaretur quoad esse naturale: ita etiam ab eo tanquam à morali agente pendebat, ut justitia, in qua erat constitutus, si in ea mansisset, ad ejus Posteros cum natura transiret.

LXXX. Suppono tertiò, quòd voluntas Adami, in ratione capitis sic constituti, erat moraliter voluntas Posterorum ejus; ita ut quidquid ille sic vellet, ipsi quoque vellent, voluntate non quidem propriâ, sed voluntate sui capitis, in qua omnes particulares voluntates continebantur; eo modo, quo in voluntate Reipublicæ omnes Civium voluntates continentur, in voluntate Tutoris voluntas pupilli: non

quidem quantùm ad omnes actus, quos Adam ut persona particularis eliciebat, sed solùm quantùm ad actus proprios Capitis, nimirum conservationem, vel amissionem justitiæ originalis. Hinc

LXXXI. Suppono quartò, quòd præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali fuit datum Adæ, non ut singulari dumtaxat personæ, sed ut Capiti totius humanæ naturæ: ita ut in ipso illud servante omnes Posteri censerentur servare, ipso autem transgrediente, omnes Posteri censerentur transgredi. Quapropter D. Basil. Homil. 1. de Jejunio: *Quoniam non* (inquit) *jejunavimus* (comedendo scilicet in Adamo de ligno vetito) *exulamus è Paradiso*. Et D. August. *lib. 2. de Nupt. & concup. c. 11.* quærens à Pelagiano: cur infans, qui nihil peccavit, *Gen. 17. v. 14.* si non circumcidatur octavo die, dicitur, quòd testamentum Dei dissipavit: *Dicat iste, si potest; Quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit, octo dierum, quantùm ad ipsum propriè adtinet, innocens infans?* Respondet: *Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*.

LXXXII. An verò intercesserit pactum propriè dictum inter Deum, & Adamum de transfundenda justitia in Posteros, si præceptum observasset, & culpâ originali, si illud violasset, divisi sunt Theologi. Aliqui enim affirmant, & moventur primò. Quia ex verbis nuper allatis ex Genesi, secundùm Augustini expositionem, omnes, qui in Adam peccaverunt, dicuntur dissipasse *testamentum* Dei. Quod repetit *l. 16. de Civ. Dei c. 27.* dicens: *Secundùm communem generis humani originem omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt*. Idiomate autem Scripturarum *testamentum* idem est, ac *fœdus, pactum*. Secundò. Ex illo Oseæ 6. v. 7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*. Super quæ D. Hieronymus: *Ipsi autem* (inquit) *imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum meum, legemque prætereuns, isti in terra facerent*.

Alii verò non agnoscunt pactum ullum propriè tale, cum de hoc nulla in Genesi mentio fiat, sed purum Dei decretum, quo & justitiam originalem Adamo dedit pro se, ac suis Posteris; & voluntatem ejus statuit habendam esse pro voluntate Posterorum, quantùm ad transfusionem justitiæ, vel culpæ. Si enim Legislatores humani transferre possunt voluntates parvulorum in voluntatem Curatoris, vel Tutoris; ita ut quidquid fiat secundùm leges à Curatore, vel Tutore, censeatur factum voluntate pupilli, & ac si ab ipso propriâ voluntate fieret: quantò magis potuit Deus, qui Augustino teste l. de Correpț. & Gratia c. 14. *magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*, ut supremus Legislator, & Princeps omnes Posterorum Adami voluntates in voluntatem Adami transferre: ut quidquid ab ipso fieret, hoc totum à Posteris, eorumque voluntate factum censeretur? Utraque opinio probabilis est.

LXXXIII. Nunc ad objectionem §. præcedente propositam respondeo, dist. ma. est voluntarium vel in se, vel in alio, co. ma præcisè in se, nego ma. & dist. min. voluntarium esse non potest voluntate propriâ. & in se, co min. voluntate Capitis. seu volutate contenta moraliter in Capite, nego min. Hoc autem modo peccatum originale est voluntarium parvulis, quatenùs peccante Adamo constituto omnium, & singulorum ab eo seminali propagatione descendentium Capite, in eo omnes, & singuli peccaverunt. Ita S August. *l. 2. de Nuptiis, & concup. c. 28.* & maxime *l. 1. Retract. c. 13.* ubi exponens id, quod

quod dixerat: *Usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, ait: *Et illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.*

LXXXIV. Sed dices primò. Voluntarium illud dicitur, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis: sed si peccatum originale est voluntarium parvulis ex voluntate Adami, erit à principio extrinseco, & fine cognitione; ergo vel non erit illis voluntarium, vel solùm voluntarium extrinsecè à voluntate, quæ in ipsis non est, sed in alio.

Secundò. Ut voluntarium mihi sit id, quod fit alterius voluntate, oportet, ut ego vices meas illi commiserim: sed Posteri Adæ vices suas illi non commiserunt, ut nimirùm pro libito eorum vice servaret, vel frangeret præceptum; ergo &c.

Tertiò. Voluntarium liberum illud est, quod est in potestate illius, cui voluntarium dicitur, ut sit, vel non sit: sed peccatum originale non est in potestate parvulorum, ut sit, vel non sit; ergo &c.

LXXXV. Respondeo, dist. maj. à principio intrinseco, vel physicè, vel moraliter, conc. maj. præcisè physicè, nego maj. Quod est voluntarium physicè, debet esse à principio intrinseco physicè: quod verò est voluntarium solùm moraliter, sufficit, ut sit à principio solùm moraliter intrinseco. Hoc autem secundò modo peccatum originale est voluntarium parvulis: unde sufficit, ut sit à voluntate Adami, quæ moraliter erat voluntas etiam Posterorum, ut vidimus. Sicut ut aliquid sit voluntarium pupillo, sufficit, ut procedat physicè à voluntate Tutoris, quæ moraliter est voluntas pupilli.

Pro hujus intelligentia observandum est, quòd quando Adam peccabat, omnes nos (ac nostræ voluntates) eramus in illo tanquàm quoddam corpus morale, cujus ipse erat Caput: & propterea eramus cum illo moraliter unus homo, & volente, ac peccante illo, volebamus, & peccabamus & nos. Ita S. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 10. *In quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt*. Quod repetit lib. 3. cap. 7. Et lib. 2. de Nuptiis, & concup. cap. 5. *Per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt*. Tandem Psalm. 84. nu. 7. *Adam* (inquit) *ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur..... non enim eramus jam nos, sed eramus in Adam. Ideo quidquid evenit ipsi Adam, secutum est & nos, ut moreremur: omnes quippe in illo fuimus*.

LXXXVI. Neque his repugnare censendus est D. Thomas, dum 1. 2. *q.* 81. *a.* 1. docet, ita nobis tribui, & esse voluntarium Adæ peccatum, sicut est voluntarium, & tribuitur manui homicidium ratione voluntatis occisionis. Certum est autem homicidium esse voluntarium manui solùm denominativè, & extrinsecè.

Nam hoc exemplum adducitur à D. Thom. ut simile, non ut omninò idem. Simile quidem: nam sicut peccatum imputatur membris, quatenus moventur à voluntate totius, & quatenus sunt unus homo: ita peccatum Adæ imputatur Posteris, quatenùs cum illo sunt unus homo, & voluntates eorum erant in illo. Non tamen est omnino idem: nam membra corporis capacia non sunt voluntarii, & peccati, nisi denominativè, & extrinsecè: Posteri autem Adæ capaces sunt voluntarii, & peccati formaliter, & intrinsecè.

LXXXVII. Ad secundum respondeo, majorem esse veram, si nec ego, nec alius habens in potestate voluntatem meam, transferat eam in alium; secùs verò, si eam transferat, quemad-

madmodum Legislatores voluntatem pupilli transtulerunt in voluntatem Tutoris. Cùm ergo Deus, qui magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, ut ex August. diximus, eas in voluntatem Adami transtulerit, constituendo illum Caput totius generis humani; ut quidquid ille ageret sive adimplendo, sive frangendo præceptum, omnes ejus Posteri censerent in illo agere: inde est, quòd sicut si justitiam servasset, nomine omnium eam servasset; ita cùm eam perdiderit, eam nomine omnium perdidit.

LXXXVIII. Ad tertium dist. ma. voluntarium liberum voluntate personali, & propriâ debet esse in potestate physica &c. co. maj. voluntarium liberum voluntate Capitis &c. nego ma. Sanè quod est voluntarium, & liberum voluntate personali, & propriâ, debet esse, vel fuisse in potestate physica, ut fit, vel non fit: quod tamen est voluntarium, & liberum solâ voluntate Capitis, non debet esse in potestate physica cujuslibet membri in se, sed solùm in potestate Capitis. Hoc autem modo est voluntarium, & liberum peccatum originale; unde sat est, ut fuerit in potestate Adami Capitis servare, vel non servare præceptum: sic enim fuit in potestate morali omnium membrorum ejus. Hinc

LXXXIX. Ad confirm. §. præcedente positam, dist. ma. nullus peccat in eo, quod vitare non potest, neque in se, neque in alio, in quo moraliter continetur, co. ma. quod estò non possit vitare in se, potuit tamen vitare in alio, nego. ma. Parvuli autem, estò in se non possint vitare peccatum originale, potuerunt tamen illud vitare in Adamo. Quare estò non peccent peccato actuali, & personali, quod physicè ab eorum voluntate oritur; peccant tamen peccato originali, quod voluntate Adami, quæ moraliter fuit voluntas omnium, cum natura traducitur.

XC. Observandum propterea est cum D. Aug. lib. 1. Oper. imperf. contra Julian c. 47. *Aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque.* Quod est peccatum, & non pœna, sic agitur, ut in potestate libera sit abstinere, & hoc modo fuit in Adamo: *Nulli enim tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo conditus erat rectus, nullo proprio vitio depravatus adstabat.* Ejus autem, quod tantummodo est pœna peccati, *exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cùm pro suo scelere, qui peccavit, occiditur, sive aliâ corporis pœnâ quacumque cruciatur.* De eo autem, quod peccatum est, & simul pœna peccati, exemplum ponit præcipuè in cæcitate cordis: *Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, injustè argueretur: arguitur autem justè, ubi dicitur* (Matth. 23. v. 26.) *Pharisæe cæce. Eademque rursus cæcitas, si peccati pœna non esset, non diceretur* (Sap. 2. v. 21.) *excæcavit enim illos malitia illorum. Quòd si de Dei judicio non veniret, non legeremus* (Psalm. 68. v. 24.) *obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Quis porro volens, cæcus est corde, cùm velit nemo cæcus esse vel corpore?*

Deinde ostendens, peccatum originale ad hoc tertium genus pertinere, nempè esse peccatum, & simul peccati pœnam: *Proinde* (inquit) *originale peccatum, nec ad illud pertinet, quod primo loco posuimus, ubi est voluntas malum operandi, unde liberum est abstinere; alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio. Nec ad illud, quod secundò commemoravimus; de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non est peccatum, quamvis peccati merito subjequatur, quam quidem patiuntur & parvuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum: non tamen mors ipsa peccatum est, vel corporales quicumque cruciatus. Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est,*

est, ut ipsum sit, & pœna peccati; quod inest quidem nascentibus ..... origo tamen etiam hujus peccati descendit à voluntate peccantis. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt. Hæc S. Augustinus. Quibus patet, quòd cùm peccatum originale non sit solùm peccatum, sed pœna peccati, sufficit, ut sit voluntarium in origine, estò non sit voluntarium in se: sicut cæcitas cordis estò non sit voluntaria in se, quia tamen est voluntaria in sui causa, pœna peccati est, & simul peccatum.

XCI. Tandem sequitur, quòd originalis corruptio, quamvis sit homini naturalis, adhuc tamen sit culpabilis: quia non est naturalis secundùm naturæ institutionem, sed facta est naturalis ex voluntaria naturæ infectione. Unde licèt homini, qui nascitur cæcus, non sit improperanda ejus cæcitas, sed ei potiùs commiserandum, quia hoc nec in se, nec in alio fuit ei voluntarium; corruptio tamen originalis culpabilis est, & improperabilis, quia fuit à singulis volita in Adam, in quo peccante omnes peccaverunt, & naturam vitiarunt. Unde S. Thom. 1. 2. q. 81. a. 1. ad 5. *Illud* (inquit) *quod est per originem, non est increpabile, si consideretur illè, qui nascitur secundùm se: sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse ei increpabile. Sicut aliquis, qui nascitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicujus progenitorum causatam.* Hæc satis. Certè in hac Quæstione prolixitati præter morem indulsimus: sed argumenti dignitas id exigebat.

* † ✠ † *

DUBIUM II.

Quomodo peccatum Originale per generationem traducatur in Posteros Adæ.

§ I.

Opinionum varietas.

I. DUo hìc consideranda occurrunt. Unum, quomodo originale peccatum contrahatur: alterum, quomodo ab Adamo traducatur. Cùmque certum sit, traduci seminali propagatione, controvertitur, an in semine ab Adamo descendente aliqua imprimatur vis, ratione cujus animam inficiat originali peccato.

II. Prior difficultas adeò difficilis visa est S. Augustino, ut facilioris explicationis gratiâ identidem visus sit propendisse in eam sententiam, quæ dicebat, animas humanas traduci ex anima, sicut corpus traducitur ex corpore; ac sese ancipitem prodat *Epist.* 157. *modò* 190. *ad Optatum*. Quamvis postea, ut superiùs præsenti Tract. *Qu.* 1. *Dub.* 5. §. 1. *num.* 5. ostendimus, & maximè *Epist.* 28. *modò* 166. *ad Hieronymum c.* 4. ubi proclivior fuerit in eam, quæ asserit omnes à Deo creari. Quapropter ex duobus modis, quos *l.* 5. *contra Julian. cap.* 4. adfert, dicens: *Profectò aut utrumque* (corpus scilicet, & anima) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur*, solus posterior potest admitti, qui cohæret cum communi Doctorum orthodoxa doctrina asserente, animas humanas à Deo creari; cùm prior procedat suppositâ traductione animarum, non minùs quàm corporum, quæ licèt temporibus Augustini salvâ fide posset teneri; unde citato loco subdit: *Ista fides non negetur* (nempe contrahi originale peccatum) & hoc, quod de anima latet, aut ex otio discitur,

scitur, aut, sicut alia multa in hac vita sine labe nescitur; modò tamen reprobanda est ut hæretica.

III. Posterior verò difficultas in varios dicendi modos traxit Doctores. Quidam dicunt, in humano semine inesse qualitatem quamdam morbidam, aut infectionem realem ei superadditam, & ab Adamo derivatam, quæ peccatum originale causat; sicut in semine leprosi est quædam corruptio, quæ est principium lepræ. Sed hic dicendi modus, quem sequitur Gregorius, Richardus, Henricus cum aliis, communiter repudiatur, & irridetur. Tùm quia dicunt, hanc qualitatem, non ex peccato Adami, sed ex serpentis sibilo venenoso derivatam fuisse, quod est planè chimericum. Tùm quia hoc dato, serpens eam solùm potuisset causare in Heva, cum qua est locutus, non verò in Adamo, cum quo sermonem non habuit. Et adhuc dato, quòd in ipso qualitatem illam causasset; unde tàm profundas potuisset habere radices, ut tot seculis in eo perseverasset, nisi Deo specialiter eam conservante, quod divinæ providentiæ nefas est adscribere?

IV. Alii propterea dicunt, in semine hominis lapsi esse virtutem quamdam fluidam, seu motionem quamdam intentionalem, quâ semen, ut instrumentum Adami causæ principalis, producit peccatum originale. Quibus favere videtur S. Thomas 1. 2 *q.* 83. *art.* 1. *in corp.* ubi ait: *Peccatum originale.... fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali.... In semine autem corporali est peccatum originale, sicut in causa instrumentali.* Et q. 4. de Malo a. 1. ad 9. agnoscit in semine virtutem ad modum quo intentio coloris est in aere, & intentio animæ in semine, sicut est in eo virtus ad productionem humanæ naturæ.

Sed hæc sententia difficilis est. Non enim apparet, quomodo virtus illa intentionalis, & fluida causari queat in semine ad traducendum peccatum originale. Si enim causari posset, maximè ab Adamo, vel peccato ejus; Adamus autem, & peccatum ejus non sunt: ideòque motionem illam, seu vim fluidam imprimere non possunt in semine ad producendum peccatum originale, sicut nec eam imprimere potest Adamus modò ad producendam naturam. Quid verò dicendum sit, infra exponemus.

§. I I.

Modus, quo contrahitur ab Anima peccatum Originale.

V. DIco primò. Cùm certum sit, animam nihil vitii contrahere ex parte sui principii effectivi, nempe Dei, à quo creatur, dici debet, vitium, & peccatum contrahere ex parte corporis, cui infunditur; ita ut ab eo tanquam à vase corrupto, & vitiato corruptionem, & vitium contrahat. Hic est secundus modus, quo animam vitiari, & corrumpi dicit August. nuper relatus *l.* 5. *contra Julian. c.* 4. Qui tamen non sic est intelligendus, quasi in corpore sit, vel formalis, & propriè dicta ratio peccati, vel qualitas aliqua realiter, ac physicè inficiens animam, eique peccati labem imprimens: cùm corpus per se non sit capax peccati formalis, seu propriè talis, nec naturaliter agere possit in animam, utpote spiritualem, qualitatem aliquam inficientem ei imprimendo, sed duobus aliis modis accipiendus est.

VI. Unus est. Quia corpus ex carne peccati seminatum cum sit pars naturæ, quæ in Adam peccavit, & ad eam constituendam ordinetur, habet occultam quamdam dispositionem ad peccatum, quo fit, ut dùm anima, quæ peccati capax est, ei infunditur (veluti si flos immitteretur in locum fœtidum) statim ex eo contrahat quoddam vitium habituale, atque culpabile. Et quemadmodum si anima infunderetur corpori vulnerato, vel in flammis posito, mox doleret: ita dùm infun-

infunditur corpori ad peccatum dispofito, mox peccatum contrahit.

VII. Hunc dicendi modum indicavit Innocentius III. in 4. *Pfalm. Pœnitentialem* ad illa verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus fum &c.* ubi poft relatum Job dictum cap. 14. v. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum femine?* hoc explicans, ait: *Ex feminibus ergo fœdatis, atque corruptis concipitur corpus corruptum pariter, & fœdatum, cui anima tandem infufa corrumpitur, & fœdatur, non ab integritate, vel munditiâ, quam habuit, fed ab integritate, vel munditiâ, quam haberet, fi non uniretur fœdato corpori, & corrupto; quoniam, & creando infunditur, & infundendo creatur. Sicut enim ex vafe corrupto liquor infufus corrumpitur, & pollutum contingens ex ipfo contactu polluitur: fic ex contagio corporis anima corrumpitur, & fœdatur.* Et propterea *Levit.* 15. *v.* 3. humanum femen vocatur *fœdus humor*.

VIII. Hunc etiam indicavit S. Thomas *in* 2. *diſt.* 30. *qu.* 1. *a.* 2. *ad* 3. dicens, quòd *ex quo anima patris per peccatum infecta fuit, fequitur etiam inordinatio in corpore, fubtracto illo ordine, quem natura inſtituta priùs acceperat: & ita etiam ex femine illo generatur corpus tali ordine deſtitutum. Unde & anima, quæ tali corpori infunditur, deordinationem culpæ incurrit ex hoc ipfo, quòd hujufmodi corporis forma efficitur, cùm oporteat, perfectionem perfectibili proportionatam effe. Sicut propter aliquam corruptionem feminis contingit non tantùm defectus in corpore prolis ex illo femine generatæ, ut lepra, & podagra, vel aliqua hujufmodi infirmitas; fed etiam defectus in anima, ut patet in his, qui à nativitate naturaliter funt ftolidi.*

Et ibidem *ad* 5. hoc magis explicans: *Anima* (inquit) *non inficitur per infectionem corporis, quafi corpore agente in animam, fed per quamdam collimitationem unius ad alterum; quia forma recipitur in materia fecundùm conditionem ipſius materiæ; cùm omne, quod eſt in altero, fit in eo per modum recipientis. Et ideò ex hoc ipfo, quòd corpus illâ virtute privatur, quâ perfectè erat fubjicibile animæ, fequitur etiam, quòd anima illâ virtute careat, quâ perfectè corpus fubditum regat; & talis defectus originalis juſtitiæ culpa eſt naturæ, prout confideratur confequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quo natura traducta eſt.*

IX. Alter modus hoc explicandi eſt. Quia anima, ex quo infunditur corpori ex Adam fecundùm feminalem propagationem defcendenti, ipfa fit illius corporis compars, & cum eo conſtituens naturam hominis feminaliter ex Adam defcendentis. Adam autem peccante, tota natura, omnefque homines, ex ipfo via feminali propagandi, in eo peccaverunt, quod peccatum, tunc commune, unicuique fit proprium, quando unufquifque propriam naturam ab eo accepit per vim feminalem.

Hunc quoque modum indicavit S. Th. 1. 2. *q.* 81. *a.* 1. *ad* 2. dicens, quòd virtus feminis, etfi animam rationalem non poffit caufare, *movet tamen ad ipfam difpofitivè; unde per virtutem feminis traducitur humana natura à parente in prolem. Ex hoc enim fit iſte, qui nafcitur, confors culpæ primi Parentis, quòd naturam ab eo fortiturper quamdam generativam motionem.* Quia, ut ait ibi ad tertium. *Etfi culpa non fit actu in femine, eſt tamen ibi virtute humana natura, quam concomitatur talis culpa.* Et clariùs q. 3. de Pot. a. 9. ad 3. *Peccatum* (inquit) *originale dicitur peccatum totius naturæ, ficut peccatum actuale dicitur peccatum perfonale. Unde quæ eſt comparatio peccati actualis ad unam perfonam fingularem, eadem eſt comparatio peccati originalis ad totam naturam humanam traductam à primo Parente, in quo fuit peccati initium, & per cujus voluntatem in omnibus originale peccatum, quafi voluntarium reputatur. Sic ergo originale peccatum eſt in anima, in quantùm pertinet ad humanam naturam.*

ram. Humana autem natura traducitur à parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, & ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traductâ una natura. Si enim uniretur ei, non ad constituendam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumto, infectionem non reciperet.

X. Ex his patet, quomodo per semen, quod peccati capax non est, sed sola anima, traduci possit peccatum. Nam cùm semen sit ordinatum ad carnaliter producendam naturam humanam, cui in Adamo annexa fuit carentia justitiæ originalis, & carnem disponat, ut simul cum anima naturam humanam constituat; inde fit, quòd anima evadens pars naturæ, cui annexa est talis carentia, eam statim contrahit, quamvis hæc carentia in semine non sit formaliter, sed solùm dispositivè. Quemadmodum enim in statu innocentiæ idem semen, quamvis actu justitiam originalem non contineret, produxisset naturam humanam cum tali justitia; quia in eo statu justitia erat concomitans naturam: ita in hoc statu lapsus, quamvis actu non contineat carentiam talis justitiæ; quia tamen talis carentia naturam humanam ab Adamo viâ carnalis propagationis descendentem concomitatur: ideò dùm dispositivè concurrit ad productionem naturæ, dispositivè concurrit etiam ad talem carentiam, quæ naturam concomitatur. Sed hæc magis explicabimus infra

§. III.

Modus, quo Peccatum Originale traducitur per semen.

XI. Quæstio præsens suscipit examinandam causalitatem, quam erga peccatum originale traducendum exerceat, sive Adamus, sive ejus peccatum, sive semen prolificum. Circa quod

Noto, quòd sicut pro statu innocentiæ in Adam, ejusque semine duplex esset consideranda ratio; una naturalis, secundùm quam Adam esset principalis causa, & semen instrumentum ejus, & totius humani generis ad naturam secundùm se in alios transfundendam; alia superaddita, & accidentalis, inquantùm Adam, & semen ab eo decisum unâ cum natura transfunderet justitiam originalem; quia ex Dei sive pacto, sive decreto, si Adam in innocentia perstitisset, unâ cum natura in Posteros ejus transfusa fuisset justitia originalis: ita post peccatum in Adamo, ejusque semine, ac Posterorum ab eo viâ generationis descendentium, hæc duplex ratio reperitur: una naturalis, quâ Adam est prima causa principalis, ac semen instrumentum, quo ab eo in Posteros viâ generationis propagatur natura humana; alia accidentalis, & extrinseca, quâ, supposito peccato, ex Adamo per ejus semen cum natura propagatur carentia, seu defectus justitiæ originalis. De hoc ergo defectu, in quo, ut dicemus, peccatum originale consistit, quærimus, an ab Adamo per semen caussetur, & quomodo?

XII. Dico secundò. Nec Adam, nec ejus peccatum, nec semen ab Adamo descendens reali, propriâ, & physicâ actione efficiunt peccatum originale in Posteris. Probo primò. Quia peccatum originale non est formaliter aliquid positivum, sed defectus, seu privatio, ut dicemus; & hæc non talis, quæ fiat per realem alicujus formæ expulsionem, sicut fuit in Adamo, sed quæ jure quasi hæreditario contrahitur ab iis, qui naturali modo generantur.

Probo secundò. Quia dùm modò generantur parvuli, nec Adam, nec peccatum ejus est; ergo nec Adam, nec ejus peccatum aliquid modò operatur actione reali, quo possit dici, quòd realiter efficiat peccatum originale. Activa quoque generatio parentum

tum, & femen prolificum non eft caufa peccati alicujus productiva, fed folùm productiva fubjecti habentis neceffitatem contrahendi peccatum. Unde fequitur, quòd nec parentes, nec actio generativa, nec femen fint propriè loquendo caufa peccati in parvulis, aliàs actio generativa effet peccatum, fed folùm medium ordinarium, & conditio fine qua non traductionis ipfius; quia illa actio eft medium ordinarium, quo de uno in alium traducitur natura, quam concomitatur peccatum, & fine quo peccatum non comitaretur naturam.

XIII. Dico tertiò. Adam, & peccatum ejus non eft caufa demeritoria peccati originalis. Ita D. Thomas *in* 2. *dift.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 3. ubi ait: *Peccatum non tranfit in Pofteros à primo Parente per modum demeriti, quafi ipfe omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati, fed per modum traductionis confequentis traductionem naturæ. Non enim unius perfonæ actus toti naturæ mereri, vel demereri poteft, nifi limites humanæ naturæ tranfcendat, ut patet in Chrifto, qui Deus, & homo eft. Unde à Chrifto nafcimur filii gratiæ, non per carnis traductionem, fed per meritum actionis. Ab Adam verò nafcimur filii iræ per propagationem, non per demeritum.* Ita quoque iifdem ferè terminis Ricardus Tapperus Lovanienfis Theologus tempore Caroli V. in explicatione articulorum viginti *a.* 2. §. *Ex his videmus*. Et Jo. Driedo *l. de Captivit. & redemtione generis humani Tract.* 2. *a.* 6. *ad* 1. quem edidit contra Lutherum, ait: *Ipfe quidem* (Adam) *malo fuo merito vitiavit naturam à fe propagandam, quamobrem, & in illos* (Pofteros) *tranfmifit naturam talem, ideft originali juftitiâ vacuam, fed non inde confequens eft, quòd meruerit illis mortem: quemadmodum fi perftitiffet in originali juftitia, eamdem juftitiam in Pofteros tranfmififfet, propagando naturam hujufcemodi juftitiâ præditam, fed nequaquam hanc illis meruiffet.*

XIV. Dico tertiò. Adam, ejufque peccatum eft caufa peccati originalis, faltem moralis. Priorem partem indicat Paulus *Roman.* 5. ubi manifeftè tradit, dicens, quòd *unius delicto multi mortui funt*: quod *judicium ex uno* (nimirum delicto, vel delinquente) *in condemnationem* (ideft in propagationem) Rursùs, quòd *unius delicto mors regnavit per unum*: quòd *per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Item, quòd *per inobedientiam unius hominis peccatores conftituti funt multi*. Verba autem *unius delicto, ex uno, per unum, per unius delictum, per inobedientiam unius* indicant aliquam caufalitatem in peccato Adæ, feu in Adam per fuum peccatum. Quare S. Auguftinus lib. 2. de Nupt. & concupifc. c. 27. *Adhuc* (inquit) *quærat* (Julianus) *per quid peccatum inveniatur in parvulis. Refpondeant ei pagina fancta: Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors ...... ob unius delictum multi mortui funt &c.* Et ibid. c. 25. *Voluntarium* (inquit) *peccatum primi hominis originalis eft caufa peccati.*

S. Auguftino concinit D. Thom. tùm 1. 2. *q.* 83. *a.* 1. *ad* 4. dicens: *Infectio originalis peccati nullo modo caufatur à Deo, fed ex folo peccato primi Parentis per carnalem generationem.* Et *q.* 4. *de Malo a.* 1. docens, quomodo defectus juftitiæ per originem in iftum hominem derivetur, dicit, quòd fi confideretur ut perfona fingularis, non habet rationem culpæ, quia fic non eft ei voluntarius: *Sed fi confideretur ifte homo generatus, ficut quodam membrum totius naturæ à primo Parente propagatæ, ac fi omnes homines effent unus homo; fic habet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, quod eft actuale peccatum primi Parentis.*

XV. Pofterior verò pars fequitur ex dictis. Nam fi peccatum Adæ, feu Adam fuo peccato eft aliquomodo caufa traductionis defectus originalis juftitiæ; cùm ex dictis nequeat

Gg 2 effe

esse causa realis, & physica, superest, ut sit causa saltem moralis. Quemadmodum enim voluntas Adæ fuit moraliter voluntas singulorum, qui in Adam moraliter fuerunt unus homo: ita culpa Adæ moraliter ab eo transfunditur in singulos, quia peccatum Adæ moraliter, estò non physicè, adhuc perseverans in singulis ab ipso propagatis, culpam suam, ac reatum quodammodo imprimit.

XVI. Dico quintò. Semen estò sit instrumentum physicum ad traducendam naturam, ad traducendum tamen peccatum originale est instrumentum solum morale. Prima pars constat. Secunda verò ex dictis probatur. Si enim quia originale peccatum est pura privatio justitiæ originalis, & de genere culpæ non habet causam, quæ principaliter physicè illam producat, neque habebit instrumentalem causam physicam. Eò vel maximè, quia instrumentum physicum agere debet per virtutem, & motionem physicam: non est autem causa, quæ imprimere possit in semine hanc physicam motionem, seu virtutem sive habitualem, sive fluidam. Non Adam, ejusque peccatum, quia physicè non sunt. Non parentes proximi, quia hi producunt quidem subjectum habens necessitatém contrahendi peccatum, sed non influunt physicè in peccatum. Semen ergo se habet, ut instrumentum quasi morale, seu, ut medium ordinarium contrahendi peccatum; quia cùm sit decisum ab hominibus ex Adam descendentibus talem producit naturam, quam comitetur necessariò culpa originalis, seu privatio originalis justitiæ.

XVII. Ita sentit Cajetanus in Comm. 1. 2. q. 81. a. 1. ubi ait: *Non oportet, aliquam intentionalem qualitatem in semine fingere, quâ productivum sit culpa. Hoc enim nec somniavit Auctor; cùm culpa nihil entitatis sit, & concomitanter fiat, & sufficiens sit semen decisum à natura destituta justitiâ originali*. Quia verò opponi poterat Sanctus Thomas *q. 4. de Malo a. 1. ad 9.* ubi videtur admittere in semine qualitatem aliquam intentionalem; ideo prosequitur: *Verba autem Auctoris* (in quæst. de Malo) *non significant oppositum: sed quòd privatio justitia originalis in semine illo modo, quo in semine salvatur ex defectu, spectat ad genus moris virtualiter; non quia est actus moralis, sed quia tendit ad morale peccatum. Et sic ista privatio est quædam intentio mali moralis, & malum morale est in ea intentionaliter, sicut color in aere, & anima in semine. Et tenet similitudo quoad hoc; quia intentio ordinatur ad illud, cujus dicitur intentio, non quoad esse entia positiva: cùm hoc de privatione dici non possit, etiamsi fingendi detur licentia.* Ita Cajetanus.

XVIII. Ex his quantùm possibile est, explicatur modus, quo per semen traducitur culpa originalis. Cùm enim sit decisum à natura in Adamo destitutâ justitiâ originali, secum trahit talem defectum, quantùm capax est; & proinde non defert carnem cum ea subjectione ad animam, quam habuisset in statu innocentiæ, sed cum defectu talis subjectionis. Unde fit, quòd ad carnem sic dispositam accedens anima rationalis, quæ est capax culpæ, contrahat defectum subjectionis ad Deum, in quo formaliter, & actu culpa originalis consistit. Ita exponit S. Thomas in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 3. *Ex quo anima* (inquit) *per peccatum infecta fuit, sequitur etiam inordinatio in corpore, subtracto illo ordine, quem natura priùs acceperat: & ita etiam ex semine illo generatur corpus tali ordine destitutum. Unde & anima, qua tali corpori infunditur, deordinationem, culpa contrahit ex hoc ipso, quòd hujusmodi corporis forma efficitur.* Et ibidem *ad 4.* postquàm ait, quòd licèt in semine non sit lepra in actu, est tamen in semine virtus aliqua deficiens, per cujus defectum contingit defectus lepræ in prole, subjungit: *Similiter etiam ex hoc ipso, quòd in semine*

semine est talis dispositio, quæ privatur illâ impassibilitate, & ordinabilitate ad animam, quam in primo statu corpus humanum habebat, sequitur, quòd in prole, quæ est susceptiva originalis peccati, efficiatur originale peccatum in actu.

XIX. Dixi, his explicari quantùm possibile est. Cæterùm quamvis non facilè explicari possit, quomodo peccatum originale contrahatur; non ideò tamen originale peccatum contrahi negandum est. Ita S. Augst. *lib. 6. contra Julian. cap. 5.* huic hæretico sibi opponenti, quòd dixisset, de facili non comprehendi, aut sermone explicari modum, quo originale peccatum contrahitur, respondet: *Sed etsi nullâ ratione indagetur, nullo sermone explicetur, verum tamen est, quod antiquitùs veraci fide Catholicâ prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret; si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret.* Et *lib. 5. contra eundem c. 4.* expositis modis, queis anima peccatum originale contrahere potest: *Quid autem horum* (inquit) *sit verum, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, Catholica, quâ creditur, & asseritur originale peccatum, non esse convicerit falsum. Ista fides non negetur, & hoc, quod de anima latet, aut ex otio discitur, aut, sicut alia multa in hac vita, sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito, quæ tamen si vitiata negabitur, non sanabitur.* Unde Epist. 29. modò 167. ad Hieronymum, exponit hoc eleganti Apologo c. 1. *cùm quidam* (inquit) *ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm suffocaret, ne loqueretur; accessit alius, & eo viso, admirans ait: Quomodo huc cecidisti? At ille: obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quo modo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur, & fide Catholicâ tenemus, de reatu peccati tamquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratiâ liberandam, satis est ei, quòd modum, quo salva fiat, novimus, etiamsi numquam, quomodo in malum illud devenerit, noverimus.*

DUBIUM III.

An Peccatum Originale sit verum, ac propriè dictum peccatum, & unicuique proprium?

§. I.

Resolvitur prior pars.

I. Dico. Peccatum originale est verè, & propriè peccatum. Assertio hæc ad fidem pertinet. Id enim apertè fatetur Apostolus Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors .... in quo omnes peccaverunt.* Et v. 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Ubi non de alio peccato loquitur, quàm de originali, ut exponunt passim Augustinus, & alii Patres. Imò institutâ comparatione inter Adam, & Christum, dicit, quòd sicut per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt multi: ita per unius Christi obeditionem justi constituentur multi: sed per obedientiam Christi constituentur justi justitiâ verè, & propriè dictâ; ergo per Adæ inobedientiam constituuntur peccatores peccato verè, & propriè dicto.

II. Propterea Concilium Arausicanum II. anno 529. Canone secundo statuit, quòd qui *mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti:* Per unum hominem peccatum intravit in Mundum

dum

dum &c. Ex quibus sic. Peccatum, quod est mors animæ, est verum, ac propriè dictum peccatum: sed peccatum, quod ex Adam in omne genus humanum pertransit, est mors animæ; ergo est verum &c.

III. Cui accedens Concil. Tridentinum *Sess.* 5. *Canon.* 2. anathema dicit ei, qui dixerit, Adamum *mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, cùm contradicit Apostolo dicenti*: Per unum hominem peccatum &c. Et *Canon.* 4. anathema pronunciat eum, qui dixerit, parvulos *nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus*: Per unum hominem &c. Et *Canon.* 5. eidem anathemati subjicit eum, qui dixerit, per Baptismum non tolli *totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet*. Quibus agnoscit Concilium in parvulis peccatum à pœna condistinctum veram, ac propriam peccati rationem habens, quod certè aliud esse non potest, nisi peccatum origine contractum.

IV. Adest quoque ratio. Quia peccatum propriè dictum est privatio rectitudinis debitæ, & disconvenientia ad rectam rationem; dicit enim defectum subjectionis animæ ad Deum. Deinde pœna, præsertim mortis, non debetur nisi culpæ, & propter culpam: unde Apostolus Rom. *6.* v. 23. *Stipendia* (inquit) *peccati mors*: sed peccato originali debetur pœna mortis, Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors*: unde infantes, in quibus nullum est actuale peccatum, sed originale tantùm, propter illud moriuntur, & ni baptizentur, à vita æterna, ac Regno Dei excluduntur; ergo &c.

V. Præterea: peccatum originale habet proprietates peccati propriè dicti; inducit enim maculam, & reatum. De macula testatur August. qui *lib.* 4. *contra duas Ep. Pelagian. c.* 2. *&* 4. Pelagianos reprehendit, quòd animas parvulorum nullâ peccati maculâ respersas esse asseverarent; & adversùs eos adducit illud Job. 14. juxta vers. lxx. *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus diei unius vita sit super terram*. Et hanc maculam probant omnia, quæ statuunt, Baptismum esse necessarium, tanquam lavacrum, etiam parvulis, eosque baptizari, ac ablui debere: quid enim necesse esset, lavare, & abluere, quem nulla macula sordidaret?

De Reatu quoque loquitur S. August. *l. de Peccato orig. c.* 39. *&* 40. & Concil. Trident. *cap.* 5. damnans eum, qui in Baptismo remitti negat peccati originalis reatum.

VI. Solùm obstare posset, peccatum originale non esse propriè peccatum, quia non est propriè voluntarium.

Sed peccatum originale esse voluntarium, & quomodo, jam ostendimus supra *Dub.* 1. §. 9. Quare ibi dicta huc revocanda sunt.

VII. Quòd si dicas. Parvuli, licèt in Christo regenerati, nullum acquirunt meritum, quo vel mereantur, vel in Christo promeriti sint vitam æternam: unde dùm moriuntur, accipiunt eam, non ut mercedem, quæ est correlativa ad meritum, sed ut hæreditatem filiorum; ergo parvuli ex Adam geniti non habent aliquod demeritum, quo vel in se, vel in Adamo promeriti sint damnationem; ergo neque peccatum. Sicut enim Adam fuit generatione omnium caput; ita Christus omnium regeneratione est caput.

VIII. Respondeo, neg. consequ. & disparitas est. Primò, quia non repugnat Deum dare gloriam immeritis, sicut ad eam primò eligit sine meritis: hoc enim non est contra justitiam,

tiam, vel aliam virtutem, sed potiùs actus summæ liberalitatis. Repugnat autem, Deum damnare aliquem prorsùs immeritum, quia hoc est contra justitiam.

Secundò. Quia in Christo, mortalem vitam agente, non sic fuimus tamquam in capite, ut eius voluntas esset voluntas omnium ab eo regenerandorum, & ipso merente omnes mererentur. Omnes autem ab Adam seminaliter descendentes, eorumque voluntates sic in illo fuerunt; unde in eo peccante peccaverunt, Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt*. Quare autem Deus nostras voluntates in Christo non posuerit, quas posuit in Adam, ratio esse potest. Tùm ut magis eluceat ejus bonitas, quæ merita Christi nobis applicat, quæ nullo modo sunt nostra. Tùm quia non eramus aliquid Christi, quando ipse patiebatur, sed potiùs aliquid damnationis, & Diaboli: eramus autem aliquid Adæ, quando in Paradiso præceptum Dei violabat.

IX. Quæres: An peccatum originale sit univocè peccatum cum peccato actuali?

Respondeo, probabiliorem esse partem affirmativam: cùm utrumque sit privatio rectitudinis, quæ secundùm rectam rationem deberet inesse, cum hac differentia, quòd una est habitualis, alia actualis. Utrumque etiam dicitur simpliciter, & absolutè peccatum constituens hominem aversum à Deo, filium iræ, & indignationis, privans gratiâ, & Deo inimicum faciens.

Quòd verò unum sit voluntarium voluntate propriâ, idest tàm moraliter, quàm physice, alterum verò solùm voluntate alienâ, seu meliùs dependenter à voluntate aliena, & voluntarium solùm moraliter, ad summum arguit, quòd peccatum actuale, & originale secundùm propriam differentiam specie differant; non verò quòd ambo non conveniant in una ratione peccati simpliciter unâ, & genericâ, ac proinde univocâ. Et licèt actuale Adami sit causa originalis, est tamen causa solùm quoad existentiam, non quoad rationem formalem peccati; unde non obstat, quin univocentur univocatione logicâ, & in ratione communi peccati.

X. Adeatur S. Anselmus *l. de Concept. Virgin. & peccat. Origin. cap.* 3. ubi hæc habet: *Si verò dicitur, originale peccatum non esse absolutè dicendum peccatum, sicut pictus homo non verè est homo, sed verè est homo pictus; profectò sequitur, quia infans, qui nullum habet peccatum, nisi originale, mundus est à peccato .... & aut non damnatur infans, qui moritur sine Baptismo, nullum habens peccatum præter originale, aut sine peccato damnatur*.

§. II.

Resolvitur posterior pars.

XI. Dico secundò. Peccatum originale inest unicuique proprium antequàm renascatur. Est contra quosdam Doctores, etiam Catholicos, qui nihil intrinsecum in parvulis agnoscentes, quod in eis sit peccatum, volunt, eos dici peccatores ex peccato actuali Adami, quatenùs eos extrinsecè denominat: indeque colligunt, peccatum originale, non multiplex, sed unum numero esse in omnibus parvulis. Ita senserunt Albertus Pighius, Ambrosius Catharinus, Alphonsus Salmeron in *cap. 5. Epist. ad Rom. disp.* 45. 46. & 47.

XII. Hæc tamen opinio tamquàm erronea communiter rejicitur. Et Vazquez *in 1. 2. disp.* 132. *cap.* 3. eam errori Pelagii negantis originale peccatum in parvulis annumerare non timet. Saltem tamen negari non potest, quin in fide periculosa sit, & à prædicto errore non procul distans. Ideòque aboleri jussa in Indice expurgatorio tàm Romano, quàm Hispano sub Sandoval, verbo *Ambrosius Catharinus*.

XIII.

XIII. Nostra ergo huic contraria assertio probatur primò ex Apostolo, *Rom.* 5. *v.* 12. dicente: *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*: at peccatum actuale Adami, cùm fuerit actus in ipso manens, per seipsum in Mundum non intravit, sed transiit; ergo præter actuale Adæ peccatum, inest aliquid intrinsecum parvulis ab Adamo ad eos transiens, quo intrinsecè peccatores nascuntur. Rursùs ex eodem Apostolo, sicut peccatum in Mundum intravit, ita per peccatum mors ut pœna: sed unicuique contingit mors propria; ergo unicuique inest proprium peccatum, quia non infligitur, nisi propter peccatum proprium.

XIV. Probatur secundò. Tridentinum *Sess.* 5. *Can.* 3. affirmat, peccatum Adæ, *quod origine unum est*, *propagatione*, *non imitatione inesse unicuique proprium*. Can. 5. anathemate ferit eum, qui dixerit, in Baptismo *non tolli totum id*, *quod veram*, *& propriam peccati rationem habet*, *sed illud dicit tantùm radi*, *aut non imputari*. Sess. autem 6. cap. 3. ait, quòd homines *nisi ex semine Adæ propagati nascerentur*, *non nascerentur injusti*; *cùm eâ propagatione per ipsum dum concipiuntur*, *propriam injustitiam contrahant*. Ex quibus subsumo sic. Primò. Concilium dicit, peccatum originale inesse unicuique proprium: sed peccatum, quod fuit in Adamo, nec inest unicuique, cùm solum extrinsecè, & moraliter omnes denominet; nec est unicuique proprium, sed unum commune omnibus; ergo &c. = Secundò. Concilium diris devovet dicentem, in Baptismo non tolli quidquid veram, ac propriam rationem peccati habet, sed illud tantùm tegi, & non imputari: sed si originale peccatum nil aliud est, quàm ipsum Adami peccatum, ut extrinsecè denominans, seu imputatum, non tollitur in Baptismo, quod veram peccati rationem habet, sed solùm non imputatur; ergo &c. = Tertiò. Concilium dicit, homines per Adam propagatos, dùm concipiuntur, contrahere propriam injustitiam: sed si peccatum originale nil aliud est, quàm peccatum Adami, ut extrinsecè denominans, non verificatur, quòd contrahant propriam injustitiam, sed quòd communi injustitiâ injusti sint; ergo &c.

XV. Confirmatur. Concilium *Sess.* 6. laudatâ comparat peccatum, & injustitiam, quam ex Adam per generationem accepimus, cum justitia, quam à Christo Baptismi regeneratione recipimus: sed hæc est nobis intrinseca; non enim justi sumus per solam justitiam Christi nobis extrinsecè imputatam: nam hic est error Lutheri, & Calvini damnatus à Tridentino *Sess.* 6. *Can.* 11. ergo similiter injusti non sumus solâ Adami injustitiâ nobis extrinsecè imputatâ: sed injustitiâ unicuique intrinsecâ.

XVI. Quod urgetur. Si Adam non peccasset, justitia, quam cum natura transmisisset ad Posteros, fuisset unicuique intrinseca, & non sola justitia Adami extrinsecè denominans unumquemque justum; ergo similiter istius justitiæ privatio, seu originalis injustitia, inest unicuique dùm nascitur, eumque reddit intrinsecè injustum.

XVII. Denique. Pœna damni, quæ est carentia divinæ visionis, & correspondet peccato originali, non est una pro omnibus, sed cuique decedenti sine Baptismo inest propria; ergo etiam peccatum originale, ut sit proportio inter culpam, & pœnam.

XVIII. Dices tamen. *Roman.* 5. *v.* 19. dicitur: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*: sed causa constituens est causa formalis, non effectiva; ergo inobedientia, & peccatum Adæ est causa formalis denominans peccatores.

XIX. Retorqueo primò instantiâ. *Roman.* 5. ibidem dicitur etiam: *Per unius obeditionem justi constituentur multi*; ergo si causa constituens est causa formalis, per unius, idest Christi, obeditionem nobis extrinsecè imputatam,

tam, & non per justitiam intrinsecam, justi constituentur multi, qui est error recentiorum hæreticorum. = Respondeo secundò. Verba Apostoli intelligenda esse in sensu causali, non formali. Sicut ergo Christi obedientiâ non constituimur justi formaliter, sed effectivè, quatenus ex ea derivatur in nos justitia: ita Adæ inobedientiâ non constituimur formaliter peccatores, sed causaliter, quatenus ex ea derivatur in nos privatio justitiæ.

DUBIUM IV.

Quodnam sit Adæ peccatum, quod in ejus Posteros traducitur.

§. I.

Resolutio Dubii.

NOtum Adami peccatum plura alia peccata comitata fuisse, superiùs vidimus. Modò quærimus, quodnam fuerit, ex quo Posteri Adæ originali justitiâ nudati nascuntur.

I. Dico. Peccatum Adæ, quod fuit primum, illud est, ex quo in Posteros peccatum originale derivatur. Hoc clarè significat Concilium Tridentin. *Sess.* 5. *Can.* 1. *&* 2. ubi statuit: *primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse:* eamque ipsius prævaricationem non ei soli, sed & ejus propagini nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem non sibi soli, sed & nobis perdidisse; & eum sic inquinatum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis non tantùm, sed & peccatum, quod est mors animæ, in omne genus humanum transfudisse. Si ergo *statim*, ac peccavit, hæc omnia secuta sunt, consequens est, quòd cùm primò peccavit, seu ejus primum peccatum humanæ perditionis causa fuerit.

II. Ratio autem potest esse hæc. Illud enim peccatum transit in Posteros, per quod deperditum fuit donum justitiæ originalis toti naturæ humanæ in Adamo collatum, quod propterea fuit peccatum naturæ: atqui donum illud fuit deperditum per primum peccatum Adami; cùm per illud amissa fuerit gratia gratum faciens, quæ erat radix justitiæ originalis, ut supra cum D. Tho. 1. *p.* *q.* 100. *a.* 1. *ad* 2. statuimus; ergo primum peccatum Adami est illud, quod originaliter transit in Posteros.

III. Sed dices. Primum Adæ peccatum, ut supra diximus, superbia fuit: sed peccatum, quod traducitur in Posteros, est inobedientia, & transgressio præcepti de non comedendo fructu vetito, dicente Apostolo Rom. 5. v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; quod asserit quoque Concil. Tridentinum *Sess.* 5. sæpe citatâ; ergo &c.

IV. Respondeo, dist. ma. peccatum primum inadæquatè, & initiativè sumtum, co. ma. adæquatè, & consummativè, nego maj. Peccatum ergo Adami plura clausit peccata. Estò enim in externa manducatione consummatum fuerit, initium tamen habuit ex superbia, & in illa comestione superbia continebatur. Audiens enim Adamus ab Heva, se futuros Deo similes scientes bonum, & malum, si de fructu illius ligni comederent; statim in superbiam elatus, voluntatem concepit de illo comedendi, quam voluntatem, dùm externâ manducatione complevit, non aliud, quàm peccatum mente conceptum consummavit. Et sic primum peccatum usque ad consummationem fuit manducatio illa fructus: quamvis inchoatio ejus fuerit superbia actualem quidem manducationem præcedens, includens tamen voluntatem eam faciendi. Paulus autem, & Tridentinum loquuntur de consummatione primi peccati, non de ejus interna inchoatione. Sed ut hoc clariùs explicetur, sit

§. II.

An per quodcumque aliud peccatum, etiamsi illud non fuisset vetita comestio, traduceretur de facto ab Adamo injustitia, & peccatum in Posteros?

V. Dico. Probabiliorem videri partem affirmativam; cujus oppositum estò teneant Alensis, Catharinus, Suarez, & alii existimantes, ex divina lege, seu pacto cum Adamo inito, solum peccatum comestionis ligni vetiti potuisse ad nos derivari; atque adeò causalitatem peccati originalis nequaquam fuisse illi alligatam quia primo, sed quia talis speciei, nempè gulæ, unde derivatum fuisset, etsi non fuisset primum:

VI. Nostra tamen assertio expressa est D. Thomæ *in 2. in fine distinct.* 33. ubi in expositione textus de peccato gulæ: *Hoc est* (inquit) *per accidens, quòd tale nocumentum natura humanæ intulit, quia scilicet fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit, & ordinem animæ ad Deum interrupit in illo, ex quo omnes homines per coitum generati naturam humanam traxerunt. Quodcumque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sive fuisset peccatum operis, sive voluntatis.* Et eàdem *dist.* 33. *q.* 1. *a.* 1. *in corpore*, ait: *Defectum autem ad naturam pertinentem solùm primum peccatum induxit; ipsum enim discontinuavit adhæsionem hominis ad Deum.* Rursùs 2. 2. *q.* 163. *a.* 3. *ad* 2. dicit, quòd *magnitudo pœnæ, quæ consecuta est ad illud primum peccatum, non correspondet ei secundùm quantitatem propriæ speciei, sed inquantùm fuit primum; quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, quâ subtractâ, deordinata est tota natura humana.* Idem asserit ad *Rom.* 5. *lect.* 3. Q. 4. *de Malo a.* 8. & alibi.

VII. Ex cujus doctrina formatur hæc ratio. Idcircò comestio pomi vetiti fuit de facto peccatum, quod traducitur in Posteros, quia per illam interrupta, & discontinuata primò fuit innocentia primi status, & adhæsio hominis ad Deum, & consequenter amissa justitia originalis: sed per quodcumque aliud peccatum mortale, si fuisset primum, contigisset dicta interruptio, & discontinuatio, & amissio justitiæ originalis; nam hæc cùm includeret gratiam sanctificantem, erat incompossibilis cum quovis peccato mortali; ergo quodcumque peccatum mortale &c.

VIII. Dicunt, Adam per quodcumque mortale, si fuisset primum peccatum, amissurum quidem justitiam originalem pro se, non verò pro suis Posteris.

IX. Sed contra. Justitia originalis erat donum datum naturæ potiùs, quàm personæ, seu personæ, ut capiti, & principio totius humanæ naturæ, eâ lege, ut si eam servaret, in omnes illius naturæ transfunderetur: si verò amitteret, talis jactura in omnes transiret; ergo cùm per quodcumque primum mortale eam amisisset, amisisset non solùm pro se, sed pro Posteris. Antecedens probatur ex Divo Thoma, qui q. 4. de Malo a. 8. *Fuit autem* (inquit) *in principio conditionis humanæ quoddam donum gratuitum primo homini divinitùs datum, non ratione personæ suæ tantùm, sed ratione totius naturæ humanæ ab eo derivandæ, quod donum fuit originalis justitia.... Hoc autem donum sublatum est per primum peccatum primi Parentis: unde rationabiliter, & peccatum illud propter easdem causas ad Posteros derivatur.*

Addo, quòd cum Adamus per primum quodcumque peccatum justitiam originalem amisisset pro se, amisisset quoque vigorem ad eam in Posteros transfundendam.

X. Sed objicies primò. Solùm illud peccatum derivaretur in Posteros, quod esset capitale, & ab eo commissum ut capite totius naturæ: sed sola comestio ligni vetiti esset capitale pecca-

peccatum, omne autem aliud fuisset personale tantùm; ergo &c. Min. prob. peccatum Adami non habebat esse capitale ex natura sua, sed ex lege, seu pacto, quo constitutus fuit caput morale suæ posteritatis: sed constitutus fuit caput morale totius posteritatis solùm in adimpletione, aut transgressione præcepti de non comedendo de ligno vetito. Nam *Gen. 2. v. 17.* dicitur: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; ergo nullum aliud peccatum, præter esum ligni, potuit esse capitale.

XI. Urgetur magis. In his, quæ à voluntate Divina dependent, standum est iis, quæ Deus revelavit: quâ ratione docemus contra Scotum, Verbum ita incarnatum esse propter peccatum Adami, ut si Adam non peccasset, ex nullo alio motivo fuisset incarnatum; ergo cùm Deus in Scriptura revelaverit, propter comestionem ligni vetiti inducendam esse mortem, & peccatum in omnes, & propter hoc inductam fuisse testatus sit Gen. 3. v. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno...... in laboribus comedes &c.* dicendum est, Deum ita illi comestioni alligasse peccatum capitale Adami traducendum in Posteros; ut si quodcumque aliud peccatum commisisset, peccatum illud capitale non fuisset, nec traducendum in Posteros.

XII. Respondeo, neg. min. ad prob. dist. min. in adimpletione, aut transgressione &c. quia prima, co. min. quia talis speciei, nego min. De facto igitur Adam se se exercuit tamquam caput morale naturæ humanæ in adimpletione, vel transgressione præcepti de non comedendo de ligno vetito, non quia actus talis speciei fuit, nempe comestio, vel non comestio; sed quia fuit primus actus à Deo præcepto positivo ei imperatus: ideò sicut illud tamquam caput morale implevisset, ita tamquam caput morale illud violavit, & fuit peccatum non solùm personæ, sed naturæ. Quapropter in illo præcepto comminatorio, estò explicitè sola comestio vetaretur, implicitè tamen prohibebatur quodcumque aliud peccatum mortale, quòd esset primò interruptivum subjectionis animæ ad Deum.

Hanc instantiam sibi proponit D. Th. *in 2. dist.* 3. in fine, exponendo textum, his verbis; *Quamvis quidam, aliter dicant, dicentes: Si Adam alio modo peccasset, non incurrisse eum necessitatem moriendi, quia hæc pœna illi tantùm culpæ videtur esse ordinata à Deo, cùm dixit: Quacumque die comederis &c.* Cui respondet S. D. *Sed in hoc ostenditur, etiamsi alia peccata commisisset, quòd similem pœnam sustinuisset à minori. Gravius est enim, præceptum præterire naturalis legis, quo prohibetur illud, quod est in se malum, quàm præterire præceptum disciplinæ, quo prohibetur, quod non est malum, nisi quia prohibitum.* Quapropter 2. 2. *q.* 163. *a.* 3. *ad* 2. citatum, docet, quòd quantitas pœnæ non correspondet comestioni *secundùm quantitatem suæ speciei, sed inquantùm fuit primum* peccatum. Et rationem reddit: *quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, quâ subtractâ, deordinata est tota natura humana.*

XIII. Ad id, quod urgetur, dist. ant. si unicè à voluntate Dei pendeat, & non à ratione, co. ant. Si adsit ratio voluntatem Dei interpretandi, nego ant. & consequ. & disparitas est. Quia Deus sic revelavit voluntatem suam fuisse, ut Verbum carnem sumeret ad delendum peccatum originale; ut si hoc non fuisset, nulla adsit ratio, quâ, nisi divinando, dicere possimus, eum voluisse, ut Verbum adhuc Incarnaretur: maximè cùm opus Incarnationis sit mysterium omnem naturalem rationem, & cogitatum superans. At Deus sic revelavit, per comestionem pomi traducendum esse in Posteros peccatum, & mortem; ut supersit nobis ratio interpretandi, eum voluisse per comestionem ligni

vetiti traduci peccatum, non quia peccatum talis speciei, nempè gulæ, sed quia primum; quia enim primum, fuit peccatum non personæ, sed naturæ, & ideò totam naturam spoliavit originali justitiâ: quod cum fecisset quodcumque aliud peccatum mortale, si fuisset primum, ideò per quodcumque aliud peccatum interrupta fuisset subjectio naturæ humanæ ad Deum, amissa justitia originalis, & traductum peccatum in omnes. Et sanè miror, quòd hanc disparitatem non viderit inter cæteros Mag. Ferre; Nam D. Thomas, qui docet, si Adam non peccasset, Verbum non fore incarnandum; adhuc tamen docet, quòd si Adam non comedisset, aliud tamen peccatum, quod fuisset primum, commisisset, peccatum in Posteros traduxisset.

XIV. Sed quid, si Adam non comedisset, & præceptum illud positivum custodisset, violasset tamen postea aliquod præceptum naturale opere, vel corde; traduxisset ne peccatum in Posteros?

XV. Respondeo affirmativè cum D. Thom. in 2. *dist.* 33. in fine in exposit. textus supra citati. *Quodcumque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sive fuisset peccatum operis, sive voluntatis*. Ratio autem est: quia ad conservandam justitiam originalem pro se, & pro Posteris non sat erat unius præcepti positivi adimpletio, sed requirebatur etiam observantia omnium, hoc est, nullius præcepti transgressio. Quare etsi Adam legem illam positivam de non comedendo de ligno vetito observasset, si tamen totam legem non observasset, sed aliquod ejus præceptum violasset, justitiam originalem amisisset pro se, & pro Posteris; quamvis si præceptum de non comedendo observasset, non esset de facto ampliùs probabiliter peccaturus.

DUBIUM V.

Varia examinantur circa Originalis peccati traductionem.

§. I.

De aliis Adæ peccatis, & proximorum parentum.

INfertur ex dictis: quòd si Adam primò solâ mente peccasset, & nullum peccatum exterius commisisset, adhuc justitiam originalem interrupisset, & innocentiam pro se, & Posteris amisisset. Ita D. Thomas nuper laudatus, dicens: *Sive fuisset peccatum operis, sive voluntatis*. Nunc ad quæsitum.

I. Dico. Solum primum Adæ peccatum traduci in Posteros, non verò alia, vel ipsius, vel proximorum parentum. Ita S. Thomas 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. dicens: *Impossibile est, quòd aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi Parentis præter primum, per originem traducantur*. Et ratio S. D. est. Quia ea, quæ sunt purè personalia, non traducuntur per originem à parentibus in filios: nam generans per se generat sibi simile secundùm speciem, non autem secundùm individuum. Estò autem, si virtus generantis sit fortis, tradat suam similitudinem genito, etiam quantùm ad accidentia individualia; *hoc tamen verum est de accidentibus, quæ aliqualiter ad corpus pertinent, non autem de accidentibus, quæ solùm pertinent ad animam, maximè intellectivam, quæ non est virtus in organo corporali. Homo enim albus plerumque generat filium album, magnus magnum, nunquam autem Grammaticus Grammaticum, aut Physicus Physicum* (ut docet S. Th. *q.* 4. *de Malo a.* 8.) Sed peccata proximorum parentum, aut etiam primi Parentis, præter primum, sunt purè personalia; illud enim solùm pertinet ad naturam speciei, per quod tollitur

litur id, quod ad naturam pertinet, sive ex ejus principiis ortum, sive ex dono gratiæ ei collatum: per solum autem peccatum primi Parentis ablatum est id, quod pertinebat ad naturam, nimirum donum justitiæ originalis; ergo &c.

II. Confirmatur. Reliqua peccata, sive primi Parentis, sive proximorum, non corrumpunt naturam quantùm ad id, quod naturæ est; auferendo scilicet aliquid ad totam naturam pertinens, seu quod esset cum natura ad omnes communiter derivandum, sed solùm quantùm ad id, quod est personæ. Nec enim parentes proximi constituti sunt caput morale filiorum; nec Adam se gerebat ut caput morale totius naturæ in omni actu, sed solùm in primo actu, quo expleto, desiit esse caput morale; ergo nec peccata proximorum parentum sunt capitalia, nec alia Adæ peccata, præter primum. Aliàs cùm non posset Adam ampliùs justitiam originalem, quam amiserat, in filios transfundere, mansisset caput solùm in ordine ad malum, quod est inconveniens.

III. Secundò probatur ratione D. Thom. *q. 4. de Malo a. 8.* citato. Ideo peccatum primum per generationem in omnes propagatur, quia sustulit donum Dei concessum primo homini, non ratione suæ personæ tantùm, sed ratione totius naturæ humanæ ab eo derivandæ, nempè originalem justitiam; quæ insuper non solùm residebat in superiori parte animæ, sed diffundebatur etiam ad inferiores partes animæ, eas totaliter sub ratione continendo; imò usque ad corpus, quod per generationem traducitur, in quo nihil (durante tali dono) poterat accidere, quod contrariaretur unioni ipsius ad animam: *Sed alia peccata actualia, vel ipsius primi Parentis, vel etiam aliorum opponuntur dono gratiæ, quod divinitùs confertur alicui ratione personæ suæ tantùm: & iterum residet vis ejus in sola anima intellectiva; neque derivatur ad corpus, ut per hujusmodi gratiam tollatur corruptibilitas corporis*; ergo *nec ipsa gratia traducitur, nec etiam peccata actualia quorumcumque parentum, etiam ipsius Adæ, præter primum ejus peccatum, traducuntur in Posteros per modum originis. Possunt autem peccata actualia proximorum parentum derivari ad filios per imitationem, propter conversationem assiduam filiorum cum eis.*

IV. Hanc veritatem testatur Apostolus *Rom. 5. v. 16.* dum ait: *Judicium quidem ex uno* (delicto) *in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem*. Ibi enim hanc statuit differentiam inter peccatum, quo genus humanum est damnatum, & gratiam, quâ liberatur; quòd ex uno peccato itum est in condemnationem omnium: gratia verò non ex uno tantùm peccato, sed ex multis liberat, ac justificat. Nec refert, quòd Christus non solùm per primum actum, sed per omnes in nos justitiam transfundat. Nam Christus non solùm in primo actu, quo ex caritate motus fuit ad obediendum, sed in omnibus actibus usque ad passionem, & mortem se gessit ut Caput morale nostrum: at Adam in solo primo actu fuit Caput morale hominum, non autem in sequentibus.

V. Quòd verò parentum proximorum peccata non traducantur originaliter in filios, ex professo ostendit S. Anselmus *lib. de Conceptu virginali, & originali peccato cap. 23. nunc 24.* per totum. Quia enim *nullus post Adam filiis suis quivit justitiam suam servare; nullam video* (inquit) *rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari*. Et infra: *Quoniam itaque nullam dant justi parentes ante Baptismum infantibus suis justitiam; nullam utique addunt injusti suis injustitiam.*

Ex quibus formatur hic discursus. Si parentes injusti transfunderent injustitiam suam in filios, etiam parentes justi transfunderent justitiam suam in eosdem; sed hoc est falsum; ergo &c.

Quod

Quòd si dicatur, injustos parentes non addere quidem injustitiam suis infantibus, sed originalem, quam habent ab Adam, facere in eis graviorem; ergo & justos in suis eam reddere leviorem = Respondet. Si minùs sunt injusti infantes justorum, minùs debent reprobari, quàm illi. Cur ergo mixtim & justorum, & injustorum infantes ad Baptismum trahuntur? *Sicut ergo* (inquit) *non est justo justior, nisi qui voluntate magis, aut appetit, aut vitat, quod debet: ita non est injusto injustior, nisi qui plùs amat, aut contemnit, quod non debet.* Quod cùm in infantibus arbitrii usum non habentibus ostendi nequeat, concludit: *Sed dico, peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse; sicut peccatum Adæ, quod est causa, cur nascantur in illo, ad omnes pertinet æqualiter.* Hæc S. Anselmus.

VI. Observandam censeo, ad hujus perfectam intelligentiam, doctrinam S. Thom. *in 2. dist.* 33. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1. ubi cùm sibi opposuisset, quòd ex parentibus proximis ducitur major assimilatio in genito, unde filii magis assimilantur patribus, quàm avis, & proavis; & traductio originalis fiat secundùm assimilationem generantis ad genitum, quia in originali natus etiam in originali generat: videtur ergo peccatum originale magis contrahi ex parentibus proximis, quàm ex Adam.

Cui respondet. *Ad primum dicendum, quòd assimilatio generantis ad genitum, per se loquendo, est in natura speciei, quia generans univocum generat sibi simile in specie: contingit autem quandoque, quòd etiam in accidentibus individui sit assimilatio filii ad patrem, sed hoc non est, nisi in accidentibus corporalibus, ut quod podagricus generet podagricum, non autem in accidentibus animæ: non enim musicus generat musicum, sed rationalis rationalem. Peccata autem proximorum parentum nihil in naturam corruptionis inducunt; quia natura jam corrupta est, secundùm quod corrumpi potuit, per peccatum primi hominis: & ideò natura cum illa corruptione pervenit ad proximos parentes, & cum illa corruptione naturam traduxit. Et ideo dicitur, quòd omnis homo generat, inquantùm est Adam.*

VII. Hinc colligitur, non solùm pueros natos ex infidelibus contrahere peccatum originis, sed etiam natos ex fidelibus, & Sanctis: & propterea etiam istos ad gratiam, & vitam æternam egere Baptismo, quidquid obstrepat in contrarium Calvinus: eadem enim est causa pro omnibus. Neque hìc juvat confingere pactum. Nam pactum est quidem de justificandis parvulis, si suscipiant Baptismum; sed pactum de justificandis, & salvandis fidelium parvulis, etiam sine Baptismo decedentibus, ubinam est? Sanè qui ex semine Abrahæ gignebantur, filii fidelium erant; aderat & pactum, sed non pro iis, qui absque Circumcisione decedebant. De iis enim legitur Gen. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit:* quem textum de æterna, non temporali deletione, supra exposuimus = Præterea: quis ex parentibus magis fidelibus, ac justis natus Joanne Baptista? Qui tamen cum legatur sanctificatus in utero matris, proinde in originali conceptus, egebat mundatione.

VIII. Dices tamen primò. Ideo in Adam peccavimus, quia in eo eramus secundum seminalem rationem; sed hoc eodem modo fuimus in parentibus proximis; ergo &c.

IX. Respondeo, dist. maj. quia in eo eramus, ut in capite morali totius naturæ, cui datum fuerat donum pro universa natura ab eo propaganda, co. maj. ut in causa particulari, nego maj. & in hoc sensu etiam min. Non enim fuimus in parentibus proximis, ut in capitibus, quibus datum sit, ut eorum vel justitiæ, vel injustitiæ tota natura ab eis propaganda com-

communicet: sed sicut eorum justitia in ipsis sistit, & non traducitur; ita injustitia solùm personalis est, nec ad alios transit. *In primo Parente, & in proximis parentibus fuimus secundùm communicationem naturæ, non tamen secundùm communicationem in persona: Et ideò peccato subtrahente donum naturæ participamus, non autem peccato subtrahente donum personæ.* Ita D. Th. q. 4. de Malo a. 8. ad 10. Et ibid. ad 1. *Adam* (inquit) *suo peccato actuali corrupit naturam humanam, subtrahendo donum gratuitum, quod poterat transire in Posteros, quod non fit per actualia peccata proximorum parentum, ut ex dictis patet; quamvis addant ad hanc corruptionem per subtractionem gratiæ, vel aptitudinis ad ipsam gratiam, quæ est donum personale.* Videatur etiam *1. 2. q. 81. a. 2. ad 3.*

X. Dices secundò. Magis potest transferre in alterum id, quod habet à seipso, quàm id, quod habet ex alio, sicut ignis magis potest calefacere, quàm aqua calefacta: sed parentes proximi transferunt per originem in prolem peccatum, quod habent ab Adam; ergo multò magis ea, quæ ipsi commiserunt.

XI. Respondeo cum D. Thom. q. 81. 1. 2. a. 2. ad 2. *quòd illud, quod habet aliquis ex se, magis potest traducere, dummodo sit traducibile. Sed peccata actualia proximorum parentum non sunt traducibilia, quia sunt purè personalia.*

XII. Sed dices tertiò. David ex legitimo Matrimonio natus dicit Ps. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* sed hoc non esset, si in solo originali ab Adam conceptus fuisset, hoc enim est unum tantùm; ergo quia per originem traxit etiam peccata proximorum parentum.

XIII. Respondeo primò, S. Hieronymum (ut Tom. 1. ejus. Oper. Edit. Maur. & in Bibl. Poliglott.) vertisse, *Ecce in iniquitate ... & in peccato:* scil. in numero singulari. = Respondeo secundò cum D. Th. q. 4. citatâ de Malo a. 8. ad 1. *quòd peccatum originale in uno homine est unum tantùm. Sed dicitur pluraliter* in peccatis concepit me mater mea, *propter quatuor. Primò quidem secundùm consuetudinem Scripturæ, in qua ponitur plurale pro singulari, ut patet Matth. 2.* Mortui sunt, qui quærebant animam pueri, *quod dicitur pro solo Herode. Secundò. Quia peccatum originale est quodammodo causa sequentium peccatorum: & ita virtute continet in se multa peccata. Tertiò. Quia in peccato actuali primi parentis, ex quo peccatum originale causatur, fuit multiplex peccati deformitas. Fuit enim ibi superbia, inobedientia, gula, & furtum. Quartò. Quia corruptio peccati originalis ad diversas hominis partes pertinet. Sed tamen propter hoc, peccatum originale in homine non potest dici plura, nisi secundùm quid.*

XIV. Dices quartò. Pœna non debetur nisi culpæ: sed filii judicio divino puniuntur pro peccato proximorum parentum Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.* Judicio etiam humano in crimine læsæ majestatis filii exhæredantur pro peccato parentum. Hæredes furis obligantur pro furto patris, licèt de furto nihil ad eos pervenerit &c. ergo &c.

XV. Confirmatur ex S. August. *in Enchirid. cap. 46.* docente: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt.* Et post pauca, allatis verbis *Ps.* 50. supra relatis: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea,* ait: *Neque hîc dixit* in iniquitate, vel peccato, *cùm & hoc rectè dici posset; sed* iniquitates, & peccata *dicere maluit; quia & in illo uno, quod in omnes homines pertransiit .... reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, & alia parentum, quæ etsi*

non

non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios &c. ergo &c.

XVI. Respondeo, dist. maj. pœna spiritualis, co. maj. pœna corporis, nego maj. & dist. min. pœnâ corporis, co. min. pœnâ spirituali animæ, nego min. Responsio est D. Tho. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. *ad* 1. dicentis: quòd *pœnâ spirituali, sicut Augustinus dicit in Epist. ad Avitum* (veriùs ad Auxilium Epist. 75. modò 250.) *numquam puniuntur filii pro parentibus, nisi communicent in culpa, vel per originem, vel per imitationem, quia omnes animæ immediatè sunt Dei, ut dicitur Ezech. 18. Sed pœnâ corporali interdum judicio divino, vel humano puniuntur filii pro parentibus, inquantùm filius est aliquid patris secundùm corpus.*

XVII. Ad confirm. variè responderi solet. Aliqui dicunt S. Aug. ibi non velle filios proximorum parentum peccatis coinquinari, seu eorum peccata in filios transire, sed solam pœnam, modo tamen supra explicato.

Verior tamen responsio est, quam dat S. Tho. 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. *& q.* 4. *de Malo a.* 8. S. Augustinum solùm referre illam opinionem, quam tunc probabilem existimabat, unde ait: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari &c. non improbabiliter dicitur.* Deinde exponit illius opinionis motiva, maximè ex Psalm. 50. nihil tamen determinat, sed quæstionem insolutam relinquit. Unde ibi *cap.* 47. concludit: an qui nascuntur, omnium præcedentium parentum peccatis implicentur, an Dei misericordiâ tàm gravi sarcinâ liberentur, an aliquid aliud de re tanta ex Sacris Scripturis colligatur, *temere affirmare non audeo.*

XVIII. Cæterùm quod ibi ausus non est affirmare, factus jam senex absque omni dubietate asseruit, nempè proximorum parentum culpâ filios non obligari. Cùm enim audisset, Auxilium Episcopum juvenem, ob unius peccatum, totam familiam excommunicasse, hoc factum improbans ad eundem conscripsit Epistolam (olim 75 modò 250.) in qua eum rogat, ut eum docere dignetur, *quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur .... neque enim hæc corporalis est pœna ... spiritalis autem pœna ... animas obligat, de quibus dictum est:* Anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* 18. *v.* 4.) Et infra iterùm eum rogat, ut doceat, *quomodo vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt, sicut ex Adam, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, spiritali supplicio puniamus.* Censet ergo S. August. ex solo Adam culpam, pro qua possint spirituali pœnâ in anima puniri, parvulos per originem trahere.

XIX. Dices quintò. Patres docent peccatum originale non aliter transfundi ad Adæ Posteros, quàm ratione concupiscentiæ, & libidinis parentum in ipso usu conjugii, non secus ac podagra, aliaque parentum vitia transfunduntur in filios; ergo aliquid ex peccatis proximorum parentum in filios originaliter transit. Ant. probatur ex Patribus, quos Augustinus ipse refert, & laudat *lib.* 1. *contra Julian. c.* 3. 4. *&* 5. & aliis Augustino posterioribus, qui videntur, originale peccatum unicè refundere in hoc, quòd ex germine vitiato homo nascatur; & intantùm Christum nullam peccati maculam contraxisse, quia cum ex nulla viri contagione conceptus, pollutionem, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur omnino non habuit. Ut ergo huic objectioni respondeamus sit

§. II.

§. II.

An Parentum concupiscentia sit causa Originalis peccati?

COncupiscentiam, & libidinem, quæ in hac natura corrupta actum generationis comitatur, esse causam proximam transfusionis peccati originalis sensisse visi sunt Magister sentent. *in 2. dist.* 31. Gregorius Arimin. & Gabriel. ibidem.

XX. Dico tamen. Concupiscentia, seu libido, quæ in actu conjugii modò est, non est causa proxima traductionis peccati originalis in prolem: sed causa proxima est generatio naturalis, quæ, ut ex Adam descendit, producit naturam cum corruptione: concupiscentia verò, & libido, est solùm conditio concomitans eam in statu corruptionis, seu signum corruptionem ostendens. Tres habet partes hoc assertum. Prior probatur ex Bellarm. *lib. 4. de Amiss. gratia, & statu pec. cap.* 12. Primò. Quia si homo talis à Deo formaretur sive ex nihilo, sive alia materia, is, ut dicemus, neque haberet, neque in Posteros traduceret originale peccatum: ut enim docet Tridentinum *Sess. 5. cap.* 3. homines non nascerentur injusti, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur: at is non careret concupiscentiâ, & libidine; ergo &c.

Secundò. Si vir, & fæmina ambo ex Adam nati, singulari Dei privilegio sine libidine generarent, nihilominus peccatum originis in filios suos transmitterent; quia filii horum parentum verè ex Adam naturam traherent, & filii ejus essent, & in eo peccassent, in quo omnes peccaverunt; neque gratia personalis proximorum parentum in eos transfunderetur: non igitur libido generantium originalis peccati causa proxima est.

Tertiò. Si libido esset causa originalis peccati, ille gravius peccatum traheret, qui cum majori libidine conciperetur: hoc autem est falsum, quia peccatum originis in omnibus hominibus est æquale.

XXI. Secunda pars probatur. Et quidem quòd generatio naturalis, seu commixtio viri, & fæminæ secundùm se non sit causa traductionis peccati, patet. Nam hæc fuisset etiam in statu innocentiæ, ut supra ostendimus; & tamen peccatum non traduxisset. Quòd ergo illud causet quatenus ex Adamo descendens, probatur. Hâc enim viâ traducit naturam, qualis evasit in Adamo post peccatum; ergo corruptam. Tùm etiam. Nam qui ex generatione ab Adam descendente procedit, procedit ut filius Adæ, fuit in lumbis ejus, eique, cùm præceptum transgrederetur, communicavit in peccato. Nam, ut ait Apostolus, *omnes* (qui scilicet in eo erant, seu in lumbis ejus) *peccaverunt*.

XXII. Tertia vero pars sequitur ex dictis. Motus enim libidinis præcedentes, vel concomitantes generationem sunt argumentum certissimum, per eam, naturam corruptam propagari; nec enim in propagationem naturæ integræ tales motus vel promovissent, vel comitati fuissent: cùm tamen modò nec sanctissimi quidem conjuges sine illis generare soleant.

XXIII. Nunc respondendum est ad argumentum §. præced. propositum; Patres docere solùm, quòd commixtio carnalis sine motu concupiscentiæ, & libidinis in natura corrupta fieri nequeat. Unde sequitur, non quòd motus talis sit causa traductionis peccati, sed solum quòd sit conditio, sine qua parvuli non contraherent peccatum originale; quia scilicet aliòquin non descenderent ab Adamo naturali viâ generationis, qui mortiferâ transgressione vitium sparsit in semine, ut peccatum cum homine nasceretur. Ac propterea dùm aliqui eorum dicunt, Christum sine originali conceptum fuisse, quia sine illa carnali commixtione, per concupiscentiam vitiatâ, de Spiritu Sancto conceptus est, non loquun-

tur in sensu causali proprio, seu secundùm causam essendi; quasi concupiscentia, quæ actui conjugii adjungitur, sit causa, quare peccatum originale in prole traducatur, & sit; ita ut si hæc abesset, proles genita non fœdaretur: sed loquuntur in sensu concomitante, vel secundum causam consequentiæ, quia scilicet generatio carnalis, per quam traducitur peccatum, sine motibus concupiscentiæ fieri nequit: vel quia motus concupiscentiæ in generatione est certissimum argumentum, & indicium per illam peccatum originale traduci, quod est esse causam consequentiæ. Et hoc est, quod S. August. ait *l. 1. de Nupt. & concup. cap. 12.* loquens de Christi conceptione ex Virgine: *Solus ibi* (inquit) *nuptialis concubitus non fuit; quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. Non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati; ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Quibus indicat quidem, concupiscentiam esse concomitantem concubitum ad traducendum carnem peccati, non verò esse causam.

XXIV. Quòd si alibi videatur dicere, non generationem, sed libidinem esse, quæ peccatum traducit: non vult indicare, ipsam actualem libidinem esse veram causam originalis peccati, quod absurdum esse paulò ante ostendimus, sed solùm causam peccati originalis non esse absolutè carnis propagationem, nam hæc in Paradiso quoque fuisset, ubi tamen peccatum non extitisset: sed propagationem ex natura corrupta, quam concomitatur ardor libidinis. Quare in omnibus locis, in quibus videtur traductionem peccati tribuere concupiscentiæ, nil aliud intendit, quàm quòd Adæ peccatum totam naturam in deterius secundùm corpus, & animam mutaverit; & corpus quidem vitio concupiscentiæ infecerit, animam verò labe peccati: causamque, cur utrumque vitium traducitur ad Posteros, esse naturalem generationem, quæ sine motu concupiscentiæ non fit.

XXV. Neque controversia inter Pelagianos, & S. Augustinum erat de modo, quo peccatum originale traducitur, sed de ipsa peccati traductione, quam Pelagiani negabant, ut vidimus. Nec disputabatur de concupiscentia, nisi hoc: quòd Pelagiani concupiscentiam veluti bonum à Deo naturæ insertum laudibus celebrabant; Augustinus verò cum Catholicis eam tamquam ex peccato natam, & peccatorum parentem detestabatur. Propterea *l. 3. contra Julian.* sic eum carpit cap. 21. *Ambo continentiam profitemur; & si quod profitemur agimus, istam concupiscentiam ambo frænamus, adversùs ejus repugnantes motus ambo bellamus, ambo eam, si proficimus, debellamus. Verùm hoc interest, quod ego dico, me malum frænare, tu autem te bonum. Ego dico, mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello adversùs malum, tu adversùs bonum. Ego cupio malum debellare, tu bonum.*

In hoc ergo versabatur contentio inter Augustinum, & Julianum, inter Catholicos, & Pelagianos: peccatum originale contrahi ex concupiscentia arguebat Augustinus, quia mala, quia ex peccato nata, quia sine illa generatio non est, non quia causa traductionis peccati. Audiatur *l. 2. de Nupt. & concup. c. 5.* ubi Juliano ipsum carpenti, quòd Manichæus esset, cùm diceret: *Ideò illos* (parvulos) *esse sub Diabolo, quia de sexus utriusque commixtione nascuntur*; respondet: *Dico planè, propter delictum eos esse sub Diabolo: ideò autem expertes non esse delicti, quia ex illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam id, quod honestum est, operari.* Quod auctoritate Ambrosii confirmat. Hæc dixi, ut de mente Augustini omnis scrupulus auferatur.

§. II.

§. III.

Quid de Eo, qui miraculosè formaretur ex humana carne, an contraheret Originale peccatum?

XXVI. AD magis ſtabiliendum, ſolâ viâ naturalis generationis peccatum originale traduci, inſtituit hoc quæſitum S. Thomas 1. 2. *q.* 81. *a.* 4. & *q.* 4. *de Malo a.* 7. an ſcilicet, ſi quis materialiter tantùm de Adam naſceretur; puta, quia miraculosè formaretur ex carne tracta ex Adam, puta manu, digito, aut coſtâ, ſicut formata fuit Heva; non autem viâ generationis ex Adam procederet, contraheret peccatum originale.

XXVII. Dico ergo cum eodem S. D. quòd non contraheret. Probat primò ex Auguſtino *l.* 10. *de Gen. ad litt. c.* 18. Quia ille non fuiſſet in Adam ſecundùm ſeminalem rationem, ſecundùm quam ſolam contrahitur originale peccatum; & hâc ratione Chriſtus, quamvis de carne ex Adam ſumtâ conceptus, non peccavit in Adam, neque decimatus fuit in lumbis Abrahæ, quia non fuit ibi ſecundùm ſeminalem rationem, ſed ſolùm ſecundùm corpulentam ſubſtantiam. *Proinde* (inquit laudatus Auguſt.) *corpus Chriſti, quamvis ex carne fœminæ aſſumtum eſt, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat; tamen quia non ſic in ea conceptum eſt, quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.*

XXVIII. Probat ſecundò D. Tho. 1. 2. *q.* 81. *a. citato*, hoc diſcurſu. Illi ſoli contrahunt peccatum originale, qui ſunt ab Adam ut à principio primo movente per generationem: ſed qui aliâ viâ, quàm ex ſemine ab ipſo propagato formaretur, non eſſet ab Adamo, ut à principio movente per generationem; ergo non &c. Maj. explicatur. Nam illi ſoli contrahunt originale peccatum, qui erant in Adam ut Capite, cùm peccavit, & quorum voluntates in voluntate ejus continebantur; at illi ſoli erant, qui generationis origine ab eo propagandi erant, quippe propterea filii ejus dicuntur; ergo &c. Min. verò prob. Adam enim non eſt principium generis humani, niſi mediâ generatione, & virtute ſeminali ab ipſo derivatâ: atqui ſi aliâ viâ formaretur, puta virtute activâ Dei ex carne humana, vis activa ejus non derivaretur ab Adam; ergo &c.

XXIX. Confirmatur primò. Sicut voluntas eſt generale movens omnia corporis membra ad actus; ita Adam eſt generale, & primum movens ad naturam humanam habendam; ergo ſicut, ſi manus non moveretur à voluntate hominis, ſed ab aliquo extrinſeco movente, actus manus non pertineret ad peccatum humanum; ita ſi ad naturam humanam habendam aliquis non moveretur ab Adam, ſed ab alio extrinſeco, nempe à Deo, hujus natura non eſſet particeps culpæ totius naturæ humanæ.

XXX. Confirmatur. Peccatum originale contrahunt ii ſoli, qui ſunt filii Adæ; ſed homo productus ex carne alterius hominis non eſſet filius Adæ; quemadmodum Heva, eſtò ex coſta Adæ formata, non tamen fuit filia Adæ; quia ille ſolus dicitur filius alicujus, qui vi generativâ, propterea ad communicandam naturam inſtitutâ, procedit; ergo &c.

XXXI. Probat ſecundò S. Doct. *q.* 4. *de Malo a.* 7. Ille homo ita formatus de carne alterius ab Adam propagati, eſtò ex Adam materiam acciperet, non tamen eam acciperet ab Adam, ſed ab alia cauſa: ſed eſtò accipiat materiam ex Adam, ſi tamen eam non accipit ab Adam, ut à principio movente, & activo, non contrahit diſpoſitiones, quas habet materia, nempè caro, ut eſt ab Adam: *Non enim refert* (ait S Thomas) *quantùm ad conditionem hominis, de qua materia formetur, ſed à quo agente for-*

mctur; quia ab agente recipit formam, & dispositiones, materia verò non retinet priorem formam, aut dispositionem, sed novam acquirit per generationem; ergo &c. Quibus ultimis verbis apparet, quòd etsi caro illa, desumta ex homine descendente ab Adam, esset corrupta, & infecta; dùm tamen à Deo assumeretur ad alium hominem formandum, omnem corruptionem exueret, easque solùm dispositiones induceret, quæ à Deo agente illi imprimerentur.

XXXII. Hinc D. Thomas citato loco *ad* 1. argumentum, quod tale erat: *Anima inficitur peccato originali propter infectionem carnis, cui unitur: sed caro hominis peccatoris est infecta infectione peccati in actu, semen autem in virtute tantùm; quia cùm careat animâ rationali, non est susceptivum infectionis peccati: magis ergo contrahit maculam originalis peccati homo, qui miraculosè formaretur ex carne alicujus habentis peccatum originale, puta ex costa, vel pede, vel manu, quàm si generetur ex semine* = Respondet: *Ad primum ergo dicendum, quòd si aliquis homo formaretur ex digito, vel carne alterius hominis, hoc non posset esse, nisi carne illâ corruptâ, & recedente à sua dispositione, quia generatio unius est corruptio alterius. Unde infectio, quæ præcessit in carne, non remanet ad inficiendam animam.*

XXXIII. Si dicas. Peccatum originale pervenit ab Adam in omnes, inquantùm omnes in eo peccantes fuerunt: sed qui ex carne humana ab Adam descendente formaretur, in Adam fuisset; ergo &c.

Respondeo cum D. Thoma 1. 2. q. 81. a. 4. ad 3. *Quòd ille, qui formaretur ex carne humana, fuisset in Adam secundùm corpulentam substantiam, sed non secundùm seminalem rationem... & ideò non contraheret peccatum originale.*

XXXIV. Adverto tamen cum S. Præceptore in 2. dist. 31. q. 1. a. 1. ad 3. *Quòd si aliquis divinâ virtute ex digito formaretur, esto originale non haberet; haberet nihilominus omnes defectus, quos habent, qui in originali nascuntur, tamen sine ratione culpæ, quod sic patet. Poterat Deus à principio, quando hominem condidit* (quem justitiâ originali exornavit) *etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principijs naturæ consequitur; non tamen ille defectus in eo rationem culpæ, & pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. Similiter dico, quòd in isto, qui ex digito generatur, tales defectus essent, si principijs suæ naturæ relinqueretur, nisi Dominus gratis hoc sibi vellet conferre, quod primo homini contulit. Nec isti defectus ex voluntate primi hominis procederent, quia defectus non causatur ex voluntate primi Parentis, nisi in eis, qui ab eo naturam accipiunt: non autem aliquis accipit naturam à materia, sed ab agente. Unde cùm ille sit ab Adam solùm materialiter, non autem sicut à principio activo ab eo descendat; constat, quòd naturam humanam ab eo non accipit, nec culpam originalem per eum incurrit, nec prædictos defectus: & ideò rationem culpæ, vel pœnæ non habebunt, cùm non comparentur ad voluntatem, sicut ad causam.* Quæ adeò clara sunt, ut expositione non egeant.

§. IV.

Quid si, Adamo non peccante, Heva sola peccasset?

XXXV. Dico. Si Adam non peccasset, peccasset verò Heva, filii non contraherent peccatum originale: è converso autem esset, si Adam solus peccasset, & non Heva. Ratio autem ex D. Tho. 1. 2. *q.* 81. *a.* 5. est. Quia peccatum originale ab eo solo contrahitur, qui

est

est principium activè movens ad generationem, sed solus Adam non Heva, est principium activè movens ad generationem; ergo &c. Min. sic probo. Vel enim solus mas activè ad generationem concurrit, fæmina verò solùm passivè ministrando materiam, ut cum Aristotele sentit D. Thomas: vel si fæmina aliquem concursum habet activum, ut cum Galeno sentiunt alii, hoc certum est, quòd principium primò movens, ac potissimas partes habens ad generationem, est masculus; ergo solus Adam est principium &c. utpote cujus virtuti activæ subjacent Posteri, atque etiam totum id, quod mulier ministrat, sive ista etiam agat, sive non. Quæ ratio solùm ostendit congruitatem divinæ ordinationis. Maximè enim congruum apparet, ut si Deus vellet statum justitiæ, vel injustitiæ originalis pendere ab aliquo, ordinaret, ab eo dependere, à quo tamquam ab unico, vel saltem principaliori principio movente, & activo, omnes homines nascituri pendere debebant.

XXXVI. Secundò. Hoc idem indicat Apostolus *Rom.* 5. *v.* 12. dùm ait: *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*. Non ait: *per duos homines*, quamvis duo fuerint, qui peccarunt. Rursùs v. 15. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*. v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum*. Et v. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Ubi *unius*, inquit, non *duorum*. Quòd autem ille unus fuerit Adam, dicit ibi v. 14. *Sed regnavit mors ab Adam*. Et 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*.

XXXVII. Tertiò. Ex Concil. Trident *Sess.* 5. *Can.* 2. docemur, Adæ prævaricationem nocuisse suæ propagini, eumque acceptam à Deo sanctitatem, & justitiam, non sibi soli, sed etiam nobis perdidisse; & anathema dicitur asseveranti oppositum, nullâ factâ mentione prævaricationis Hevæ; atqui si prevaricatio Hevæ æquè, ac prævaricatio Adæ, nobis nocuisset, ita ut eâ prævaricante, etiam non prævaricante Adamo, originalis culpa in nos transiisset, debuisset ejus mentio fieri, imò magis: quia cùm priùs prævaricata sit Heva, quàm Adam, antequam Adam prævaricaretur, jam prævaricati essemus in Heva; & prævaricatio Adæ non solùm non esset prævaricatio nostra, sed omnino impertinens ad nostram prævaricationem. Quando enim unus est jam per alium occisus, si postea alius quispiam mortale vulnus illi infligat, non verè illi noceret, nec verè illum occideret; ergo si ab Heva peccante contrahimus peccatum, Adam non verè nobis nocuit, neque nos mortales reddidit suo peccato, quia jam ante eramus mortales effecti, & spiritualiter mortui per peccatum Hevæ; ergo falsum dicit Concilium, imò & Apostolus, dum prævaricationi, & delicto Adæ nostram tribuunt perditionem.

XXXVIII. Quartò prob. Ut Heva potuisset in nos transfundere suum peccatum, debuisset constitui Caput morale nostrum, & sustinere personam totius generis humani æquè ac Adam: sed solus Adam, non Heva, constitutus fuit Caput morale nostrum, ac totius generis humani personam sustinuit; ergo &c. = Nec refert, quòd etiam Hevæ impositum fuerit præceptum non comedendi = Nam in primis præceptum legitur *Gen.* 2. *v.* 16. soli Adæ immediatè factum: nam tunc Heva vel adhuc non fuerat producta, vel si producta, non aderat ibi præsens. Vel Hevam illud præceptum obligavit tamquam personam singularem, non verò ut repræsentantem totum genus humanum.

XXXIX. Sed objicies primò. Filii, qui solâ Hevâ peccante nascerentur, nascerentur ex carne corrupta, atque ex carnali concupiscentia; ergo essent caro corrupta: *Quod enim natum est ex carne, caro est* (Joann. 3. vers. 6.) ergo essent peccato obnoxii.

XL.

XL. Confirmatur. Si per miraculum aliquis nasceretur ex sola matre, iste traheret peccatum originale, acciperet enim naturam vitiatam, & corruptam: unde ut Christus conciperetur sine peccato in utero Virginis, ipsa purganda fuit à fomite, vel antequam conciperet, vel in ipso conceptu, ut docent August. *l. 2. de Peccat. merit. c.* 24. Damascenus *l.* 3. *de Fide c.* 2. *&* 12. & D. Thom. 3. *p. q.* 32. *a.* 4. *ad* 1. Imò fuisse omnino ab originali culpa præservandam, communiter piè creditur.

XLI. Respondeo, dist. antec. essent ex carne corrupta, ut principio materiali, co. ant. ut principio activo, nego ant. & consequ. Ut enim supra §. præcedente diximus cum D. Tho. q. 4. de Malo a. 7. *Non refert quantùm ad conditionem hominis, de qua materia formetur, sed à quo agente formetur; quia ab agente recipit formam, & dispositiones: materia verò non retinet priorem formam, aut dispositionem, sed novam acquirit per generationem*. Cùm ergo Hevâ peccante, sed non peccante Adamo, filii ex ea nascentes nascerentur quidem ex materia personaliter corruptâ, ex principio tamen activo, & potiori corruptionem non reciperent: ideò caro genita evaderet incorrupta, eo modo, quo superiùs dicebamus, si modò homo per miraculum formaretur ex carne corrupta, & Heva post transgressionem formata fuisset ex Adami costa, licèt ex materia vitiata formarentur, naturam tamen vitiatam non contraherent. Quod verò dicitur ex Joann. 3. *Caro* ibi sumitur pro homine carnali non percipiente ea, quæ Spiritus sunt, sed solùm ea, quæ carnis sunt. Vel ita: quod *natum est ex carne* tamquam principio activo, & non solùm materiali. Qui autem Hevâ peccante, & non Adamo, nascerentur, non nascerentur ex carne cum exclusione spiritus, neque ex homine carnali; quia Adam, qui esset principium activum, & potius, non carnalis foret, sed spiritualis.

XLII. Ad confirm. nego assumptum. Si enim aliquis per miraculum nasceretur ex sola matre, non descenderet ex Adam secundùm seminalem rationem; ideòque non contraheret peccatum originale. Quamvis enim acciperet naturam infectam ex parte materiæ, eam tamen non acciperet infectam ex parte principii activi, ex quo, ut diximus, sumitur unicè defectus, & vitium in prole. Nec B. Virgo ad hoc fuit purganda, vel (si velis) præservanda, ut in ea conciperetur Christus sine peccato; sed quia oportebat, ut Mater Dei maximâ, & omnimodâ puritate niteret, ut ait D. Tho. 1. 2. *q.* 81. *a.* 5. *ad* 3. & Q. 4. *de Malo a.* 7. *ad* 6. & hoc modo exponenda sunt, quæ docet 3. *p q.* 32. *a.* 4. *ad* 1.

XLIII. Objicies secundò. Ecclesiastici 25. v. 33. *A' muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*. Et David Psal. 50. v. 7. *Et in peccatis* (inquit) *concepit me mater mea*.

Quod urgetur. Si enim quispiam miraculosè conciperetur ex solius viri semine, is non contraheret originale peccatum: idque propterea, quia mater nihil ad ejus conceptionem contribueret. Unde commune effatum, *peccatum ex parentibus contrahi*, quo non solus vir, sed uterque parens ad peccatum contrahendum requiri indicatur.

XLIV. Respondeo primò. A' muliere factum esse initium peccati, non quia ab ipsa immediatè ad nos pertransierit peccatum; sed quia postquam ipsa peccavit prior, virum induxit ad illud peccatum, quod originaliter in nos pertransiit: & in hoc sensu per illam omnes morimur. Quare Sapiens verba illa protulit, ut moneret viros, ne mulieribus nimiùm indulgerent, neve immodico amore eis adhærerent. = Deinde estò Scriptura dicat, quòd per mulierem omnes morimur modo explicato, non tamen dicit, quòd omnes mortui sumus

mus in Heva, vel in Heva peccaverimus, sicut mortui, & peccasse dicimur in Adamo, in quo moriente omnes mortui sumus, & in quo peccante omnes peccavimus, ut ait Apostolus *Rom.* 5. *v.* 12.

David verò dicit: *in peccatis concepit me mater mea*, quia sola mater est, quæ fœtum in utero suo concipit. Quòd autem in peccato concipiat, ex eo est, quòd per virtutem viri seminalem, & activam ex Adamo originaliter descendentem, eum concipit.

XLV. Ad id, quod urgetur, nego, causam, quare qui ex solo viri semine, sine fæminâ, miraculosè conciperetur, non contraheret peccatum originale, eam esse, quia mater nihil ad ejus conceptionem tribueret: sed potiùs quia in ea hypothesi semen illud licèt descenderet ab Adam, vis tamen activa, secundùm quam talis fœtus conciperetur, non esset ex Adam. In tali enim casu semen viri potius subiret vices materiæ, ex qua virtus activa Dei, vel alterius, fœtum formaret: ideoque proles illa, sic concepta, non fuisset in Adam peccante, quia non fuisset secundum seminalem rationem activam, & fœtus humani efformativam. = Cœterùm si ex semine viri descendentis ab Adam, & muliere aliunde formatâ, quis ordinariâ generationis viâ conciperetur, ille peccatum originale contraheret; eo quòd derivaretur ab Adam per seminalem propagationem. Rectè autem dicitur, peccatum originale ex parentibus, patre scil. & matre, contrahi: quia contrahitur per generationem, ad quam concurrit uterque parens, licèt prima ratio transfusionis sit solus Adam, non Heva, quia in generatione primas partes habet vir, utpote movens ad illam.

XLVI. Dices. Partus ex illo contrahit originale, ex quo habuit maledictionem, sed hanc habuit ex Heva; ei enim dixit Deus: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries*; ergo &c.

Secundò. Effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ: si ergo Heva, quæ est debilior pars generationis, peccaret, homo genitus conditionem ejus sequeretur, & peccatum contraheret, etsi Adamus non peccaret.

XLVII. Respondeo ad primum, neg. min. Partus enim non ideò contrahit originale, quia exit cum dolore, cum mulier posset parere cum dolore, etiamsi fœtus non esset peccato obnoxius. Maledictio igitur, ad quam sequitur peccatum in omnes, continetur potiùs in verbis, quæ Deus dixit Adæ: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Hæc enim, teste Isidoro *lib.* 1. *de Summo Bono cap.* 11. fuerunt pronuntiatio sententiæ, quam Deus fuerat comminatus, dicens: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*.

Ad secundum, nego conseq. Non enim sequitur, quòd omnis defectus, qui est in causa debiliori, debeat reperiri in effectu: sed quòd defectus, qui est in effectu, referatur in partem causæ debiliorem, & sic quòd vitium originale referatur ad vitium, quod est in semine à viro descendente.

XLVIII. Objicies tertiò. Patres modò soli Hevæ, modò Hevæ, & Adamo peccati originalis traductionem adjudicant. Soli Hevæ adjudicat Irenæus *lib.* 5. *contra Hæres. cap.* 19. ubi: *Quemadmodum* (inquit) *adstrictum est morti genus humanum per virginem* (Hevam) *salvatur per Virginem* (Mariam) Et S. Basil. *Homil.* 1. *de Jejunio*, ait: *Si à ligno jejunasset Heva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus*.

Utrique adjudicant SS. Augustinus, & Anselmus: Augustinus enim *l.* 1. *de Peccat. merit. c.* 16. exponens illud Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in Mundum intravit*, ait: *Sive autem à muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet; quoniam, sicut novimus, mulier ex viro est, & utriusque caro una est*. Anselmus quoque *l. de Conceptu Virginali &c. c.* 9. quærens, cur peccatum magis

magis imputetur Adæ, quàm Hevæ; ideò fieri ait: *Quia illa duorum copula tota intelligitur in nomine principalis partis*. Vel quia uterque Adæ nomine vocatur Gen. 5. v. 2. *Et vocavit nomen eorum Adam*.

XLIX. Respondeo, negando assumtum pro utraque parte in sensu Arguentis: Ad Irenæum, Basilium, & alios (si sunt) dico, Irenæum velle, per virginem Hevam adstrictum morti genus humanum fuisse occasionaliter; quia ipsa suasione facta fuit muscipula, & occasio Adæ, ut peccaret, & mortem, quæ ex ipso in omnes pertransiit, in pœnam subiret. Et hoc ex comparatione, quam instituit inter Hevam, & Mariam Virginem, apparet. Nam sicut B. Virgo non salvat nos per seipsam, sed per Christum, quem peperit: Ita Heva nos non perdidit per seipsam, sed per Adamum, quem ad peccandum solicitavit = D. autem Basilius solùm vult, quòd si ipsa (Heva) jejunasset, non induxisset Adamum ad comedendum, & peccandum; & sic in illo non peccassemus, nec modò jejunio egeremus.

Ad Augustinum verò dico, eum non velle, quòd ita per Hevam propagetur peccatum, sicut per Adam: sed exponens illud, *A' muliere initium est peccati*, dicit, quòd sive dicatur à muliere, sive ab Adam, utrumque pertinet ad primum hominem, quia mulier est ex viro, & utriusque est una caro. Cæterùm laudato loco exponens, quomodo per unum hominem peccatum in Mundum intravit, ait: *Quando ergo peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale, & mortale, gratiam perdidit, quâ ejus anima omni ex parte obediebat. Tunc ille extitit bestialis motus pudendus hominibus*. Videri potest *l. 1. contra Julian. c.* 3. ubi ex Ambrosio plura adfert, quibus ostenditur, ex Adam peccato obligatum fuisse genus humanum. *Diabolus* (inquit) *Hevam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem*.

Anselmus verò expresè nostram sententiam admittit. Referens enim varias rationes, cur peccatum magis imputetur Adæ; postquam dixit, ei imputari tanquam parti principaliori, addidit: *Aut idcircò, quia si non Adam, sed sola Heva peccasset, non necesse erat, totum humanum genus perire, sed solam Hevam. Poterat namque Deus de Adam, in quo semen omnium hominum erraverat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur*. Ecce Anselmum D. Thomæ sententiam, & nostram amplectentem.

L. Ex hactenus dictis apparet, pueros, qui solâ Hevâ peccante, Adamo verò justitiam retinente, nati fuissent, nascituros in justitia originali, ac futuros impassibiles, & immortales eo modo, quo Adam. Partim quia illa justitia collata fuerat Adæ pro se, & Posteris, si non peccaret. Partim quia justitiam originalem comitabantur impassibilitas, & immortalitas: & hoc etsi Hevam peccatricem habuissent matrem. Quare non existimo futurum fuisse necessarium ad transfundendam justitiam in filios, ut Deus aliam mulierem formaret, ut putat Anselmus nuper relatus; cùm enim peccatum Hevæ fuisset tantùm personale, non obfuisset justitiæ filiorum.

§. V.

Quid si nec Adamo, nec Hevâ peccantibus, peccasset autem aliquis Posterorum?

LI. Dico. Si nec Adam, nec Heva peccassent, peccasset autem aliquis Posterorum, is non transinisset peccatum in Posteros. Ita probabiliter sentiunt Bellarminus *l.* 4. *de Amiss. gratia c.* 12. Medina in 1. 2. *q.* 81. *ad art.* 5. Becanus *de Peccato origin. c.* 9. & alii. Colligitur ex doctrina D. Thomæ supra tradita. Si enim Hevâ peccante, & non peccante Adamo, non fuisset transfusa origi-

originalis injustitia in Posteros, quia solus Adam constitutus fuit caput, & principium ad traducendam, sive justitiam, sive injustitiam originalem in Posteros; multò minùs si nec Adamo, nec Hevâ peccantibus, aliquis Posterorum peccasset, cùm peccatum istius non fuisset peccatum Capitis, sed personæ.

LII. Confirmatur. A solo Adamo derivatur peccatum originale in parvulos, sive parentes proximi boni sint, sive mali; ergo similiter ex eo solo derivata fuisset justitia originalis, sive parentes proximi peccassent, sive non: quia soli Adæ datum fuit præceptum pro tota posteritate, & collata fuit justitia in Posteros transfundenda. Quemadmodum ergo quia causa nostræ sanctificationis est Christus, sanctitatem, & gratiam recipimus, etiamsi ministri, per quos confertur, mali sint: ita quia Adam esset Caput quoad justitiam transfundendam, eam si non peccasset, transfunderet, qnamvis parentes proximi essent peccatores. Neque absurdum esset, quòd peccatores generarent justos, sicut neque absurdum est, quòd modò parentes justi generent filios peccatores, & Christiani non Christianos; quia filji geniti justitiam non haberent ex eo, quod acciperent à parentibus proximis, sed ex eo, quod ab Adamo accipèrent: & modò filji non sunt peccatores ex eo, quod à parentibus proximis, sed ex eo, quod habent ab Adam.

LIII. Sed dices. S. Thomas *q.* 5. *de Malo a.* 4. *ad* 8. videtur expresè oppositum docère. Ait enim: *Si ergo aliquis ex Posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit, sed Posteri ejus morerentur propter peccatum originale.*

Respondetur variè huic auctoritati. Bellarminus loco supra citato suspicatur, locum fuisse corruptum. Alii volunt, S. Thomam aliter sensisse in 1. 2. *q.* 81. *a.* 2. dùm ait: *Impossibile est, quòd aliqua peccata proximorum parentum... per originem traducantur.* Alii, ut Gonet dicunt S. Tho. loqui, non ex vi legis de facto à Deo statutæ constituentis solum Adam Caput morale totius posteritatis, sed ex vi alterius decreti, quo fortè decrevisset, non peccante Adamo, constituere ejus filium caput morale.

LIV. Pro coronide quæri potest: An si Adam peccasset solùm postquam genuerat Cain, aut aliquem alium, iste, vel ejus filii contraxissent peccatum originale?

Respondetur, probabiliorem esse partem negativam. Nam peccatum originale non contrahitur, nisi per propagationem ex primo Parente peccatore: sed iste non propagaretur ab Adam peccatore, cùm esset propagatus ante ejus peccatum; ergo &c. Cui consonat dictum S. Augustini in Psal. 84. nu. 7. *Ea enim peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes, jam natis filiis. Jam enim nati filii ad se pertinent, & parentes ad se pertinent.* Ex quibus sic discurro: Filius jam natus justus, & innocens, justitiam amittere non potest, nisi propriâ voluntate: sed filii ex Adamo nati antequam peccaret, fuissent nati justi, & innocentes, nec ipso peccante, ejus peccato consentirent; ergo justitiam, in qua nati fuerant, non amitterent.

LV. Quid verò dicendum sit de horum filiis, majus dubium est. Videtur tamen, quòd nec isti contraxissent; quia non fuissent in lumbis Adæ tunc, quando ipse peccabat: ideò que dici non posset, peccasse in Adam. Soli autem illi peccatum originale contrahunt, qui fuerunt in Adam tunc, quando peccabat; hi enim solùm dici possunt peccasse in illo. Nec tamen videntur nasciturі cum justitia originali; quia eorum parens proximus, estò illam haberet, eam tamen haberet, ut donum personale, non ut toti naturæ communicandum: quia non esset illius Caput, neque ullus alius esset, à quo posset derivari. Non haberent

berent ergo peccatum, ex dictis, sed neque justitiam originalem; quia hæc eis non esset debita, nec à quo eam acciperent, adesset.

QUÆSTIO VIII.

De Peccato Originali quantùm ad suam essentiam.

EXistentiam, & propagationem originalis peccati, quantùm nobis licuit, explicavimus. Nunc ad ejus essentiam investigandam recto ordine progredimur cum D. Thom. 1. 2. *q.* 82. *q.* 4. *de Malo a.* 2. & alibi. In qua eliminatis erroribus, quænam ex Catholicorum opinionibus eligenda à nobis videatur, exponemus.

DUBIUM I.

An Peccatum Originis sit ipsa substantia animæ?

§. I.

Refertur error quidam, & refutatur.

I. ERrores, qui in statuenda essentia peccati originalis variis temporibus prodierunt, comprobant verum S. Augustini dictum *l.* 1. *de Moribus Ecclesiæ Cathol. c.* 22. ubi de antiquo peccato ait: *Quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*

II. Aliqui ergo, referente Guillelmo Parisiensi lib. de Vitiis, & peccatis c. 5. *Fuerunt dicentes, animam humanam naturaliter diligere corpus, & desiderare conjunctionem ipsius; & propterea, dùm eidem conjungitur, nimio gaudio amplecti corpus, arctiùsque ei conjungi, quàm deberet: & quia in origine sua, & nostra hoc facit, ut dicunt, humana anima, originale peccatum dicitur, quo peccat nimio isto gaudio, & amplexu, quàm deceat, arctione.* Hæc Guillelmus.

III. Quem errorem duobus modis evidenter destruo ex eodem. Primò. Quia in hâc positione peccatum originale non est habituale, & propagatione contractum ab Adam, sed peccatum actuale; cùm & desiderium illud, & gaudium, & amplexus actus sint. Unde in hâc positione animæ nostræ actualiter peccant in nostri origine, seu in ipsa conjunctione ad corpora nostra: atqui hoc est evidenter falsum; ergo &c. Min. prob. Vel enim ponunt, animas fuisse ante conjunctionem ad corpora, ut Plato, Pythagoras, & Origenes; & hic est error contra Catholicam veritatem, quem superiùs refutavimus. Vel non ponunt eas fuisse ante conjunctionem hujusmodi: & ita cùm in instanti suæ creationis jungantur corpori, in eo instanti, quo creantur, peccant. Quòd autem in primo instanti non peccent, superiùs impossibile judicavimus de Angelis. Deinde, cum peccante animâ conjunctâ corpori peccemus nos, sequeretur, quòd positi in uteris maternis, imò in ipsa nostra conceptione actu peccemus, multò magis jam nati, & fortiùs, dùm adultæ ætati propinquamus: & sic, quòd continuò actu peccemus, quia continuò anima nimiùm amat, & amplectitur corpus.

IV. Quòd si dixerint, peccare nos quidem in puncto conceptionis, non autem post; quia sapientiores, & capaciores boni, vel mali in puncto illo, & in uteris matrum, quàm natos, quàm in cunabulis, & quàm usque ad quadriennium, imò in aliquibus quàm usque ad septennium.

Contra. Ergo saltem, quando post septennium scimus de conjunctione animæ nostræ, ejusque dilectione erga corpus, peccamus. Præterea, quâ scientiâ in utero matris positi hoc sciunt parvuli, quod postea nati dedidicissent? Non doctrinâ: quia anima ante conjunctionem cum corpore non supponitur aliquid per doctrinam didicisse, ne incidamus in errorem Platonis, & Pythagoræ. Non revelatione; nam hoc, quod ceu singulare legimus.

gimus datum Joann. Baptistæ, quo fundamento omnibus datum asseritur, & non ad sanctificationem, sed ut illis sit occasio peccandi? Non naturali scientiâ: nam hæc quomodo potest esse in illis, qui nec intellectus, nec rationis usus adhuc capaces sunt?

V. Secundò. Quare animæ ad peccatum imputatur vel desiderium, vel amplexus corporis sui? Cur ei peccatum erit gaudere de illo, propter quod est creata? An ne anima, ut sit in corpore, & ut in corpore sui complementum accipiat, creatur? Si peccatum non est animæ gaudere de dato sibi oculo, vel pede; cur peccatum illi erit, gaudere de toto, nempe corpore? Fortè ei imputabitur, quia nimiùm? Sed cur ei non imputabitur gaudium, quod sentit, dùm in cunabulis labia mammillis admovet, de quo certè plus gaudet? Fortè imputabitur, quia cùm sentiat corruptionem in carne, illam nihilominus diligit, & amplectitur? At hoc quomodo contingit in illa ætate, in ventre Matris, cùm hoc provectis, & senibus vix apprehensibile, & suasibile sit? Sed in hac confutanda insaniâ tempus non teramus.

§. II.

Error Illyrici refertur.

VI. MAtthias Flaccus natione Illyricus Rigidorum Lutheranorum Corypheus, quòd à Doctrina, & Scriptis Lutheri, quæ ut divina suscipiebat oracula, ne in vocale quidem, aut syllabâ dissentiendum esse mordicùs sustineret, propterea *Antiadiaphorista* dictus, quia mollium Lutheranorum hostis implacabilis: celebrium quoque Centuriarum Magdeburgensium (quas, ut refelleret, annales suos adornavit Ecclesiasticos Cardinalis Baronius) præcipuus compilator, singularem errorem, quem plurimis scriptis pertinaciter propugnavit, hunc habuit, quòd *Peccatum originis sit ipsa anima rationalis substantia*. Unde Lutherani, qui in ejus errorem iverunt *Substantialistæ* nuncupati sunt.

VII. Docuit ergo Illyricus in libello *de Peccato originis*, illud non esse accidens naturæ superadditum, sed ipsammet animæ rationalis substantiam, ipso Adami peccato substantialiter vitiatam, & ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem Diaboli transformatam. Hunc errorem ebibit Illyricus ex doctrina Magistri sui Lutheri qui *Tom. 6. in caput* 3. *Genes.* ad illa verba: *Tunc aperti sunt* (seu, ut ipse vertit, *aperiebant*) *oculi amborum*; postquàm reprehendit Scholasticos asserentes, quòd justitia originalis non fuerit connaturalis, seu de natura hominis, sed donum naturæ superadditum; & conatus fuit ostendere, justitiam fuisse ipsam naturam hominis, *ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum &c.* tandem pro inconvenienti adducit, quòd si justitia non fuit de essentia hominis, nec peccatum erit de essentia hominis. *An non* (inquit) *sicut ponis, justitiam non fuisse de essentia hominis; ita etiam sequitur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis?* Sentit ergo Lutherus, peccatum originis esse de essentia, seu de substantia hominis.

VIII. Idem indicavit Tom. 3. in illa verba Psalmi 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.* dicens: *Non enim* (David) *de operibus quibusdam, sed de materia simpliciter loquitur, & dicit: semen humanum, massa illa, ex qua formatus sum, tota est vitio, seu peccato corrupta. Materia ipsa est vitiata, lutum illud, ut sic dicam, ex quo hoc vasculum fingi capit, damnabile est .... ipsa conceptio, ipsa augmentatio fœtus in utero, antequam nascimur, & homines esse incipimus, est peccatum.*

Sanè si tota massa corrupta est peccato, si conceptio &c. peccatum est, sequitur, quòd peccatum sit hominis substantia; ut nihil in ea sit, nihil

ab ea prodeat, quod peccatum non sit. Hæc adducere volui, ut ostenderem, quantum hallucinentur Lutherani quidam, dùm ab hoc errore Lutherum, imò & Illyricum ipsum purgare contendunt. Qui tamen, ut Bellarminus observat, *lib. 5. de Amiss. Grat. & statu pecc. c. 1.* dùm alios purgare conantur, ostendunt se eâdem sorde inquinatos. Sed errorem, cujuscumque sit, refutemus.

§. III.

Error Illyrici refutatur.

IX. Dico. Peccatum originale non est substantialis animæ corruptio. Probo primò. Nam hæc Illyrici positio destruit duos præcipuos, ac fundamentales articulos fidei, quæ credit in unum Deum, & hunc omnium Creatorem. Destruit enim primum. Nam si quemadmodum homines modò sunt substantialiter injusti, ita Adam, & ejus Posteri (si in justitia mansisset) essent substantialiter, & naturâ justi, Adam, & homines ex eo prognati fuissent tot Dii; cùm esse naturaliter justum, & substantialiter, & non ex accidenti dono, sit solius divinitatis character. = Destruit etiam secundum. Facit enim Deum non esse Creatorem animarum hominum, sed Diabolum, quæ est hæresis Manichæa.

X. Nec satisfacit Illyricus dicens, substantiam animæ à Deo factam esse bonam, sed operâ Diaboli factam postea fuisse malam. Nam quæstio non est de anima, ut primò facta fuit à Deo in Adamo, sed de anima operâ Diaboli substantialiter transformatâ (ut ipse dicit) quis eam fecerit, & quotidie faciat? Si enim Diabolus; ergo Diabolus alicujus substantiæ est creator, & non omnium Deus. Si Deus; cùm anima sit substantialiter peccatum, ut ait Illyricus; ergo Deus est Auctor peccati originalis.

XI. Confirmo hæc ex D. Thoma 1. 2. q. 79. a. 1. *in arg. sed contra.* Si substantia animæ est peccatum, Deus illam odit: dicitur enim Sap. 14. v. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*: sed quæ Deus facit, non odit, Sap. 11. v. 25. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ergo &c.

XII. Quia verò dicebat Illyricus, istam substantiam, quæ est anima, totam esse à Deo propagante, & conservante naturam, totam à Diabolo, qui eam vitiabat; nec Diabolum esse creatorem ullius substantiæ, sed creatæ transformatorem de bona in malam. Quemadmodum mulierculæ lac transformant in caseum, vel butyrum, sive vinum in acetum, quin creatrices substantiæ sint.

XIII. Contra est. Nam si Deus hanc naturam, quæ in substantia peccatum est, propagat, certè Deus Auctor erit peccati: quid enim aliud est propagare, & conservare peccatum, quàm esse auctorem peccati? Ergo vel hæc natura à Diabolo est, non à Deo: vel si à Deo, jam Deus verus, ac bonus erit auctor mali, quod nec Marcion, nec Manichæus ausi sunt affirmare, ponentes idcirco duo principia, bonum, & malum. Imò sequeretur, non solùm Deum, sed & parentes proximos causam esse peccati originalis; illum creando animam, quæ substantialiter est ipsum peccatum; istos verò hoc corpus generando; & utrumque naturam, quæ nedum vitiata, sed vitium est, propagando; ergo actus conjugii erit per se peccatum, quia causa peccati, & nuptiæ per se malæ, & damnandæ, qui erat Manichæorum error.

Præterea. Si Diabolus naturam, à Deo creatam bonam ab initio, ita depravavit, ut de bona facta sit substantialiter mala, & substantia bona perierit; ergo natura, quæ modò substantialiter mala producitur, est opus Diaboli, non Dei. Vel si Dei; ergo Deus facit opus Diaboli. = Neque juvant allata exempla. Nam lac, vinum, & similia res corruptibiles, & trans-

transmutabiles sunt ab homine naturalibus causis: at anima, & res spirituales non sunt substantialiter mutabiles de una in aliam speciem, quia materia carent, sed solùm possunt desinere in nihilum; ergo si anima bona à Deo creata, substantialiter facta est mala, non aliter fieri potuit, nisi quia animâ substantialiter bonâ redactâ in nihilum, facta sit à Diabolo alia anima substantialiter mala, utique ex nihilo. Deinde: Anima partes non habet, ut secundùm unam manere possit, secundùm aliam destrui, indivisibilis enim est; ergo si anima operâ Diaboli de bona fuit substantialiter transformata in malam, anima sic à Dibolo transformata, est diversa totaliter ab anima factâ à Deo.

XIV. Probo secundò. D. Paulus *Rom. 7. v. 17.* ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. v. 18. Scio enim* (inquit) *quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum.* Et v. 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* In hoc loco, secundùm doctrinam Lutheranorum, nomine *peccati* intelligit Paulus concupiscentiam, quam ipsi dicunt esse formaliter peccatum originale. Ex his ergo sic. Peccatum, quod Lutherani originale esse dicunt, non est secundùm Apostolum ipse homo, sed in homine habitat, & non in mente, sed in carne ut condistinctâ à mente, & ut repugnante legi mentis (ut ait ibi *v.* 23.) sed quod in aliquo habitat, non est illud, sed ab eo distinctum; ergo peccatum originis non est caro, multò minùs mens, cùm in mente nec habitet, sed in carne.

XV. Nec valeret si diceres, Apostolum de se hoc optimè dicere potuisse; erat enim justificatus à peccato. = Nam, ex communi Lutheranorum sententia, peccatum originis non ita remittitur in justificatione, ut ampliùs non sit, sed ut non amplius imputetur. Imò D. Paulus, qui jam justificatus erat, adhuc tamen dicit in carne sua habitare peccatum, quod de peccato originali Lutherani exponunt: cùm ergo Paulus affirmet, se habere mentem bonam, Illyricum damnat, qui peccatum originis, non tàm in mente, quàm mentem ipsam esse peccatum somniat. Hinc

XVI. Tertiò probo sic. Si peccatum originis est ipsa substantia animæ, vel homo essentialiter mutatur in Baptismo, & in Resurrectione gloriosa: vel sequetur peccatum originale numquam elui neque in Beatis, neque in Resurrectione gloriosa; & sic aliquid inquinatum introire in Regnum Dei, & falsum dixisse Paulum Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Et S. Joann. Epist. 1. cap. 1. v. 7. *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

XVII. Quartò probo. Non magis anima vitiatur peccato originali, quàm quocumque peccato actuali mortali: sed peccata actualia mortalia animam substantialiter non vitiant, neque mutant, aliàs quoties homo peccaret mortaliter, substantialiter mutaretur, & esset substantialiter diversus à se, antequam peccaret; ergo &c.

XVIII. Hanc veritatem firmant SS. Patres. S. Basilius *Orat. quòd Deus non sit Auctor malorum.* Nazianz. *Orat. in S. Baptisma.* S. Epiphanius *Hæres.* 37. S. Ambrosius *l. 1. Hexameron c. 8.* S. Hieronymus *Epist. ad Ctesifontem* uno ore malum, seu peccatum non esse substantiam asserentes. Et S. August. passim, præsertim *l. 7. Confess. c. 12.* ubi ait, id, quod omni bono privatur, & prorsùs malum est, nihil esse. Unde infert: *Ergo quamdiu sunt, bona sunt; ergo quacumque sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* In Psalm. 68. Serm. 1. nu. 5. *Iniquitas* (inquit) *ipsa non est substantia: non enim*

enim iniquitas est natura, quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo. Vitia naturarum substantias esse, ut errorem Manichæorum detestatur lib. 1. Oper. Imper. contra Julian. cap. 66. Ad intelligendum, originale peccatum discernendum esse inter naturam, & vitium; nec putandum naturam malum esse, neque vitium naturam esse, docet l. 2. contra Julian. c. 41. Lib. 3. c. 181. & lib. 6. cap. 16. & alibi videndus.

§. IV.

Illyrici fundamenta.

XIX. Errorem suum auctoritate Sacræ Scripturæ primò conabatur tueri Illyricus. Ajebat enim, istam, dùm peccatum originis describit, uti verbis substantiam exprimentibus. Genesis enim 8. v. 21. juxta Hebraicum textum legitur: *Figmentum humani cordis malum est ab adolescentia sua;* ergo massa ipsa, seu substantia cordis est mala. Rom. 6. v. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati;* ergo peccatum substantia est, cùm dicatur homo vetus, & habens corpus. Et v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* v. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Si ergo peccatum regnat, si dominatur, aliquid substantiale erit.

XX. Confirmabat ita. Imago Dei in homine non erat accidens, sed substantia; sicut enim dicitur Gen. 1. v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam:* ita Gen. 5. v. 3. de Adam dicitur: *Et genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth:* sed certum est filium esse imaginem patris, non secundùm accidentia solùm, sed secundùm naturam substantiæ; ergo homo conditus fuit ad imaginem Dei, etiam in substantia. Atqui homo peccando amisit similitudinem, & imaginem Dei, & transivit in imaginem, & similitudinem Diaboli, Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et ad Colos. 3. v. 9. & 10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum... secundùm imaginem ejus, qui creavit illum;* ergo homo de imagine Dei transformatus fuit in imaginem Diaboli secundùm substantiam, & factus est alius homo.

XXI. Respondeo, negando omnes Illyrici consequentias. Si enim modum loquendi Scripturæ ad rigorem vocum in omnibus accipere voluerit, multa admittere cogitur absurda, Deum habere manus, pedes, oculos, corpus &c.

Ad primum ergo dico, per figmentum cordis non intelligi substantiam cordis, sed operationes ejus, quas in se fingit, & facit. Unde Vulgata nostra legit, non *figmentum*, sed, *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt &c.* Dato autem, quòd intelligatur ipsa cordis substantia, non sequitur, eam per substantiam esse peccatum, sed à peccato denominari, seu operatione malâ, quamvis operatio mala aliquid substantiale non sit; sicut homo dicitur infirmus per infirmitatem, & doctus per doctrinam, quamvis neutrum substantia hominis sit.

Ad secundum dico, per veterem hominem significari vitam veterem, seu actiones veteres. Nec homo vetus alius est à novo homine aljetate substantiæ, sed aljetate operationum, sicut 1. *Reg.* 10. *v.* 6. dixit Sauli Samuel: *Mutaberis in virum alium.* Ly autem, *ut destruatur corpus peccati*, non indicat, peccatum esse, vel habere corpus; sed destruere corpus peccati idem est ac deinceps nullum peccatum admittere. Unde subdit Paulus: *& ultra non serviamus peccato.* Imò ibi sermo est de peccatis actualibus, quæ certè corpus esse Illyricus non dicit.

Ad alterum Apostolicum dictum respondeo, ibi dici peccatum regnare, & dominari, eo modo, quo in superbo regnat superbia, & avaro avaritia dominatur, quæ certè sub-

stantia

stantia non sunt, sed accidentia. Regnare autem, & dominari dicuntur, quatenus inclinant hominem ad actus sibi conformes.

XXII. Ad confirmat. concedo, imaginem Dei sitam esse in substantia hominis; nego tamen hanc per peccatum fuisse prorsùs deperditam, ac deletam, vel in aliam transformatam. Fuit enim hic error Origenis pridem ab Ecclesia damnatus, ut colligitur ex Epiphanio *Hæres. 64*. Noto tamen, duplicem in homine esse imaginem Dei, unam per naturam, quæ est imago creationis, aliam per gratiam, quæ est imago recreationis. Hanc amisit per peccatum, ut ait August. *l. 6. de Gen. ad litt. c. 27.* Quod tamen, inquit l. 2. retract. c. 24. *Non sic accipiendum est, tamquam in eo nulla remanserit, sed quòd tam deformis, ut reformatione opus haberet*. Et Hadrianus Papa in scripto ad Carolum Magnum pro Synodo Nicena II. ex D. Augustino dicit, hominem per peccatum amisisse imaginem Dei, quemadmodum nummus, si confricetur in terra, amittit imaginem regis. Sed hæc imago per gratiam donum Dei fuit, non ipsa hominis substantia: priorem verò imaginem, quæ in substantia, ut intellectualis est, consistit, etiam peccando retinuit. Unde D. Thom. q. 22. de Verit. a. 5. ad 2. *Conformitas* (inquit) *imaginis attenditur secundùm potentias naturales, quæ sunt ei determinata à natura. Et ideò illa conformitas semper manet. Sed secunda conformitas, quæ & similitudinis est per gratiam, & habitus, & actus virtutum, ad quæ omnia ordinantur per actum voluntatis, qui in sua potestate consistit; & ideò ista conformitas non semper manet*. Videantur quæ supra diximus Q. 1. *Dub. 6. §. 4. num. 21.* Pharisæi autem ex Patre Diabolo esse dicuntur, non quia à Diabolo geniti, seu quia ab ipso naturam acceperint, sed per imitationem operum: & ideò imaginem ipsius gerere possunt dici, quia similes ei sunt, non substantiâ, sed vitio, non naturâ, sed moribus.

XXIII. Secundò opponebat. Peccatum originis est fons, & origo omnium peccatorum. Nam Apostolus *Rom. 7.* dicit, peccatum esse operatum in se omnem concupiscentiam. Loqui autem Paulum de peccato originis apparet, quia ibi continuat disputationem de peccato originali, quam cap. 5. inchoaverat: sed fons, & radix omnium peccatorum est cor, sive ipsa rationalis anima, dicente Christo Matth. 15. v. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c.* ergo cor, quod substantia est, est peccatum originis.

XXIV. Respondeo, dist. maj. tamquam removens impedimenta peccatorum, co. maj. tamquam per se influens in peccata, nego maj. Nam in baptizatis peccatum originale deletum est; & tamen in eis adhuc est principium ad peccandum inclinans, nempè fomes. Peccato ergo originali tamquam fonti tribui possunt omnia peccata actualia, quemadmodum cæcitati tribui possunt cespitatio, & lapsus hominis cæci. Quia sicut cæcitas est privatio visus, ex quo sequebatur rectitudo incessus; ita peccatum originale est privatio originalis justitiæ, quâ inferiora hominis in suo ordine continebantur: ex qua privatione secuta est perturbatio ordinis, & insurgentia partis inferioris contra superiorem, & ex hac rebellione sequuntur peccata. Quare D. Thom. 1. 2. q. 53. a. 1. ad 2. *Carentia* (inquit) *prudentiæ, & cujuslibet virtutis includitur in carentia originalis justitiæ, quæ totam animam perficiebat; & secundùm hoc omnes isti defectus virtutum possunt reduci ad originale peccatum*. Et in hoc sensu dicit Paulus, peccatum esse operatum in se omnem concupiscentiam: quia (ut ait D. Thom. in dictum caput lect. 2.) *Peccatum originale, quod scilicet ante gratiam Christi est in homine secundùm culpam, & pœnam, veniente gratiâ transit reatu, & perma-*

net.

aut actu quantùm ad fomitem peccati, vel concupiscentiam habitualem, quæ operatur in homine omnem concupiscentiam actualem. Sed de hoc, Dubio sequenti fusiùs contra Lutheranos, & Calvinistas volentes, concupiscentiam habitualem esse formaliter ipsum originale peccatum. Ad intentum verò Illyrici

Per hoc, quòd de corde exeant cogitationes malæ, homicidia &c. sequitur quidem, animam, & cor esse principium activum, & physicum talium actionum, sed non aut animam aut cor esse substantialiter mala. Nam tales actiones non sunt malæ, quatenus præcisè exeunt ab anima, & corde, cùm ab his quoque exeant cogitationes bonæ; sed quatenus exeunt ab anima, & corde sequentibus ductum concupiscentiæ, non rationis. Ex quo deduci solùm potest, quòd concupiscentia sit fons, & radix peccatorum, & vitiet voluntatem, seu cor per modum proponentis ei extrinsecè objectum; quemadmodum S. Jacobus in Epistola sua c. 1. v. 11. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*.

XXV. Opponebat tertiò. Quidquid est difforme, seu non conforme legi Dei, est peccatum: sed ipsamet substantia hominis descendentis ex Adamo est difformis legi Dei; ergo est peccatum.

Respondeo, dist. maj. ita ut sit ipsa difformitas, co. maj. ita ut sit solùm subjectum difformitatis, nego maj. & similiter dist. min. Substantia hominis ab Adamo descendentis est quidem subjectum habitualis difformitatis legi Dei, sicut substantia Adami peccantis fuit subjectum actualis difformitatis: sed sicut substantia Adami non fuit actualis difformitas: ita nec substantia Posterorum ejus est ipsa habitualis difformitas, quod requireretur, ut esset formaliter ipsum peccatum. Eo ergo modo, quo homo febricitans, estò sit subjectum habens alterationem febrilem, non est tamen ipsa febris, quia non est ipsa alteratio: sic substantia hominis ex Adamo descendentis est quidem subjectum peccati, seu privationis justitiæ originalis, non est tamen ipsum peccatum, seu ipsa privatio. Concupiscentia item non nominat substantiam animæ, neque ejus potentiam absolutè, sed potentiam, nempè appetitum deordinatum, & vitiatum: unde in statu innocentiæ fuisset appetitus sensibilis, sed non concupiscentia, quia fuisset ordinatus.

DUBIUM II.

An Peccatum Originale sit formaliter ipsa Concupiscentia?

§. I.

Error Recentiorum Hæreticorum.

I. Communis apud recentiores Sectarios sententia est, concupiscentiam, & alia naturæ corruptæ vulnera, ignorantiam scilicet, difficultatem ad bonum, & propensionem ad malum esse formaliter ipsum peccatum originale. Quæ omnia cùm in homine baptizato, & justificato adhuc maneant, inde inferunt per Baptismum peccatum originale non deleri, aut tolli, sicut nec peccata actualia per justificationem, sed tegi solùm, & non imputari.

II. Hunc errorem expressè confirmavit Lutherus *in Assert. articulorum a. 2.* Cùm enim Leo X. inter alias hanc ejus propositionem damnasset: *In puero post Baptismum negare, remanens esse peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare*. Lutherus commotus, postquam Scripturâ, & Patribus errorem suum munire conatus fuit: *Scio autem* (inquit) *quid hîc mihi oppposituri sunt, scilicet omnia, quæ dicta sunt, probare, non peccatum, sed defectum, seu infirmitatem in nobis relinqui post Baptismum; sic enim fomitem, & passiones carnis vocant... Verùm quòd defectum sit appellant, ut peccatum*

entam esse negent, & non culpam, sed pœnam tantùm peccati esse velint, admittere non possum.

III. Idem sensit Melanchthon *de loc. Theol. postremò editis tit. de peccato originis*, ubi de concupiscentia: *Sed hac* (inquit) *simul & pœna est primi lapsus, & in nascentibus peccatum ipsum.... Nec rectè hanc inclinationem pravam, quam vocant fomitem, tantùm pœnam Monachi esse dixerunt.*

IV. In idem conspiravit Calvinus *l. 2. Inst. c. 1. §. 8.* ubi definit peccatum originale, quòd sit *Hareditaria natura nostra pravitas, & corruptio in omnes anima partes diffusa, qua primùm facit reos ira Dei, tùm etiam opera in nobis profert, qua Scriptura vocat opera carnis. Atque id est propriè, quod à Paulo sæpiùs peccatum nominatur.* Et *lib. 3. c. 3. §. 10.* ex eo, quòd etiam in viris Sanctis maneat concupiscentia, seu fomes ad malum, contendit, in eis semper manere peccatum, quod Augustini auctoritate se probare gloriatur. Sed istos dimittamus.

V. Omnes tamen Catholicorum Scholæ contra præfatos Hæreticos tenent, concupiscentiam esse quidem peccati originalis effectum, seu quasi materiam; non esse tamen formaliter ipsum peccatum originale, & in regeneratis, ac justificatis adesse quidem habitualem concupiscentiam, sed originale peccatum deletum esse. Quapropter S. Thomas, quem Catholicæ Scholæ sequuntur 1. 2. *q.* 82. postquam *art.* 1. docuit, peccatum originale esse quamdam inordinatam dispositionem provenientem *ex dissolutione illius harmonia, in qua consistebat ratio originalis justitia; sicut etiam ægritudo corporalis est quadam inordinata dispositio corporis, secundùm quam solvitur aqualitas, in qua consistit ratio sanitatis.* Articulo tamen tertio, ubi dividit habitum illum in aversionem mentis à Deo, & rebellionem partis inferioris à ratione, statuit, *quòd privatio originalis justitia, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium anima, se habet in peccato originali sicut quiddam materiale.*

VI. De sensu verò, in quo D. Thomas dicat, concupiscentiam esse *quiddam materiale* peccati originalis, variè opinantur Nostrates. Ego Sancti Doctoris mentem magis assequi existimo, qui dicunt, eum vocasse concupiscentiam quiddam materiale, idest quiddam consequens peccatum originale, tamquam secundarium, & effectus illius; quod enim ex consequenti, & secundariò se habet, materialiter se habere dicitur. Hanc esse suam mentem indicavit tùm 1. 2. *q.* 83. *a.* 2. *ad* 4. dicens: *Concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in peccato originali.* Ex eo enim, quòd anima habitualiter est aversa à Deo, sequitur, quòd vires inferiores ad commutabile bonum conversæ sint, quæ conversio ad aversionem ex consequenti, & quasi materialiter se habet; ut docet *q.* 4. *de Malo a.* 2. Estò autem per gratiam baptismalem tollatur aversio à Deo, quæ est formale; manet tamen conversio, quæ est concupiscentia, quia semper manet natura corrupta. Sed de hoc inferius §. quarto.

§. II.

Catholica veritas.

VII. Dico. Peccatum originale non est formaliter concupiscentia, nec fomes ad malum inclinans. Ita Catholici omnes contra Lutheranos, & Calvinistas. Probatur. Quidquid veram, ac propriam rationem formalem peccati originalis habet, tollitur in Baptismo, & per Baptismum; sed in Baptismo, & per Baptismum non tollitur concupiscentia, seu fomes; ergo concupiscentia, seu fomes non est formaliter peccatum originale. Major, quam Adversarii negant, volentes, peccatum originale in Baptismo non deleri, sed solùm tegi, ac non

non imputari, probatur ex D. Paulo Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant*; idest, ut explicat D.Thom. ibid. lect. 1. *Ex quo sumus per gratiam liberati, nihil damnationis est residuum; quia & tollitur damnatio quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam* iis, qui non secundùm carnem ambulant, *idest concupiscentiam carnis non sequuntur*. At si per Baptismum non tolleretur quidquid habet rationem formalem originalis peccati, aliquid damnationis esset in iis, qui per gratiam renati sunt in Christo Jesu, & qui non sequuntur concupiscentiam carnis; ergo &c.

VIII. Nec valet respondere cum Calvino *in dictum caput*, & aliis ejusdem furfuris, S. Paulum solùm velle, quòd estò peccato adhuc teneantur obstricti, exemti tamen sunt à damnatione; quia peccatum eis ampliùs non imputatur:

Nam hæc responsio contradicit Sancto Paulo, qui dicit, *nihil damnationis esse* in iis, qui sunt in Christo Jesu, hoc est, nihil damnatione dignum; ipsa autem dicit, in eis remanere aliquid, imò totum, quod est damnatione dignum, dum ait, eos remanere peccato obstrictos = Nec valet dicere, remanere, sed non iis; quia eis ad reatum non imputatur ampliùs = Contra enim est primò. D. Paulus dicit, *nihil damnationis est*; non dicit, *imputatur*, vel *adscribitur*. Secundò. Ut fatentur Adversarii, in renatis tollitur reatus peccati; ergo tollitur ab eis omnis ratio peccati. Probo conseq. Tùm quia August. *lib. 1. de Nup. & concup. cap. 26.* probat, concupiscentiam in renatis non manere ut peccatum, quia in eis non manet reatus, dicens: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati*. Tùm quia Calvinus *l. 3. Instit. c. 3. §. 11.* sentit, dimisso reatu, manere in homine peccati materiam, quia manet concupiscentia, quæ materia quidem peccati est, ut supra dicebamus cum D. Thoma, non verò ipsum formale peccati. Tùm tertiò. Quia cùm reatus nil aliud sit, quàm dignitas damnationis fundata in peccato, seu meritum pœnæ, est omnino inseparabilis ab eo, quod naturâ suâ dignum est damnatione æterna; ergo si concupiscentia, etiam in renatis, naturâ suâ digna est morte æterna, reatus, seu dignitas, ac meritum pœnæ ab ea tolli non potest. Licèt enim Judex possit nolle damnare homicidam, non tamen facere potest, quin homicida sit reus, & morte dignus; ergo vel falsum dicit Apostolus, dum ait, in renatis nihil esse damnationis; vel falsum dicunt Adversarii, volentes, concupiscentiam, quæ manet in renatis, esse peccatum, & non esse damnatione dignam. Quare meritò Tridentinum Sess. 5. Can. 5. *Si quis* (inquit) *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.*

IX. Hinc minor principalis ex prædictis satis apparet; cum in renatis non tollatur, sed adhuc maneat concupiscentia, cujus stimulos, & motus nemo est quantumvis Sanctus, & justus, qui de lege ordinaria non experiatur. Quapropter D. Paulus, etsi magnitudine revelationum præditus, adhuc tamen conquerebatur 2. *Corinth. 12. v. 7.* stimulo carnis suæ se colaphizari. Et Rom. 7. v. 23. *video autem* (inquit) *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.*

X. Secundò probatur. Concupiscentiæ nomine, quam dicunt esse formaliter peccatum originale, vel intelligunt concupiscentiam actualem, nempe actuales concupiscentiæ motus; vel solam concupiscentiam habitualem.

Si

Si primum dicant; ergo in parvulis non renatis, in quibus nulla est actualis concupiscentia, seu nullus actualis concupiscentiæ inordinatus motus, nullum erit actu peccatum originale, quod est Pelagianum asserere. Si verò dicant secundum, ut revera dicunt, volentes, peccatum originis, seu naturæ, esse propensionem naturæ vitiatæ ad rebellandum adversùs rectam rationem, & legem Dei. Contra est, primò. Nam propensio ad rebellandum legi Dei, & rationi est quidem effectus, & causa peccati; sed ipsa non est formaliter ipsum peccatum, propter quod homo sit dignus morte: sicut propensio ad rebellandum Principi digna morte non est, sicut neque formaliter est ipsa rebellio. Eâ ergo ratione, quâ potentia progressiva ad claudicandum prona, sive ex lapsu facta, sive ex generatione contracta, non est ipsa formalis claudicatio, seu lapsus, sed ex lapsu, vel defectu generantis orta, & claudicationis formalis causa: ita inordinatio virium inferiorum non est ipsum formale peccatum originis, sed ex inordinatione partis superioris in Adamo contracta, & causa actualis inordinationis in ejus Posteris.

Secundò. Si homo conditus fuisset, vel conderetur in puris naturalibus, esset in eo pronitas ad delectabile, & concupiscentia potens rebellare adversùs rationem, & tamen in eo peccatum originale non esset; ergo concupiscentia &c. Hinc malè Gomarus in *c. 7. Epist. ad Rom.* concupiscentiam assimilat veneno. Venenum enim suâpte naturâ nocivum homini est, at non sic concupiscentia; est enim portio sensitivæ partis, quæ, si benè regatur, servit homini ad bonum, nec efficitur nociva, nisi ex consensu voluntatis in turpe. Ac propterea Tridentina Synodus Sess. 5. de Pecc. origin. *Manere autem* (inquit) *in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc S. Synodus fatetur, & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur.*

XI. Hoc explicuerat S. Jacobus in sua Epist. *c. 1. v. 14. 15.* dicens: *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi quatuor distinguere videtur Jacobus. Primò concupiscentiam, idest potentiam appetitivam excitantem, & stimulantem ad motus malos. Deinde tres ejus motus, nempe suggestionem, delectationem, & consensum. Ubi observandum, quòd concupiscentiam, dum tentat, & allicit, non appellat *peccatum*. Dùm verò concipit delectationem, quæ dum non est plenè deliberata, est partus imperfectus, parit peccatum quidem, sed non mortale. Denique si partus iste initio imperfectus perficiatur, consummetur, & perducatur usque ad delectationem plenam, & consensum deliberatum sive opere exteriùs, sive corde solùm interiùs, tunc generat mortem animæ; est enim peccatum consummatum juxta verbum Christi Matth. 5. v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

§. III.

Acatholicorum momenta.

XII. Primum momentum ducunt Acatholici ex S. Paulo concupiscentiam *peccati* nomine non rarò vocante. Etenim Rom. 6. v. 12. *Non ergo* (inquit) *regnet peccatum in vestro mortali corpore*: ut autem intelligatur loqui de concupiscentia, statim subdit: *ut obediatis concupiscentiis ejus.*

Similiter ibid. *c. 7. v. 17.* loquens de concupiscentiæ prævenientis motu, ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* & v. 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non operor illud, sed quod*

habitat in me peccatum. Peccatum autem, quod dicit habitare in se, non est actuale, sed habituale, nempe concupiscentia in eo manens, quasi quædam lex contraria legi Dei, & repugnans legi mentis. Unde v. 23. *Video* (inquit) *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*.

XIII. Respondent communiter Doctores Catholici, concupiscentiam à D. Paulo dici peccatum, quia ex peccato est, nempe originali, & ad peccatum solicitat, & inclinat: quæ in homine regnare dicitur, dum homo per consensum obedit motibus inordinatis ejus, quos per gratiam frænare debuerat. Ne ergo in homine concupiscentia regnet, hortatur Paulus, ne obediant concupiscentiis ejus, aut pravis cupiditatibus ad peccatum illicientibus morem gerant; quasi exhibentes membra sua *arma iniquitatis peccato*, idest ad peccandum, sed arma justitiæ Deo ad ejus legis observantiam. Aliud enim est concupiscentiam esse in homine, aliud concupiscentiam in homine regnare. Primum in omni homine lapso reperitur ex Adami peccato, secundum verò in eo solùm, qui concupiscentiis obedit, seu post eas vadit. Unde Ecclesiastici 18. *v.* 30. monetur: *Post concupiscentias tuas non eas*. Post concupiscentias autem ire, est concupiscentias, & desideria carnis sequi: sicut aliud est in carne ambulare, aliud secundùm carnem, ut ait Apostolus 2. *Cor.* 10. *v.* 3. & 4.

Audiatur propterea S. Aug. Serm. 128. aliàs 43. de verb. Dom. c. 10. *Non inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quamdiù enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum, sed* non *regnet. Quid est non regnet? idest ad obediendum desideriis ejus. Si caperitis obedire, regnat. Et quid est obedire, nisi ut exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc Doctore præclarius... Surgit libido; tene tu membra, quid factura est, quæ surrexit? Tu tene membra, noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato, noli armare adversarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido surrexit; tene tu membra, tene tu manus ab omni scelere, tene tu oculos, ne malè adtendant, tene aures, ne verba libidinis libenter audiant, tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima. Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit*. Hæc Augustinus. Non enim sensus illiciti, sed consensus illiciti peccatum est. *Aguntur quidem in me, sed à me non aguntur, si non consentio... mea dixerim, non quia facio, sed quia sustineo... sufficit interim mihi, si non regnet peccatum in meo mortali corpore &c.* Ajebat Bernardus *de Officio Episcoporum c. 6.* aliàs *Ep. 42. ad Episc. Senonensem*.

XIV. Ex his respondetur ad alterum textum ex Paulo. Ait enim: *Jam non ego operor illud*, idest malum, seu pravos concupiscentiæ motus, quia non consentio exhibere membra mea arma iniquitatis peccato: sed illos operatur, quod habitat in me peccatum, idest concupiscentia, quæ ex peccato est, & ad peccatum impellit. Unde subdit: *Si autem quod nolo illud facio*, idest non consentiens, *jam non ego operor illud*, volens scilicet, sed ea patior, & sustineo ex inclinante carnem meam concupiscentiâ, & ad peccatum stimulante, quæ propterea *peccatum* à Paulo nominatur. *Operantur ergo peccatum hæc desideria, quibus si obedimus, & nos operamur: si autem obtemperantes Apostolo non obedimus eis, non illud nos operamur, sed quod in nobis habitat peccatum. Si autem desideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porrò illiciti desiderii, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo & nos agere dicimur; quoniam non est natura vigor aliena, sed languor est nostra, à quo languore omni modo salvi erimus, cùm & animo, & corpore immortales facti fuerimus.*

Quapro-

Quapropter & quia in viis Domini ambulamus, non obedimus desiderjis peccati: & quia non sumus sine peccato, habemus desideria peccati. Ac per hoc jam nos ea non operamur, non eis obediendo, sed quod in nobis habitat peccatum, eadem commovendo. Ita S. Augustinus *in Psalm.* 108. *Serm.* 3.

XV. Præterire hìc non possum, quàm stultè sibi ex hoc loco blandiantur Quietistæ, qui exhibentes membra sua omnibus immunditiis carnis, tuentur se, dicentes: *Non ego operor, sed quod habitat in me peccatum.* Eos enim reprehensione suâ prævenit S. August. *lib.* 1. *de Nup. & concup. cap.* 28. his verbis: *Multum autem fallitur homo, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere, & statuens, putat, sibi adhuc esse dicendum*, non ego operor illud, *etiam si oderit, quia consentit. Simul enim est utrumque: & ipse odit, quia malum esse novit; & ipse facit, quia facere statuit. Jam verò si & illud addat, quod Scriptura probibet dicens:* Neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato, *ut quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat, & ideò dicat*, non ego operor illud, *sed* quod habitat in me peccatum, *quia cùm id decernit, & facit, displicet sibi, tantum errat, ut nec seipsum agnoscat; quando cùm ex toto ipse sit, & corde statuente, & corpore implente, adhuc seipsum esse non putat. Qui ergo dicit*, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, *si tantummodo concupiscit, verum dicit, non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit.* Hæc S. Doctor acutè, ut de more.

XVI. Porrò observandum pro complemento est, quòd cùm Paulus citato loco loquatur de seipso in persona hominis jam per Baptismum in Christo renati, ut Patres, & Theologi frequentiùs docent, nec Protestantes ipsi dissentiunt; propterea dùm ait: *habitat in me peccatum*, loqui non potest de peccato originali formaliter (hoc enim per Baptismum mundatus ipse fuerat, & non solùm ei non imputatum, ut perperam Adversarii autumant, quos alio loco specialiter confutabimus) sed loquitur de effectu, vel causâ peccati, nempe de concupiscentia, & somite; qui estò peccatum originale non sit, languor tamen est, & vitium ex peccato originali in natura relictum, & pœna ejus, & ad peccatum inclinans. Mos enim S. Scripturæ est, vocem peccati usurpare nunc pro culpa ipsa, nunc pro effectu, & pœnâ culpæ, nunc pro causa culpæ, nunc denique pro Sacrificio, quod est culpæ expiatio. *Deuteron.* 9. *v.* 21. vitulus, quem adoraverant Hebræi, & quem Moyses combusserat, Moyses ipse *peccatum vocat*, quia scilicet causa, vel effectus fuit peccati. Pœnam, quam indixerat Deus Ægyptiis cæterisque Gentibus, quæ ipsum adoraturæ in Jerusalem non ivissent, *Peccatum* vocat Zacharias 14. v. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.* S. Paulus nomine *peccati* legem appellat, *Lex peccatum est?* Rom. 7. v. 7. Et tamen non quærebat, an lex formaliter peccatum esset, sed solùm causa, an occasio peccati. De Christo tandem idem Paulus 2. *Cor.* 5. *v.* 21. dicit, quòd Deus *eum* (Christum) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, nimirum hostiam, seu victimam pro peccato, eo modo, quo Oseas *cap.* 4. *v.* 8. de Sacerdotibus ait: *Peccata populi comedent*, nempe victimas pro peccatis oblatas. Si igitur peccati nomen tot variis modis in Scripturis usurpatur, cur de peccato strictè sumto accipi volunt hìc à Paulo Protestantes? Imò oppositum evinco sic. Paulus *Rom.* 6. *v.* 12. & *Rom.* 7. *v.* 18. & 23. citatis loquitur de peccato, quod regnat, seu habitat in carne, & membris: quis autem peccatum formaliter residere in carne, aut membris umquam somniavit? Peccatum

catum illud vocat legem facientem servire peccato: lex autem, quæ facit servire peccato, est quidem causa ad peccandum movens, sed non est ipsa peccatum: sicut lex faciens servire justitiæ, est quidem ad justitiam movens, sed non est ipsa justitia. Meritò itaque Concilium Tridentinum Sess. 5. Can. 5. *Hanc* (inquit) *concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse, peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

XVII. Hanc explicationem tradiderat S. Augustinus *lib. 1. de Nupt. & concup. c. 23.* ubi de concupiscentia: *Sic autem* (inquit) *vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur Scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum; quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat.* Hoc repetit *l. 1. Retract. c. 15.* ubi observans, Paulum dicere: *Quod nolo hoc facio*, ait: *Quomodo ergo nusquam est, nisi in voluntate peccatum?* Cui respondet: *Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.*

XVIII. Sed instabis. S. August. *l. 5. contra Julian. c. 3.* parificans concupiscentiam cæcitati cordis: *& sicut*, (inquit) *cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversùs quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.* His verbis suo errori apertè patrocinari Augustinum gloriantur Heterodoxi.

XIX. Quia verò Catholici Doctores respondere solent, S. Augustinum concupiscentiam appellare peccatum, & non solùm causam, vel effectum peccati, non quòd ipsa sit propriè peccatum, & offensa Dei reddens hominem divino odio dignum; sed eam dicere peccatum, eo quòd sit vitium, & infirmitas naturæ tollens ab ea primam perfectionem, & ingenitum vigorem, quem in sui prima formatione à Deo acceperat, non verò naturale bonum ipsi naturæ ex sua conditione conveniens, qualem Pelagiani, & inter cæteros Julianus, contra quem scribebat, prædicabant: Ideoque illam in Paradiso ante peccatum ponebant tamquam affectionem naturalem, & innocentem (ut videre est *l. 1. Oper. imperfecti contra Julian. c. 70. & 71.*) cùm Augustinus non naturam, sed morbum, & languorem naturæ assereret.

XX. Contra instant. Primò. Concupiscentia à D. Augustino eodem modo vocatur peccatum, quo cæcitas, quâ Deo non creditur: sed cæcitas propriè, & formaliter est peccatum; ergo & concupiscentia.

Secundò instant. S. Augustinus reprehendens Julianum dicentem, hanc concupiscentiam, seu *inobedientiam carnis potiùs esse laudabilem, si pœna peccati est, velut ultricem sceleris, & in hoc Dei ministram*, ait, posse hoc modo laudari & Angelos malos, *qui utique non sunt nisi prævaricatores, atque impii, per quos Deus meritas pœnas irrogare peccantibus Sancta Scriptura testatur*: cùm ergo Angeli mali sint formaliter in se mali, & non solùm causa, concupiscentia erit formaliter in se mala, & peccatum.

XXI. Respondetur ad primam instantiam primò, similitudinem inter

cæcita-

cæcitatem cordis, & concupiſcentiam carnis in hoc ſolùm ſtatui ab Auguſtino, quòd ſicut cæcitas cordis non eſt bona, & laudanda, etſi pœna peccati ſit; ita neque concupiſcentia carnis, quamvis ſit pœna peccati, quia peccatum, ideſt vitium naturæ eſt ex peccato contractum. Hinc

XXII. Reſpondetur ſecundò, cordis cæcitatem in eis ſolùm eſſe formaliter peccatum, qui voluntariè ſe obcæcaverunt, ſeu qui lucem veritatis reſpuerunt. In eis autem, in quibus cæcitas, aut ignorantia voluntaria non fuit, ut in Infidelibus, qui nihil umquam de Evangelio audierunt, vel audire potuerunt, cæcitas, aut ignorantia purè negativa eſt, & non culpanda, ut docet Epiſt. 105. modò 194. ad Sixtum cap. 6. *Ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem, qui non potuerunt. pœna peccati*. Quod docet quoque S. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. ubi de infidelitate loquens: *Si autem* (inquit) *accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta eſt*.

XXIII. Reſpondetur tertiò, D. Auguſtinum vocare cæcitatem, & concupiſcentiam carnis *peccatum*, non illas accipiendo ſecundùm ſe, & prout conſequuntur peccatum originale, ſed quatenus fiunt homini aliquomodo voluntariæ ex peccatis præcedentibus: interdum enim permittit Deus, ut homo in cæcitatem labatur, & concupiſcentiæ motibus cedat in pœnam priorum peccatorum. Ita ſe explicat idem S. Auguſt. *lib.* 5. *contra Julian. citato cap.* 3. Cùm enim objiceret Julianus: ſi libido pœna peccati eſt, toleranda igitur erit, non comprimenda, & pudicitia abjicienda, ne homo ſententiæ Dei ſeſe opponat. Reſpondet S. Doctor allato exemplo de cæcitate, quàm etſi pœnam, tolerare homo non debet, ſed vincere, quòd eam pœnam, quæ nec error eſt, nec libido, tolerare debet patientia. Error autem, & libido tolerata, & volita, non ſolùm pœna eſt, ſed & peccatum.

Deinde afferens illud Roman. 1. v. 24. *Tradidit Deus in deſideria cordis eorum*, ſubjungit: *Proinde præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum eſt .... Ac per hoc aliud eſt habere mala deſideria cordis, aliud tradi eis, utique ut conſentiendo eis, poſſideatur ab eis*, quod fit, cùm divino *judicio traditur eis. Alioquin fruſtra dictum eſt*: Poſt concupiſcentias tuas non eas (Eccleſiaſtici 18. v. 30.) *Si jam quiſque reus eſt, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes ſentit eas, nec eas ſequitur, ſi non eis traditur, exercens adverſùs eas glorioſa certamina, ſi vivit in gratia*. Et poſt aliqua, ſubdit: *Cum ergo dicitur homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur. A' quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt: & fit ei peccatum conſequens præcedentis pœna peccati*. En ergo quomodo concupiſcentiam Auguſtinus peccatum dicit, concupiſcentiam ſcilicet, cui accedit conſenſus, non concupiſcentiam, quæ conſenſum prævenit, ut volunt Proteſtantes.

XXIV. Secundum Proteſtantium momentum eſt. Concupiſcentia eſt formaliter malum morale; ergo eſt formaliter peccatum: non perſonale; ergo originale. Antecedens probant primò. Quidquid formaliter opponitur legi, & dictamini rationis, formaliter malum morale, & peccatum eſt: at hujuſmodi eſt concupiſcentia, juxta illud Pauli Roman. 7. v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; ergo &c.

Secundò. Quidquid ad peccatum inducit, formaliter peccatum eſt: ſed concupiſcentia, ex eodem Paulo citato, ad peccatum inducit, captivat enim in lege peccati; ergo &c.

Ter-

Tertiò probant. Solum peccatum odio habetur à Deo: sed Deus concupiscentiam odit, unde *August. in Psalm.* 35. ad illa verba: *Malitiam autem non odivit: Vince* (inquit) *peccatum, & voluptatem ejus: peccatum, & iniquitatem oderis, ut jungas te Deo, qui tecum illud oderit*. Ubi peccati nomine concupiscentiam intelligit.

Quartò. Solum peccatum Deus non causat: sed concupiscentiam Deus non causat, cùm enim illa ad peccatum inclinet, Deus si illam causaret, ad peccatum instigaret; ergo &c.

XXV. Respondetur, negando ant. Ad ejus primam probat. nego min. Concupiscentia enim per se, & dum in membris sistit, malum morale, aut peccatum formaliter non est, sed malùm pœnæ ex peccato factum, & ad peccatum inclinans. Ita D. Augustin. *l.* 1. *Oper. imperf. contra Julian. c.* 71. & in hoc sensu lex peccati à D. Paulo vocatur: *Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet; & si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare.*

Quomodo autem concupiscentia *lex* dicatur, exponit D. Thomas 1. 2. *q.* 91. *a.* 6. Lex enim essentialiter est in Legislatore, participativè autem in his, qui subduntur legi, & per legem ordinantur. In his verò aliqua ordinatio dupliciter esse potest à Legislatore. Uno modo directè eos ad aliquos diversos actus inclinando, sicut alia lex est militum, alia est lex mercatorum. Alio modo indirectè, inquantùm scilicet Legislator destituit aliquem sibi subditum aliquâ dignitate, ipsum in alium ordinem, & quasi in aliam legem transferendo, puta si miles ex militia detrudatur ad ordinem rusticorum. Sic igitur sub Deo Legislatore diversæ creaturæ diversas sortitæ sunt leges, ita ut, quod uni est quodammodo lex, alteri sit contra legem; ut esse furibundum est quodammodo lex canis, est autem contra legem ovis, vel alterius mansueti animalis: *Est ergo homini lex, quam sortitur ex ordinatione divina, secundùm propriam conditionem, ut secundùm rationem operetur. Quæ quidem lex fuit tam valida in primo statu, ut nihil vel præter rationem, vel contra rationem posset subrepere homini. Sed dum homo à Deo recessit, incurrit in hoc, quòd feratur secundùm impetum sensualitatis*. Et proinde quòd in aliis animalibus habet quasi rationem legis, & naturalis ordinationis, *in hominibus... non habet rationem legis, sed magis est deviatio à lege rationis. Sed inquantùm per divinam justitiam homo destituitur originali justitiâ, & vigore rationis, ipse impetus sensualitatis, qui eum ducit, habet rationem legis, inquantùm est pœnalis, & ex lege divina consequens hominem destitutum propriâ dignitate.*

XXVI. Ad secundam probationem antecedentis, nego maj. Non enim id omne, quod ad peccatum inducere potest, peccatum est: sed solùm id formaliter appellatur peccatum, quod voluntas pleno, ac libero consensu contra Deum admittit. Neque ex quo concupiscentia generet peccatum, sequitur, eam formaliter peccatum esse. Nam S. Paulus 2. *Timoth.* 2. *v.* 23. hortatur Timotheum, ut vitet stultas quæstiones, quia generant lites; & tamen lites non sunt, etsi causa litis. Idem *Hebr.* 6. *v.* 7. scribit, quòd terra venientem super se bibens pluviam, generat herbam; & tamen quis unquam credidit terram, aut pluviam esse herbam? Sanctus item Jacobus *c.* 1. *v.* 15. dicit peccatum cum consummatum fuerit generare mortem æternam; & tamen peccatum esse mortem æternam nullus dicit. Sit ergo lex concupiscentiæ lex peccati, non erit tamen ipsa peccatum, sed faciens servire peccato; sicut lex faciens servire justitiæ, ipsa non est justitia.

XXVII. Ad tertiam probat. nego majorem. Non enim solùm Deus odit malum morale, seu peccatum formaliter, sed id quoque, quod est malum mora-

morale causaliter, seu causa malitiæ moralis, ut constat in habitu vitioso, qui odio habetur à Deo, quatenus inclinat ad actus malos, estò per se non sit formaliter peccatum. Augustinus autem ibi peccati nomine concupiscentiam appellat, non quatenus prævenit, sed quatenus includit voluntarium hominis consensum; ait nempe: *Sunt enim homines prorsùs, qui non pugnant, qualis est iste, de quo loquitur* (Psalmista) *cum dicit*: Malitiam non odio habuit. *Quomodo enim pugnaret contra eam, quam non odit? &c.*

XXVIII. Ad quartum, nego similiter maj. Ut enim aliquid non causetur formaliter à Deo, non requiritur, ut formaliter peccatum, seu malum morale sit; sed sat est, ut ad malum inclinet, & impellat: hâc enim ratione habitum vitiosum Deus non causat. Unde Auguft. lib. 2. de Nupt. & concup. c. 7. *Opus* (inquit) *Dei est homo: sed carnis concupiscentia, sine qua, si peccatum non præcessisset, tranquillà voluntati obedientibus, sicuti cætera membra, genitalibus, seminaretur homo, non est à Patre, sed ex Mundo est.*

XXIX. Sed dicent. Christus assumsit eos omnes naturæ humanæ defectus, qui non sunt formaliter peccatum: sed fomitem, & concupiscentiam non assumsit; ergo signum est, fomitem, & concupiscentiam esse formaliter peccatum.

Respondetur, neg. maj. Nam Christus non assumsit ignorantiam, aut errorem, quæ tamen peccatum formaliter non sunt. Ideo ergo in Christo fomes, aut concupiscentia non fuit, non quia sit formale peccatum; sed quia ex originali peccato est, quod in Christo non fuit: & quia, ut docet S. Thomas 3. *p. q.* 15. *a.* 2. cùm sit inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem, non debuit esse in Christo, cujus virtus adeo fortis erat, ut totaliter carnem comprimeret, ne posset rationi resistere. Hinc S. Aug. *l.* 5. *contra Julian. c.* 15. ait: *Et utique concupiscentia, quæ repugnat, ut trahat, etiamsi spiritu contra eam concupiscente, & resistente non trahat, ac propterea nec concipiat, pariatque peccatum, non est bonum. Et ipsa est, de qua dicit Apostolus:* Scio, quòd non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. *Hoc autem, quod non est bonum, Christus in natura si haberet suâ, non sanaret in nostrâ.*

XXX. Tertiò arguit Calvinus *l.* 1. *Inst. c.* 2. §. 66. contendens ostendere, peccatum originale remitti quidem in Baptismo quoad reatum, manere tamen adhuc in renatis, quia manet in eis concupiscentia; manere, inquit, non regnare: unde advertens, Paulum Rom. 6. v. 12. dicere: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, subdit Calvinus: *Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis.*

Respondetur tamen, Calvini assumtum falsum esse, jam constare ex dictis §. præcedente. Peccatum enim originale in Baptismo prorsùs deleri ostendimus, & Tridentinum statuit. Apostolus autem dixit: *Non regnet peccatum*; non verò dixit: *non sit*. Non quia peccatum originale post Baptismum quoad maculam verè maneat, & sit; sed ait: *Non regnet*, inquit D. Thom. in dictum caput 6. lect. 3. *Non autem dicit* non sit peccatum in vestro mortali corpore; *quia quamdiu corpus nostrum est mortale, idest necessitati mortis addictum, non potest esse, quin in corpore nostro sit peccatum, idest fomes peccati*. Peccatum, quod est in corpore, nequit esse propriè peccatum, quod residet in anima, sed vel effectus, vel causa peccati.

XXXI. Quartò objici potest. Saltem in non renatis concupiscentia est formaliter peccatum originale. Et probatur. Nam Tridentinum *Sess.* 5. *Can.* 5. ait, concupiscentiam non sic dici peccatum, *quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit*; ergo concupiscentia in non renatis verè, & propriè peccatum erit. Conseq. probatur per argumen-

tum à contrario sensu; sicut ex eo, quod ibidem dicit: *In renatis nihil odit Deus*, benè sequitur: *ergo in non renatis aliquid odit Deus*.

Respondeo, neg. conseq. Vel enim non renatus consentit concupiscentiæ, & sic concupiscentia est quidem illi peccatum, non tamen originale, sed actuale. Vel ei ex quadam naturali honestate resistit, & sic concupiscentia illi non est peccatum, nec originale, nec actuale.

Illud autem argumentum: *In renatis nihil odit Deus*; ergo in non renatis aliquid odit, magis valet ratione materiæ, quàm ratione formæ: unde non valet simili modo semper arguere. Sicut non valet: in iis, qui in gratia sunt confirmati, nihil odit Deus; ergo in iis, qui in gratia non sunt confirmati, aliquid odit Deus; cùm dari possit justus in gratia non confirmatus, in quo Deus nihil oderit. Et si homines fuissent in puris naturalibus conditi, & subinde variis concupiscentiæ motibus obnoxii, & postea instituto Baptismo, eodem tincti fuissent, dici de illis potuisset: in renatis concupiscentia non est peccatum; ex quo tamen concludi non potuisset; ergo in non renatis concupiscentia est peccatum originale, imò neque actuale, nisi consentirent.

§. IV.

An Concupiscentia sit peccatum originale saltem materialiter, seu ad peccatum originale se habeat, ut materiale?

XXXII. Sanctus Thomas (ut superiùs §. 1. *num.* 6. indicavimus) tùm 1. 2. *q.* 82. *a.* 3. tùm in 2. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *a.* 3. *in corp.* & *ad* 4. tùm *q.* 4. *de Malo a.* 2. per totum, tùm alibi perpetuò docet, defectum, seu privationem originalis justitiæ esse in peccato originali tanquam formale, concupiscentiam verò quasi materiale. Docet enim præsertim in secundo loco laudato in corp. quòd *in quolibet peccato est invenire aliquid quasi formale, & aliquid materiale. Si enim consideramus peccatum actuale, ipsa substantia actus deordinati materialiter in peccato se habet: sed deordinatio à fine formale in peccato est, quia ex hoc rationem mali præcipuè habet. Unde dicitur, quòd conversio ad bonum commutabile est ibi sicut materiale, & aversio à bono incommutabili est sicut formale. Et hoc contingit ex hoc, quòd etiam in actu perfectio virtutis ex ordine ad finem est forma actus. Sicut autem peccatum actuale consistit in deordinatione actus; ita etiam peccatum originale consistit in deordinatione naturæ. Unde oportet, quòd ipsa vires deordinatæ, seu deordinatio virium sint sicut materiale in peccato originali, & ipsa deordinatio à fine sit ibi sicut formale. Illa autem pars, quæ per se nata est conjungi fini est ipsa voluntas, quæ habet ordinem finis omnibus aliis partibus imponere, & tunc destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturæ, in peccato originali formale est; & hoc est privatio originalis justitiæ. Vires autem appetitus sensibilis sunt natæ recipere ordinem ad finem ab ipsa voluntate, secundùm quòd sibi subjectæ sunt: & ideò subtractio illius vinculi, quo quodammodo sub potestate voluntatis rectæ detinebatur, materiale in peccato est. Ex hâc autem subtractione sequitur, quòd unaquaque vis in suum subjectum inordinatè tendat, concupiscendo illud: & ideo concupiscentia, quâ habiles sumus ad malè concupiscendum, peccatum originale dicitur, quasi materiale in peccato originali existens. Est enim considerare materiale, & formale in actibus moralibus, sicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto prædicatur, ut possit dici cultellus est ferrum. Et similiter de peccato prædicari potest illud, quod est materiale in ipso, & per hunc modum peccatum originale concupiscentia dicitur.*

XXXIII. Hâc doctrinâ, quam Angelicus

gelicus Doctor tradit etiam in aliis citatis locis, explicari possunt omnes auctoritates superiùs allatæ ex D. Paulo, & Augustino; nimirùm, Paulum, & Augustinum concupiscentiam vocare peccatum originale, sumendo peccatum originale non pro formali, nempe deordinatione ab ultimo fine, sed pro materiali, nempe pro inordinata tendentia virium inferiorum in sua objecta; seu pro subtractione vinculi, quo sub potestate voluntatis rectæ detinebantur, quod in peccato originali quasi materiale est. Quod si hoc contenti essent Protestantes, non esset cum illis contentio. Sic enim dicere possemus, manere in renatis peccatum originale pro materiali, nempe habitualem inordinationem virium inferiorum, seu necessitatem sentiendi motus inordinatos concupiscentiæ. Quod quilibet, etsi renatus, & justus, viâ ordinariâ in se experitur, & hoc testabatur Paulus *Rom.* 7. citatus.

XXXIV. Neque hinc inferas, quòd si concupiscentia aliquomodo dici potest peccatum originale, nempe pro materiali, quia deordinatio appetitus sensitivi secuta est ex deordinatione voluntatis Adami à fine; eâdem ratione dici poterunt peccatum originale, pro materiali nimirum, aliæ deordinationes ex eadem secutæ in corpore, ut infirmitates corporis, necessitas moriendi, & alia.

XXXV. Nam, ut docet S. Doct. in 2. dist. 30. q. 1. a. 3. citato ad 4. *peccatum contingit in his, quæ ad finem ordinata sunt, secundùm quòd à suo fine deficiunt; & ideo in partibus animæ in illis præcipuè est peccatum hominis, secundùm quas homo ordinatur in finem: & quia appetitus est tendens in finem, ideò in appetitu præcipuè peccatum consistit. Ad finem autem hominis ordinatur appetitus rationis, qui est voluntas, immediatè, appetitus autem sensibilis mediatè; inquantùm scilicet ordinem finis ex voluntate rationis recipiunt, propter quod dicuntur aliqualiter rationi obaudibiles, ut Phil. dicit in fine 1. Ethic.* (c. 18.) *Et ideò defectus ordinis in appetitu voluntatis est formale, & completivum originalis peccati, quod est privatio rectitudinis voluntatis, quæ inerat secundùm originalem justitiam; defectus autem ordinis in appetitu inferiori est materialiter in peccato se habens, & hoc est concupiscentia, ut dictum est. Et ideo nullus alius defectus naturæ ex parte rationis, nec ex parte sensibilis partis originale peccatum dicitur, nisi concupiscentia sicut materiale, & privatio originalis justitiæ, sicut formale.* Ita S. Thomas. Ex quo infert citato loco *ad* 5. ignorantiam, ut est defectus cognitionis purè in intellectu manens, non posse dici adhuc materialiter peccatum originale: *Quia ignorantia non per se respicit voluntatem, unde etiam defectus ille, sicut & alii, retinent rationem pœnæ, sed non culpæ: Et si inveniatur ignorantia peccatum originale dici, intelligendum est de ignorantia privante illam scientiam, quæ includitur in originali justitia.* Aliæ autem passiones, ut irascibilis &c. ad concupiscentiam ut principaliorem, in qua includuntur, & quæ vehementiùs movet, & magis sentitur, reducuntur, ut docet D. Th. 1. 2. q. 82. a. 3. laudato *ad* 2.

XXXVI. Hæc de mente S. Thomæ certa sunt. Quòd verò inter ejus Discipulos controvertitur, est: in quo sensu intellexerit, concupiscentiam in peccato originali esse tamquam materiale. An scilicet propriè, sicut substantia actus est materiale in peccato actuali; an verò secundùm similitudinem eo modo, quo effectus comparari solet ad suam causam, sicut materiale ad formale, vel effectus secundarius ad primarium: utroque enim modo comparatur concupiscentia ad peccatum originale.

XXXVII. Censet Sylvius cùm aliis, concupiscentiam dici materiam peccati originalis impropriè eo modo, quo effectus comparatur ad suam causam, sicut materiale ad formale, & effectus

Mm 2 secun-

secundarius ad primarium; non verò propriè, sicut substantia actus est materiale respectu peccati actualis. Et ratio est. Tùm quia privatio rectitudinis, seu justitiæ originalis non inhæret ipsi concupiscentiæ, quemadmodum formale peccati actualis inhæret, seu denominat actum, qui se habet tamquam materiale: quod videretur requiri, si concupiscentia compararetur ad peccatum originale in proprio sensu, ut materiale ad formale. Tùm quia id, quod propriè est materiale in peccato pro formali, præsupponitur ei tamquam ejus fundamentum; sicut actus præsupponitur malitiæ in peccato actuali: concupiscentia autem non præsupponitur privationi justitiæ originalis, quæ est formale, sed consequitur eam tamquam pœna, vel effectus. Tùm quia manente peccato pro materiali non potest tolli deformitas in eo fundata; manente enim actu adulterii non potest tolli formalis deformitas: sed post Baptismum sublatum est peccatum originale in renatis, in quibus tamen manet concupiscentia; ergo &c. Hinc D. Th. in 2. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 3. *Non eodem modo* (inquit) *se habet concupiscentia, & fomes ad originalem maculam, sicut actus peccati ad maculam actualem: concupiscentia enim etsi quodammodo materialiter se habeat, non tamen est causa ejus secundùm quòd in eodem subjecto inveniuntur. Sed actus peccati causat actualem maculam: & ideo non potest contingere, quòd actus maneat, & macula, vel reatus transeat, sicut in originali manente concupiscentiâ transit reatus, & macula*. Unde 1. 2. *q.* 83. *a.* 2 *ad* 4. ait: *concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in peccato originali*.

XXXVIII. Gonet verò cum Salmanticensibus in 1. 2. *disput.* 16. *dub.* 4. §. 3. censet, concupiscentiam juxta Doctrinam D. Thomæ esse verè, & propriè materiam originalis peccati, eoque modo, quo in actuali actus exterior se habet ut materia respectu interioris, vel conversio respectu aversionis. Idque putat, se colligere ex Doctrina ejusdem S. Doctoris *q.* 3. *de Malo a.* 7. *in corp.* ubi ait: *Ignorantia, & fomes sunt materialia in peccato originali, sicut & conversio ad bonum commutabile in peccato actuali*: Et q. 4. a. 2. ad 11. *concupiscentia* (inquit) *potest dupliciter considerari. Uno modo secundùm quòd est in alio: & hoc modo concupiscentia, quæ est in patre, ponitur causa originalis peccati, quod est in filio, & non est de essentia ejus, sed præcedit ipsum. Alio modo potest considerari secundùm quòd est in eodem: & sic est causa per modum materiæ, quæ est de essentia rei, & præcedit quodam modo per modum materiæ, sicut, & corpus præcedit animam in ordine causæ materialis. Dictum est enim supra, quòd ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, infunditur anima, ad quam pertinet carentia originalis justitiæ*. Quia autem sublatâ carentiâ justitiæ originalis per Baptismum manet adhuc caro infecta; ideo manet materiale, non formale peccati originalis, in quo differt à peccato actuali: & insuper concupiscentia est causa materialis peccati originalis potius per modum dispositionis, quàm subjecti immediatè susceptivi. Quibus responderi potest ad prioris sententiæ fundamenta. Utraque tamen secundum mentem D.Thomæ probabilis est.

DUBIUM III.

An Peccatum originale sit ipsum Adami peccatum moraliter perseverans in Posteris, eisque imputatum?

§. I.

Resolutio quæsiti.

I. Albertus Pighius, & Ambrosius Catharinus noster peccatum originale nil aliud esse dicunt, quàm ipsum Adæ peccatum mora-

moraliter perseverans, ac Posteros omnes ex eo descendentes extrinsecè denominans: ex quo colligitur, peccatum originale non multiplex, sed unum numero in omnibus esse. Hoc idem sentit Salmero super *c. 5. Epist. ad Rom. disput. 45. 46. & 47.* ubi addit, *hanc sententiam debere esse omnium Catholicorum*. Immeritò tamen, ut dicemus. In hanc opinionem eunt Scotistæ, ut legere est apud Frassen *tract. 3. disp. 3. a. 2. q. 2. de Peccato Origin. Conclus. ultimâ* dicentem, peccatum originale Posterorum Adæ est ipsummet Adæ peccatum manens in ipsis moraliter, quatenus omnes in eo tamquam in capite peccaverunt. Idem sentiunt Henno, cæterique Scotistæ. Nihilominus

II. Dico. Peccatum Originale in Posteris Adæ non est ipsummet Adæ peccatum, ut moraliter manens in ipsis. Vazquez in *1. 2. de pecc. origin. disp. 132. c. 3.* oppositam sententiam Pelagiano errori neganti peccatum originale contrahi propagatione, affinem esse putat. Sed quidquid sit de hoc, certum est, eam tamquam veræ fidei parum consonam in Indice expurgatorio jussam fuisse aboleri ex operibus Ambrosii Catharini: verbo *Ambrosius Catharinus*. Et in expurgatorio Hispaniæ edito ab Antonio de Soto Major, verbo Ambrosi. Catharinus habentur hæc: *Delenda sententia, quam cum Alberto Pighio docet, videlicet non inesse cuique suum peculiare originale peccatum.*

III. Impugnatur ergo primò. Peccatum, quod origine contrahitur, non est unum, ac idem numero in omnibus, sed in singulis ab ea naturam trahentibus cum natura propagatur: atqui si nil aliud esset, quàm peccatum Adæ, ut moraliter manens in Posteris, eosque solùm extrinsecè afficiens, esset unum, ac idem numero in omnibus; ergo &c. Maj. continet doctrinam Tridentini *Sess. 5. Can. 3.* dicentis: *Peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium*. Quòd autem origine unum propagatione transfunditur, & inest unicuique proprium, non potest esse idem numero in omnibus moraliter manens, sed debet in singulis propagari, & multiplicari, sicut in singulis propagatione multiplicatur natura. Unde *Sess. 6.* idem Concilium *cap. 3.* ita ait, quòd homines propagatione per Adam, dum concipiuntur, *propriam injustitiam contrahunt*. Min. verò probatur. Si enim homines nascerentur injusti solâ injustitiâ Adæ, quæ una omnes injustos denominaret, non esset quilibet injustus injustitiâ propriâ, sed omnes injusti essent injustitiâ communi, nempe injustitiâ Adæ; quæ una numero existens omnes extrinsecè denominaret injustos tamquam omnibus imputata.

IV. Respondet Frassen, peccatum Adæ non solùm extrinsecè, sed intrinsecè parvulos afficere, ipsisque esse proprium, quatenus nempe omnes in Adam peccaverunt tanquam in capite; quod peccatum tamdiu in ipsis permanet, quamdiu Baptismatis lavacro non eluitur: ac proinde physicè esse quidem unum numero, sed moraliter multiplex, & propagatione moraliter, & æstimatione multiplicatum, reddens omnes, & singulos Deo exosos, perinde ac si à singulis esset perpetratum.

V. Sed contra primò. Peccatum Adæ, utpote actus immanens, non potuit nisi solum Adam intrinsecè afficere; neque, utpote accidens, potuit idem numero de Adam ad posteros transire, eosque intrinsecè afficere, nisi ad summum per æstimationem, & imputationem, nihil intrinsecum in ipsis causando.

Porrò quòd omnes homines in Adam peccaverint, non convincitur, omnes unico Adæ peccato formaliter peccatores constitui; sed cum omnes in eo peccaverint tamquam membra in capite, contraxisse debitum, ut omnes peccato infecti, seu peccatores nascerentur-

rentur, maculâ quidem ex Adæ peccato causatâ, & cum carne transfusâ, sed cuique propriâ, & propagatione contractâ. Si enim unico peccato Adæ omnes dicerentur peccatores, non diceretur peccatum propagari: sicut si omnes partes aeris dicerentur lucidæ per lucem existentem in Sole, non diceretur, lux per aerem propagari.

Rursùs si, ut dicit Frassen, peccatum originis nil aliud est, quàm peccatum Adæ moraliter cuique proprium, quomodo verificabitur, hoc peccatum in Baptismo elui, ac tolli? Certè peccatum Adæ elui, ac tolli nequit; elui ergo, ac tolli, solùm erit, peccatum Adæ non ampliùs baptizato imputari. Hoc autem Concilium Tridentinum damnat *Sess. 5. Can. 5.* in eo, qui asserit, in Baptismo non *tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari*. Sicut ergo tollitur non solum imputatione, & morali æstimatione, sed revera; ita nec solâ imputatione, aut morali æstimatione, sed revera multiplicatur.

VI. Impugnatur secundò. Ita per Adæ inobedientiam, & peccatum constituuntur homines peccatores, sicut per Christi obedientiam, & justitiam constituuntur homines justi: sed homines non constituuntur justi formaliter per justitiam Christi ipsis moraliter imputatam, imò per justitiam cuique propriam, ab ipso tamen ut à capite in membra derivatam; ergo à pari &c. Major probatur ex Divo Paulo Roman. 5. vers. 19. & 20. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Minorem verò tamquam dogma Catholicum contra Lutheranos, & Calvinistas statuit Tridentinum *Sess. 6. cap. 7.* dicens; unica *formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit; quâ videlicet... verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes &c. Can. 10.* anathema dicit ei, qui dixerit homines per Christi justitiam formaliter justos esse. Et *Can. 11.* eodem anathemate ferit dicentem, homines justificari *solâ imputatione justitiæ Christi.... exclusâ gratiâ, & caritate... quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque inhæreat.* Quemadmodum ergo his Pauli verbis, *per unius obeditionem justi constituentur multi*, concludi non potest, hominem esse justum per ipsam actualem Christi obedientiam, sed tantùm ipsam actualem Christi obedientiam esse causam meritoriam nostræ justificationis; ita nec ex hoc loquendi modo, *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi*, concludi legitimè potest, homines constitui formaliter peccatores, & reos per ipsam actualem Adæ inobedientiam: sed tantùm, quòd ea actualis Adæ inobedientia sit causa demeritoria, cur Adæ Posteri constituantur peccatores. Et hoc indicavit Paulus citato loco, ubi postquam *v. 11.* dixerat, Christum esse, *per quem nunc reconciliationem accepimus*, subjungit v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors.* Ubi ly *per* in utroque loco designat causam meritoriam, nempè Christum, nostræ reconciliationis, & Adam causam demeritoriam nostri peccati, quemadmodum causam demeritoriam mortis corporalis.

VII. Scio, responderi à Frassen, Paulum noluisse instituere paritatem in omnibus; aliàs sicut sine ullo actu proprio per inobedientiam Adæ maculamur, ita sine ullo actu proprio per Christi obedientiam sanctificaremur: sed voluit solùm instituere paritatem in genere causæ, non in specie, & modo causandi. Nam de inobedientia loquitur in præterito, *peccatores constituti sunt multi*; de obedien-

bedientia verò loquitur in futuro, *constituentur multi*. Quid autem indicare voluit, nisi quòd positâ inobedientiâ, statim positum fuit quidquid requirebatur, ut homines constituerentur peccatores, *in quo omnes peccaverunt*: at positâ Christi obedientiâ nondum positum fuit quidquid requiritur, ut homines sint formaliter justi?

VIII. Sed contra primò. Saltem in parvulis tenet omnimoda paritas: nam sicut qui in Adamo nascitur, sine ullo proprio actu nascitur peccator: ita parvulus, qui in Christo renascitur, sine ullo proprio actu renascitur justus, & tamen non renascitur formaliter justus Christi obedientiâ; ergo similiter &c.

Secundò. Quòd sine ullo actu proprio homo constitutus sit peccator, proprio autem actu cooperetur homo ad sui justificationem, non infert, hominem peccato Adami constitui formaliter peccatorem; sed quòd, cùm omnes Adamo peccante in eo peccaverint, ex Adami peccato, ut ex causa, peccatum in omnes propagetur, in quos ex eo propagatur natura; & sicut non dicuntur homines ex humanitate Adami, sed humanitate ex ipso derivatâ: ita nec dicuntur peccatores formaliter ex Adami peccato, sed ex peccato per propagationem unâ cum natura ex ipso in unoquoque derivato.

Quòd verò de inobedientia loquatur in præterito, de obedientia autem in futuro, non arguit, positâ inobedientiâ Adæ, haberi statim in omnibus, & singulis formale constitutivum peccatoris; non autem positâ obedientiâ Christi, haberi constitutivum justi: sed ut exponit S. August. lib. 2. Oper. imperf. contra Julian. c. 215. Apostolus *maluit verbum futuri temporis ponere*, *&* constituentur *dicere*, *non* constituti sunt; *quoniam justi illâ justitiâ, qua sine ullo peccato erit, in futuri seculi aeternitate victuri sunt. Cùm autem de peccatoribus non dixit*: Constituentur, *sed* constituti sunt, *seculum hoc, quod præterit, ubi jam vitiata est humana natura, verbo temporis præteriti expressit*.

IX. Improbatur tertiò. Peccatum originale in Posteris est effectus peccati Adæ; ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum, siquidem non potest idem esse causa sui ipsius. Ant. prob. 1. ex D. August. *l. 2. de Nupt. & concup. c. 26.* ubi ait: *Non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur à nascente, & expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati*. = Nec dicas, ex Augustini verbis non sequi, peccatum Adæ esse realiter, & quasi physicè diversum à peccato originali Posterorum, sed solùm moraliter, quatenus peccatum Adæ, quamvis realiter sit idem, ut tamen est peccatum Adæ, est moraliter diversum à se, ut est moraliter peccatum Posterorum; & sic quatenus est moraliter peccatum Adæ, potest esse causa peccati originalis, ut proprium est singulorum. Non inquam = Nam S. Augustinus eo modo dicit, peccatum Adæ esse causam peccati originalis, quo negat, causam ejusdem esse nuptias; sed negat, nuptias esse causam veram, & realem peccati originalis; ergo veram causam asserit esse peccatum Adami.

Secundò prob. ant. Hæc propositio causalis est vera: Ideo nascimur originaliter peccatores, quia peccavit Adam; ergo peccatum Adæ est causa vera peccati originalis.

§. I I.

Solvuntur Scotistarum rationes.

X. PRimò objicit Frassen illud Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Unde Tridentinum *Sess. 5. Can. 3.* relatis præfatis Pauli verbis

bis: *Si quis* (inquit) *hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c.*

XI. Respondetur ex dictis, Apostolum nobis potiùs esse propitium. Ly enim *per* non designat causam formalem, sed demeritoriam: idest unus homo peccans causa fuit, ut peccatum propagaretur, & sic intraret in Mundum, & per peccatum mors in omnes pertransiret. Sicut ergo peccatum non fuit causa formalis, sed demeritoria mortis: ita unus homo peccans peccato suo demeruit, ut omnes, qui in eo originaliter peccaverunt, nascerentur peccato infecti: quo fit, ut peccatum primi Parentis sit quidem causa peccati originalis, & cur propagetur peccatum originale in Posteros, non tamen sit ipsum originale peccatum. Ad alium textum Pauli jam dictum est, quòd sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi; ita (ut ait ibi Paulus) per Christi obedientiam justi constituentur multi: sed Christi obedientia non est formalis justitia nostra; ergo nec Adæ inobedientia est formale nostrum peccatum, sed causa nostri peccati. Neque Adversarium juvat Tridentinum. Nam fatemur & nos cum eo, peccatum esse origine unum; sed cum eodem etiam dicimus, hoc peccatum origine unum propagatione transfundi, & fieri cuique proprium, cui natura communicatur: quod autem propagatione cum natura transfunditur, & fit cuique proprium, debet in unoquoque cum natura multiplicari. *Sicut enim per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humanæ naturæ, qui est consecutus ex peccato primi Parentis*, ut ait D. Thom. *in cap. 5. ad Roman. lect. 3.*

XII. Secundò objicit Patres, Augustinum passim dicentem, peccatum originale unicum esse omnium hominum. Sic *lib. 4. contra duas Epist. Pelag. cap. 4.* exponens laudata verba, *in quo omnes peccaverunt*, ait: *Aut enim in illo homine peccaverunt omnes, & ideo dictum est, quoniam quando ille peccavit, in illo erant omnes. Aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes.* Idem repetit *l. 1. de Peccat. merit. cap. 10.* dicens: *Alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Videri potest ibi *Lib. 3. cap. 7.* Augustino consentiunt alii Patres, quos Frassen adducit.

XIII. Respondetur, Augustinum, & Patres velle quidem in Adam, seu in peccato Adæ omnes peccasse, & omnes illum hominem fuisse originaliter, & causaliter; quia omnes ex illo peccatum proprium traxerunt: non tamen formaliter, sic ut peccato illo unicè peccatores dicantur. Quod Augustinus ipse citato *lib. 3. de Peccat. merit. cap. 7.* explicavit dicens: *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illâ insitâ vi, quâ eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia ipsi nondum agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita illius hominis continebat.* Et clariùs citato *lib. 1. de Peccat. merit. cap. 10.* dicit, quòd omnes ille unus homo fuerunt, quemadmodum qui justificati sunt, sunt unum in Christo *propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis, quâ quisquis hæret Domino, unus spiritus est.* Sicut ergo unum in Christo sunt, non merè ejus justitiâ, & merito justis imputato; ita nec unum in Adam, ejusque peccato sunt merâ imputatione, sed contractione maculæ ab ipso in singulos unâ cum natura propagatâ.

Audiendus est Anselmus lib. de Conceptu Virginali, & origin. Peccat. c. 23. aliàs 22. *Negari nequit, infantes in Adam fuisse, cum peccavit: sed in illo causaliter, sive materialiter velut*

lut in semine fuerunt. Et *cap.* 24. *aliàs* 23. dicit, peccatum originale in omnibus æquale esse, *sicut peccatum Adæ, quod est causa, cur nascantur in illo*.

XIV. Tertiò objicit. Meritum Christi imputatur parvulis, & ratione ipsius merentur vitam æternam moraliter; ergo peccatum Adami actuale etiam potest imputari parvulis, ac dici eorum demeritum.

Secundò. Privatio gratiæ est pœna, ob peccatum Adæ, Posteris irrogata; sed non ob aliud peccatum, quàm Adami factum illis proprium; ergo &c.

Tertiò. In Politicis videmus, justè peccata parentum filiis imputari, ipsosque præterea puniri, quòd in parentibus peccasse dicantur; ergo à pari &c.

XV. Respondetur, neg. ant. Non enim solâ meriti Christi imputatione justificantur, & Baptismate renascuntur parvuli, sed gratiâ Spiritus Sancti eis, quamvis nescientibus, intrinsecè ex Christi meritis collatâ. Dicere enim, homines per solam Christi justitiam formaliter justos esse, error Protestantium est, damnatus à Tridentino *Sess.* 6. *Can.* 10. *&* 11. Et D. August. *Epist.* 187. *olim* 57. *ad Dardanum cap.* 8. ait: *Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum*. Quomodo autem in eis habitet, post multa exponit, dicens: *Habitare autem ideo, & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut sint templum ejus*. Meritis quidem Christi, non propriis, merentur vitam æternam, quam eis Christus suis meritis in hæreditatem comparavit; non tamen solis Christi meritis justi formaliter sunt, & consequenter nec solo demerito Adæ formaliter peccatores.

XVI. Ad secundum dicetur infra, quòd carentia gratiæ, seu privatio justitiæ originalis potest sumi, ut est remotio, seu subtractio gratiæ, & justitiæ à Deo procedens; & sic est pœna. Potest etiam sumi, ut dicit in subjecto carentiam, & defectum gratiæ, & justitiæ; & sic est formaliter ipsum originale peccatum à peccato Adami transfusum.

XVII. Ad tertium nego consequentiam. Nam in politicis etiam solâ imputatione meritorum parentum censentur Posteri digni amore, & honore Principis; & tamen solâ imputatione meritorum Christi non censentur homines digni amore Dei, sed justitiâ eis intrinsecè inhærente, ut statuit Tridentinum sæpè laudatum. Deinde in politicis peccata parentum imputantur quidem ad pœnam Posteris, non tamen ad culpam, quæ saltem unicuique insit tanquam propria; at Posteris Adæ imputatur etiam culpa, imò in unoquoque inest, ut propria; ergo non ex merâ imputatione, sed ex macula intrinseca ab eis contracta dicuntur peccatores.

XVIII. Quartò objiciunt alii. Peccatum personale habituale est ipsum peccatum actuale moraliter perseverans; ergo peccatum originale cùm sit habituale, nihil est aliud, quàm peccatum actuale Adami moraliter perseverans.

XIX. Respondetur, negando ant. Peccatum enim habituale, vel est inordinata conversio ad creaturam ex peccato actuali relicta; vel macula, seu offensa Dei, quæ in anima manet, donec per gratiam sanctificantem auferatur. Unde à pari de peccato originali dicendum erit.

XX. Quintò objici potest. Peccatum originale est peccatum propriè; ergo est factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei; hæc enim est definitio peccati: sed nihil in peccato originali designari potest, quod sit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei, quàm actualis transgressio Adami; ergo ipsa, ut in nobis moraliter manens, est peccatum originale.

XXI. Responderi potest primò, neg. consequ. illa enim est definitio propriè peccati actualis, non originalis. Secundò, dist. consequens: vel aliquid ex facto,

facto, dicto, concupito proveniens, co. conf. aliter, nego conf. Sicut ergo macula peccati actualis, seu peccatum habituale provenit ex aliquo facto, dicto, vel concupito contra legem Dei: ita etiam macula peccati originalis oritur ex aliquo facto, vel concupito præterito, non quidem propriæ, sed alienæ voluntatis, quæ quodammodo fuit nostra, nempe Adami, cujus factum, & concupitum maculam originalem propagatione transfundit in Posteros.

DUBIUM IV.

In quo revera statuendum sit Peccatum Originale.

§. I.

Non in morbida Qualitate.

I. QUorumdam veterum Theologorum, ut Gregorii Arimin. Driedonis, aliorumque opinio fuit, corpus Adæ post peccatum fuisse infectum aliquâ morbidâ qualitate, seu contagione, & nedum corpus, sed etiam semen ipsius. Hinc factum esse, ut omnes Posteri, qui ex Adæ semine nascuntur, hanc eamdem qualitatem contrahant in carne: cùmque in conceptione anima conjungatur carni, derivatur similis qualitas in ipsam. Estò autem utraque qualitas, tam quæ in corpore, quàm quæ in anima, vocari possit concupiscentia; sola tamen illa, quæ in anima est, peccatum originale est, ex qua prava desideria, & concupiscentiæ in nobis excitantur. Ita discurrunt Auctores præfati, qui tamen ab omnibus deseruntur. Unde

II. Dico primò. Peccatum originale non est aliqua morbida qualitas ex corruptione carnis in animam derivata. Probatur primò. Nam falsò supponunt, quòd vitium concupiscentiæ, quo prona est ad concupiscendum contra rationem, sit positiva qualitas ei adveniens; cùm hæc pronitas unicè proveniat ex carentia justitiæ originalis, quæ eam perfectè subjiciebat rationi. Hoc enim, quod in homine vitium est, in brutis est natura, ut docet D. August. l. 2. de Pecc. origin. c. 40. *Tanta excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis sit natura pecoris*. Ideo autem vitium non est in brutis, quia non repugnat rationi, cùm eâ careant. Ita idem August. l. 4. contra Julian. c. 5. *Hæc autem libido ideò malum non est in belvis, quoniam non repugnat rationi, quâ carent*; ergo ideo vitium est in homine quia repugnat rationi, quâ pollet: sed ideo repugnat rationi, quia in perfecta subjectione ad ipsam non ampliùs per justitiam originalem continetur; ergo &c.

III. Secundò probatur. Illa qualitas contagiosa in anima non aliud esset, quàm pronitas ad malum, & languor ad bonum: sed hæc nequit esse peccatum originale formaliter; manet enim etiam in renatis per Baptismum, in quibus tamen peccatum originale deletum est; ergo &c.

IV. Tertiò. Illa qualitas, si daretur, debuisset habere, & adhuc habere aliquam causam. Quæro igitur: quænam fuit prima illius causa. An halitus serpentis, ut vult Gregorius? At hoc non. Nec enim serpens egit cum Adamo, sed cum Heva. An à pomo vetito, ut alji putant? At pomum naturâ suâ erat bonum, non autem vitiatum, aut corruptum, ut docet August. *l. 14. de Civit. Dei c. 12.* Rursùs dùm generatur homo, unde qualitas illa derivatur in animam? An à peccato primi Parentis? At hoc, quod pridem extinctum fuit, ac physicè periit, illam physicam qualitatem modò causare physicè non potest. An à carne corrupta in animam qualitas illa transfunditur? Verùm quomodo caro corrupta, quæ materialis est, potest qualitatem spiritualem in anima spirituali producere? An igitur à Deo? Absit. Hoc enim esset facere Deum peccati auctorem, si ipse qualita-

litatem illam, quâ ad peccandum inclinamur, & à bono retrahimur, & in qua Auctores præfati collocant essentiam peccati originalis, immediatè causaret.

V. Sed quia putant, sibi favere S. Augustinum; ideo illum adducunt ex *lib. 1. de Nupt. & concup. c. 25.* dicentem: *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quadam mala qualitatis, sicut languor*. Et c. 31. *Carnem autem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis confirmationem*.

VI. Respondeo, D. Augustinum citatis locis non loqui de peccato originali formaliter, sed de concupiscentia etiam in baptizatis manente; quæ est materiale ejusdem originalis peccati, ut supra fusè ostendimus. Hanc ergo vocat affectionem malæ qualitatis, sicut languorem, intelligens nomine affectionis ipsum appetitum sensitivum ut vitiatum, non aliquâ positivâ qualitate tabificâ, sed ex carentia justitiæ originalis; sicut ex carentia debitæ proportionis inter humores fit languor in corpore. Et hâc ratione *S. Thom. 1. 2. q. 82. a. 1.* vocat peccatum originale habitum corruptum. *Est enim quadam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmonia, in qua consistebat ratio originalis justitia: sicut etiam agritudo corporalis est quadam inordinata dispositio corporis secundùm quam solvitur aqualitas, in qua consistit ratio sanitatis. Unde peccatum originale languor natura dicitur*. Subdit verò ibi ad 1. quòd *sicut agritudo corporalis habet aliquid de privatione, inquantùm tollitur aqualitas sanitatis, & aliquid habet positivè scilicet ipsos humores inordinatè dispositos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitia, & cum hoc inordinatam dispositionem partium anima. Unde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus*. Quibus S. Doct. comprehendit id, quod peccatum originale dicit tàm de formali, quàm de materiali, nempe appetitum contra rationem rebellantem. Cæterùm peccatum originale sumtum pro formali, unicè dicit privationem justitiæ originalis, ut infra dicemus cum eodem S. Doctore.

VII. Secundò afferunt S. Augustinum *lib. 5. contra Julian. cap. 4.* dicentem, animam in corpore vitiari tanquam in vase vitiato. Et *lib. 4. Hypognosticon cap. 1.* libidinem in homine ex afflatu serpentis natam esse.

VIII. Respondeo *ad* 1. S. August. ibi non assertivè, sed dubitativè loqui. Postquam enim dixit de anima, & carne: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquàm in vitiato vase corrumpitur*, subdit: *Quod autem horum sit verum, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio*. Porrò vitiari animam dicit in corpore, ut in vase vitiato; non quòd putet, corpus vitiatum imprimere in anima morbidam aliquam qualitatem: sed quia incipit habere peccatum originale, dum conjungitur carni, quia sic nascitur homo, qui est filius Adæ.

Ad secundum dico, libros illos *Hypognosticon* non esse genuinum S. Augustini opus; ideoque inter spurios amandari in editione Maurina: sed esse, vel Xisti, qui Cœlestino in Sede Romana successit, vel potiùs Marii Mercatoris. Cujuscumque tamen sint, dico, ibi afflatum, seu sibilum metaphoricè sumi, nempe pro suasione; quia ex suasione serpentis ortum est peccatum, & ex peccato orta est libido, seu rebellio carnis contra rationem, ait enim: *Tunc in peccante Adam, cùm serpenti, hoc est Diabolo, magis suadenti, quàm Deo præmonenti, ne faceret, sese incautus præbuisset, avertente se ab illo irato Deo, fraudifero flatu venenosa, & mortifera libido inflicta est*.

IX. Tertiò afferunt Ambrosii locum in *cap. 7. ad Romanos*, scribentis: *Quomodo habitat peccatum in carne, cùm non sit substantia, sed privatio boni?*

ni? Ecce: primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divina sententia data in Adam, cujus consortio anima maculatur. Censet igitur, peccatum originale esse morbidam, ac virulentam qualitatem.

Respondeo primò, Commentaria illa in Epist. Pauli quamvis Ambrosio tributa non esse revera Ambrosii, sed vel Hilarii Sardi Sectâ Luciferiani, vel alterius Ambrosiastri. Quicumque tamen ille sit, non favet Adversariis. Nam corpus esse corruptum per peccatum, ejusque consortio animam maculari, non probat, animam ex ejus consortio tabidam qualitatem contrahere; sed quòd anima dum conjungitur corpori corrupto, idest privato obedientiâ debitâ rationi, contrahat & ipsa privationem originalis justitiæ, & vigoris ad continendos in obedientia appetitus.

§. II.

Non in Reatu pœnæ.

X. Peccatum originale essentialiter consistere in reatu pœnæ, seu in obligatione ad pœnam docuerunt Roffensis *art. 2. contra Lutherum*. Durandus *in 2. dist. 30. q. 30.* eamque Vazquez *disp. 13. c. 3.* tribuit S. Augustino; sed immeritò, ut videbimus. Communiter tamen rejicitur. Unde

XI. Dico secundò. Essentia peccati originalis non consistit in reatu pœnæ, sive sumto pro obligatione ad pœnam, sive pro condignitate pœnæ. Probatur. Id, quod essentialiter supponit culpam, non potest esse constitutivum culpæ: sed reatus pœnæ, sive sumatur pro obligatione luendi pœnam, sive pro condignitate pœnæ, supponit culpam originalem; ergo &c. Min. prob. pro prima parte. Nemo enim obligatur ad pœnam, nisi quia admisit culpam. Et ulteriùs manere potest culpa, ablatâ obligatione ad pœnam, si Deus, ut potest, peccatori pœnam remittat. Pro secunda quoque parte probatur. Nam condignitas pœnæ est proprietas consequens culpam, sicut condignitas præmii consequitur bonitatem moralem actus meritorii. Hoc docet D. Tho. 1. 2. *qu.* 87. *a.* 1. ubi statuit, obligationem ad pœnam esse effectum peccati: quia *quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideò ab ipso ordine consequens est, quòd deprimatur, quæ quidem depressio pœna est.* Et ibidem *ad* 2. dicit, quòd *pœna non est effectus peccati directè, sed solùm dispositivè. Sed peccatum facit hominem esse reum pœnæ, quòd est malum: dicit enim Dionys. 4. de Divin. nominibus, quòd* puniri non est malum, sed fieri pœnâ dignum. *Unde reatus pœnæ directè ponitur effectus peccati.*

XII. Secundò prob. Constituere peccatum originale in solo reatu pœnæ, est nomine tenus peccatum originale fateri, sed revera illud negare, cùm negetur culpa; & facere Deum injustum, qui obliget ad pœnam eos, qui culpam non habent. Ita S. Thomas *in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. in corp.* Postquam enim retulit errorem Pelagii, & Cœlestii, qui simpliciter peccatum originale negabant, subjungit: *Alius est error eorum qui peccatum originale nomine concedentes secundùm rem negabant dicentes, in puero nato nullam culpam esse, sed solùm obligationem ad pœnam: & hoc manifestè justitiæ divinæ repugnat, ut scilicet aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non habet, cùm pœna justè nonnisi culpæ debeatur.* Vel ergo Auctores contrarii in puero, præter reatum pœnæ, admittunt culpam originalem; & sic reatus pœnæ effectus est peccati originalis, non essentia. Vel nihil aliud admittunt; & sic nomine peccatum originale fatentur; sed reverâ negant, faciuntque Deum injustum, qui obliget ad pœnam eum, qui culpam non habet.

XIII. Superest S. Augustini mentem exponere, qui pluribus in locis docet,

docet, concupiscentiam in non renatis esse originale peccatum, non ratione sui, sed ratione reatus; & idem esse tolli reatum, ac tolli peccatum originale, etsi maneat concupiscentia, quia licet maneat actu, transit reatu. Non enim sustinenda est opinio Vazquez, volentis, S. Doctorem fuisse reverà in illa sententia. *Cùm enim* (inquit) *circa essentiam peccati originalis sæpe suam ignorantiam fateatur, nihil mirum, si vir alioquin sanctissimus, & doctissimus, difficultate rei oppressus, nihil aliud invenerit, in quo essentiam peccati originalis collocaret, quàm reatum illum, & sic in re tàm difficili fuerit deceptus.*

XIV. Non inquam. Cùm enim, ut dicebamus, sententia, quæ essentiam peccati originalis in solo reatu, & obligatione ad pœnam statuit, à Pelagiana discrepet solo nomine, nefas vel suspicari, S. Doctorem, qui pro originalis peccati existentia adeò decertavit, verbis tantùm, & non reipsa, illud admiserit. Addo, quòd S. Doctor perpetuus est in hac doctrina, nimirum: si nihil culpæ esset in parvulis, injustè Deus ab eis pœnas exigeret. Sic enim increpat Julianum *l. 2. Oper. Imperf. c. 144. l. 3. c. 126. & 204.* ubi hæc habet: *Si ergo nullum esset in parvulis ex origine malum meritum, quidquid mali patiuntur, esset injustum, & ideo ista mala in Paradiso esse non possent; quia ibi nullum esset meritum malum, si felix obedientia permaneret. Ac per hoc quia hìc sunt in parvulis mala, habent etiam meritum malum, quod nisi originaliter non haberent*; ergo juxta Augustinum si non esset culpa originalis, non esset reatus pœnæ, & ideo est reatus pœnæ, quia est culpa; & proinde reatus pœnæ est effectus, non essentia culpæ.

XV. Dico ergo, quòd Augustinus si aliquando dixit, peccatum originale consistere in reatu, non dixit in reatu pœnæ, sed in reatu absolutè: vel si dixit consistere in reatu pœnæ, non accepit reatum formaliter pro obligatione ad pœnam, sed radicaliter pro malo merito primi Parentis, quod factum proprium parvulorum est radix, ac fundamentum obligationis ad pœnam. Pro quo observandum cum D. Tho. in 2. dist. 42. q. 1. a. 2. in corp. *Quòd reatus dicitur secundùm quod aliquis est reus pœnæ; & ideo propriè reatus nihil est aliud, quàm obligatio ad pœnam. Et quia hæc obligatio quodammodo est media inter culpam, & pœnam, ex eo quòd, propter culpam, ad pœnam aliquis obligatur: & ideo nomen medii transsumitur ad extrema, ut interdum ipsa culpa, vel etiam pœna reatus dicatur.*

§. III.

Neque in conversione habituali ad Creaturam.

XVI. Quibusdam recentioribus Thomistis visum est, essentiam peccati originalis constituere in conversione habituali ad creaturam, seu in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, ut ultimum finem. Hæc tamen opinio, etsi firmioribus videatur niti fundamentis, quàm præcedentes, aliis tamen S. Thomæ Discipulis placere non potest. Quare

XVII. Dico tertiò. Essentia peccati originalis in conversione habituali ad creaturam, seu ad bonum commutabile, ut ultimum finem, formaliter non consistit. Explico assertum. Non nego, in homine lapso adesse aliquam habitualem conversionem ad creaturam, dummodo non ponatur, quòd sit aliqua qualitas de novo producta, & distincta ab ipsa habituali concupiscentiâ: sed nego, eam esse formale constitutivum peccati originalis, &

XVIII. Probo sic. Nomine conversionis habitualis ad creaturam, seu bonum commutabile, vel intelligunt Authores contrarii habitualem concupiscen-

piscentiam pronam ad bonum sensibile inordinatè, & contra rationem appetendum; vel aliquam qualitatem vitiosam per generationem ex Adamo productam. Primum concedimus: sed in hoc peccatum originale formaliter non consistere, superiùs ostendimus contra Lutheranos, & Calvinistas, volentes, peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam; cum in renatis habitualis concupiscentia maneat, à quibus tamen peccatum originale sublatum est: & concupiscentiam diximus cum S. Tho. esse ad summum materiale peccati originalis, sive aliquid consecutum ex ipso.

Si verò autument, habitualem conversionem esse aliquam qualitatem à concupiscentia distinctam, assignare debent causam, ex qua in parvulo producatur. Non enim dicere possunt, eam causari physicè ex peccato Adami. Nam contra eos urgebimus omnes rationes, quibus supra §. 1. ostendimus, ex peccato Adami nullam qualitatem vitiosam in Posteris produci posse. Et insuper: si peccatum Adami esset causa physica transfusionis talis habitus, vel id haberet ex natura sua; & hoc non: quia cùm sit actus immanens, non potest naturâ suâ habere effectum extra se. Vel id haberet ex elevatione divina; & hoc minùs: aliàs transfusio originalis peccati Deo speciali Auctori tribueretur. Vel id haberet ex vi pacti, quo Deus Adamum constituit suæ posteritatis caput; sed neque hoc: Quia ex vi talis pacti actus ille non fuit immutatus physicè, sed ad summum moraliter.

XIX. Dicent fortè, Adamum per suum peccatum esse causam talis habitus saltem moralem. Sed contra. Nam cùm causa efficiens moralis per se non influat, sed moveat, & excitet alienam voluntatem ad producendum; quænam erit hæc aliena voluntas, quam ad producendum talem habitum Adam suo peccato movebit, excitabitque? Causa enim moralis semper comitem habere debet causam physicam, quam excitet ad physicè producendum effectum; ergo &c.

XX. Dicent, causam physicam esse semen, quod ex Adamo decisum est productivum naturæ, & peccati originalis consequentis ipsam; sicut est productivum privationis justitiæ originalis in nostra sententia.

Sed contra. Semen est quidem naturâ suâ instrumentum physicum serviens generationi naturæ, non verò productioni illius habitus pravi, nisi ab aliquo moveatur. Cùm ergo nihil physicum ex peccato Adami derivetur in semen, nec qualitas morbida permanens, ut ostendimus, nec motio transiens, ob rationes allatas; quomodo poterit instrumentaliter physicè habitum illum pravum, maximè in anima, producere? Neque est simile, si constituamus peccatum originale in privatione justitiæ. Nam ad hoc non requiritur aliqua virtus positiva in semine superaddita; sed sufficit in eo defectus vigoris ad communicandam justitiam originalem, quo in statu innocentiæ pollebat, ut superiùs dictum fuit.

§. IV.

Verum, ac formale Peccati Originalis constitutivum.

XXI. Dico quartò. Peccatum originale formaliter, & constitutivè est privatio justitiæ originalis quantùm ad ejus effectum primarium, qui erat subjicere perfectè mentem Deo. Hanc sententiam eligo, & quia conformiorem menti S. Thomæ, & quia cæteris præallatis probabiliorem. Noto tamen pro intelligentia, seu potiùs recolo, quæ superius dixi, nempe quòd justitia originalis homini innocenti hæc tria conferebat, subjectionem scilicet mentis, seu rationis ad Deum, virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam; quorum primum per gratiam habitualem,

lem, & caritatem præstitum, erat causa secundi, & tertii, ut docet D. Tho. 1. *p. q.* 95. *a.* 1. *in corp.* Quæ licèt homini connaturalia non essent, erant tamen divinâ largitate sic in homine disposita; ut quamdiu ratio maneret Deo subjecta, inferiora ei subderentur: & è contra si ratio esse Deo subjecta desineret, desinerent quoque inferiora esse subjecta rationi, & corpus animæ. Hæc ergo tria homo amisit peccando, & hisce tribus privatus fuit. Verùm cùm dicimus, peccatum originale esse formaliter privationem originalis justitiæ, non sumimus privationem secundùm omnes suas partes, sed secundùm primam, & potissimam: itaut privatio sanctitatis, hoc est gratiæ, & caritatis originalis homini, dùm ex Adam nascitur, inhærens, sit peccatum originale formaliter.

XXII. Colligitur ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 82. a. 3. *Est igitur* (inquit) *attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quòd voluntas hominis erat Deo subjecta. Quæ quidem subjectio primò, & principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem. Unde ex aversione voluntatis à Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut materiale.* Ex his hanc rationem conficio. Peccatum originale opposito modo constitui debet, ac justitia originalis, cui directè opponitur, & quam immediatè tollit: sed justitia originalis ex hoc primò, & per se habebatur, quòd mens, seu voluntas subdebatur Deo; ergo privatio originalis justitiæ secundùm quòd per eam voluntas subdebatur Deo, est formale, & constitutivum peccati originalis. Hoc idem docet S. Doctor in 2. *dist.* 30. *q.* 1. *a.* 3. *in corp. & ad* 4. *Qu.* 4. *de Malo a.* 2. in *cap.* 5. *ad Roman. lect.* 3. & alibi. Quæ sententia à communiori Theologorum adoptatur, Scotistis aliquibus refragantibus, quamvis Scotus non dissentire videatur *in* 2. *dist.* 32. §. *Quoad primum*.

XXIII. Probatur ergo primò. Illud in unaquaque re est ratio constitutiva, quod est primum in illa re, & à quo ut à radice, & origine cætera ad illam pertinentia emanant: sed id totum habet privatio justitiæ originalis quoad primum ejus effectum subdendi mentem Deo; ergo &c. Min. pro prima parte prob. In peccato originali, quod est defectus, illud est primum, quod tollit primum effectum justitiæ originalis: sed primus effectus justitiæ originalis erat subdere mentem Deo; ergo privatio talis subjectionis est primum in peccato originali. Ex hoc etiam probatur secunda pars. Nam sicut in justitia originali ex subjectione mentis ad Deum sequebatur subjectio virium inferiorum rationi, & corporis animæ; ita ex carentia talis subjectionis sequuntur carentia subjectionis virium inferiorum rationi, corporis animæ, & omnes pœnalitates, & vulnera naturæ. Unde D. Thomas 1. 2. qu. 85. a. 3. *Per justitiam* (inquit) *originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi Parentis... & ideo omnes animæ vires remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio naturæ dicitur.* Idipsum fusè exponit S. Doct. *Opusc.* 2. quod est compendium Theologiæ *cap.* 192. & 193. videndum à Studioso.

XXIV. Respondet Frassen, illas omnes privationes, non à privatione gratiæ, sed à reatu peccati ducere originem. Non enim Deus Adamum, ac Posteros ejus aliâ ratione gratiâ san-

sanctificante privavit, nisi quia ipse adversùs ejus mandatum rebellavit.

Sed contra. Nam ex hoc solùm sequitur, peccatum actuale Adami esse causam privationis gratiæ in se, & in Posteris, & quòd Deus illum, ac Posteros gratiâ spoliavit, quia peccavit; non tamen quòd peccatum originale habituale, quod in Adamo mansit post peccatum, & à Posteris contrahitur, sit causa ejusmodi privationis, & non ipsa privatio modo explicato. Imò sicut peccatum habituale personale nihil est aliud, quàm gratiæ privatio, ut suo loco dicitur: ita peccatum habituale originale aliud non erit, nisi privatio originalis justitiæ. Rationem autem, cur peccatum actuale non sit ipsa privatio gratiæ, benè tamen peccatum habituale, & maximè originale, dat S. Tho. q. 4. de Malo a. 2. ad 4. *Quòd privatio gratiæ non est in ipso actu, sed in subjecto, & ideò non pertinet ad peccatum actuale: sed carentia originalis justitiæ est in natura: & ideo potest pertinere ad originale peccatum, quod est peccatum naturæ.*

XXV. Probatur secundò. Privatio voluntaria debitæ subjectionis animæ ad Deum, quæ in nobis est terminus, seu effectus peccati actualis Adami, habet quidquid requiritur, ut sit in nobis peccatum habituale: non personale, quia adest in pueris ante omne personale delictum; ergo originale. Antecedens probatur. Tùm quia talis privatio est voluntaria habitualis aversio à Deo, in qua formaliter consistit peccatum. Tùm quia peccatum habituale nihil est aliud, quàm carentia voluntaria justitiæ, & debitæ subjectionis ad Deum. Porrò quòd præfata privatio sit voluntaria, patet. In primis enim est voluntaria voluntate primi Parentis: deinde est voluntaria voluntate cujusque ex Posteris; cùm ejus voluntas contineret omnium voluntates. Etenim cùm Adam ex lege, & pacto cum Deo inito justitiam originalem non sibi soli, sed etiam ut Posteris transfundendam acceperit, dum ipse voluntariè se privavit, voluntariè se se privarunt omnes, qui propterea in eo peccaverunt; & subinde privatio, quæ cum omnibus nascitur, illis est culpa, & peccatum.

XXVI. Probatur tertiò. Peccatum originale non consistit in concupiscentia formaliter, nec in aliqua positiva qualitate, nec in peccato Adæ, ut moraliter nostro, sicut superiùs probatum est; ergo superest, ut sit voluntaria habitualis privatio justitiæ originalis pro ea parte, quâ mentem Deo subdebat, unumquemque, qui ex Adamo prodit, afficiens & maculans.

XXVII. Multa in contrarium dicunt præsertim Scotistæ. Primò. Privatio originalis justitiæ formaliter peccatum non est. Nam teste S. August. l. 3. de Lib. arb. c. 19. *Peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & ab sciente committitur.* Deinde citra omnem culpam posset Deus privare hominem omni justitiâ, & perfectione, quam Deus primo homini concesserat: sic autem nullum homini esset peccatum. Tum quia si talis carentia esset in Adamo peccatum, sequeretur, Adamum duo simul peccata commisisse, unum quidem transgressionis præcepti; alterum consistens in illa privatione justitiæ.

XXVIII. Respondetur ad primum, Augustinum loqui de peccato personali, non de originali: hoc enim voluntarium quidem est, non tamen voluntate propriâ in se, sed ut contentâ in voluntate alterius. Ait enim l. 1. Retract. c. 13. *Illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.* Et lib. 4. Oper. imperf. contra Julian. c. 100. *Est* (inquit) *omninò sine voluntate peccatum, idest manet. Non enim maneret, nisi esset utique quod maneret: sed ut esset, quod maneret sine voluntate, non est factum*

sine

sine voluntate. Et *l. 6. contra Jul. c.* 10. dixerat: *Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur, sine opere liberi arbitrii, quia primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in Mundum, & in omnes homines pertransiit*.

XXIX. Ad id, quod deinde subjiciunt, nego consequ. Si enim Deus sicut hominem justitiâ originali, suâ misericordiâ, absque ullo ejus merito ornavit; ita si suo occulto judicio sine sua culpa ipsum spoliaret, talis carentia esset purè physica, nec homini voluntaria, sed ex subtractione divini auxilii inducta, neque illi esset peccatum, nec pœna. Carentia tamen justitiæ subjicientis mentem Deo homini voluntaria, & per actum Adami peccantis in tota natura inducta, quâ voluit à Deo se avertere, est carentia, non purè physica, sed moralis, & consequenter peccatum originale habituale: sicut carentia gratiæ, voluntate personæ peccantis inducta, constituit peccatum habituale personale, quamvis si Deus eum sine culpa gratiâ privaret, illi non esset peccatum.

XXX. Ad id, quod tertiò addunt, nego sequelam. In Adamo enim unum peccatum actuale fuit, quod vel superbiæ, vel inobedientiæ fuit, à quo ipse Adamus dictus est peccans, & nos, prout eramus in illo, peccavimus, juxta illud Pauli Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt*. Et hoc peccatum actuale fuit positivum, sicut cætera peccata commissionis. Porrò peccatum istud transiens actu, mansit reatu in sui termino, nempe in peccato habituali, quod denominavit Adamum peccatorem; & hoc formaliter fuit privatio justitiæ originalis quoad ejus primarium effectum subdendi mentem Deo. Quia verò peccatum originale, quod contrahimus, non se habet per modum actus, sed habitus seu termini (nec enim eo dicimur peccantes, sed peccatores) assimilandum est potiùs peccato habituali Adami consistenti in privatione, quàm actuali importanti de formali aliquid positivum.

Nec dicas, quòd si peccatum actuale Adami in aliquo positivo consistebat, in positivo etiam statui debebit peccatum habituale, aliàs transacto actu non mansisset idem peccatum secundùm speciem = Nam nego assumtum. Peccatum enim actuale, & habituale debent quidem esse ejusdem speciei in esse moris, non tamen in esse physico. Cùm enim habituale sit terminus ex actuali relictus, & ex eodem motivo, in morali æstimatione sunt ejusdem speciei, quamvis in esse physico specie differant.

XXXI. Dicunt secundò. Privatio justitiæ originalis est à Deo tanquam pœna peccati; ergo non est ipsum peccatum. Antecedens probatur. Quia Deus est, qui justitiam subtraxit Adamo, dùm peccavit: unde S. Thomas 1. 2. q. 85. a. 5. *Subtractio* (inquit) *originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ*. Et q. 5. de Malo art. 1. *Conveniens pœna peccati originalis est subtractio gratiæ, & per consequens visionis divinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur*. Et probatur ratione. Nihil enim est magis commune, quàm quòd justitia originalis ablata sit à Deo in pœnam peccati originalis. Consequentia quoque patet, quia pœna supponit culpam, cùm irrogetur subjecto illâ digno propter culpam, sicut eâdem ratione præmium supponit meritum.

XXXII. Confirmant. Esse hominem in peccato originali non solùm dicit, esse privatum donis supernaturalibus, gratiâ, caritate &c. sed ulteriùs (ut docet Tridentinum *Sess. 6. c. 1.*) factum immundum, naturâ filium iræ, servum peccati, sub potestate Diaboli, ac mortis: sed nemo dixerit, hæc non esse appendices, ac pœnas peccati originalis; ergo idem dicere debet de privatione justitiæ originalis.

XXXIII. Huic, quod est potissimum

mum contrariæ sententiæ fundamentum, non uno modo respondetur à Nostris. Primò dicunt aliqui, privationem justitiæ originalis esse quidem pœnam, seu effectum peccati actualis primi Parentis, seu peccati originantis: unde S. August. dicit lib. 1. de Nupt. & concup. c. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati:* & generaliter peccatum actuale est causa peccati habitualis: non tamen esse pœnam peccati originalis, seu originati in nobis, sed ipsum peccatum formaliter. Neque sequitur, quòd ea ratione, quâ est pœna, debeat esse à Deo, nisi ad summum permissivè; quemadmodum unum peccatum potest esse pœna alterius peccati, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 87. *a.* 2. quin peccatum, quod est pœna, fit à Deo. Et ratio est: quia, ut ibidem docet S. Præceptor, unum peccatum non est pœna alterius, nisi per accidens, ratione subtractionis gratiæ, quæ cùm sit quædam pœna, & à Deo, fit, ut etiam peccatum, quod ex ea sequitur, pœna dicatur. Videatur S. Thomas laudato loco, & insuper *in 2. dist. 46. q. 1. a. 2. ad* 4. & *in c. 1. ad Roman. lect.* 7.

XXXIV. Hinc secundò respondent alii, per privationem justitiæ originalis intelligi posse, vel ejus remotionem, seu subtractionem; vel ejus carentiam, seu defectum. Vel aliis terminis privationem sumi posse, vel activè, vel passivè. Priori modo consideratur ex parte Dei, qui propter indignitatem hominis peccantis justè illi subtrahit justitiam. Posteriori modo consideratur ex parte subjecti, quod voluntariè caret ea perfectione, quam deberet habere. Juxta priorem modum ipsa est à Deo tanquam pœna, & effectus peccati, & in hoc sensu eam sumit D. Thom. ab arguente citatus: & propterea dicit *subtractio gratiæ*, non *carentia*, seu *defectus*. Juxta posteriorem non est à Deo, neque est pœna, neque effectus peccati, sed est ipsum peccatum originale pro formali.

XXXV. Alio modo respondet D.Th. *q.* 4. *de Malo a.* 2. in fine his verbis: *Ad id verò*, quod *quærebatur*, *utrum* (carentia originalis justitiæ) *sit pœna tantùm*, *vel pœna*, *& culpa*, *dicendum.... quòd si comparetur ad istum hominem*, *prout est persona quadam*, *non habito respectu ad naturam*, *sic est pœna. Si autem comparatur ad principium*, *in quo omnes peccaverunt*, *sic est culpa.* Quibus statuit D. Thomas peccatum originale esse pœnam particularis personæ, culpam verò naturæ, quæ in primo homine peccante tota peccavit. Omnes igitur præfatæ responsiones in hoc unum collimant, quòd peccatum originale dici possit culpa, & pœna non secundùm eandem, sed secundùm diversam rationem.

XXXVI. Ad id, quod ratiocinantur, dico, verum esse, quòd pœna, ut pœna, præsupponit culpam saltem prioritate intelligentiæ. Et sic etiam privatio physica justitiæ originalis, quæ est pœna peccati, præsupponit eandem privationem ut voluntariam, sub qua formalitate habet rationem culpæ: priùs enim, nostro modo intelligendi, voluntate nostri capitis voluimus justitiâ originali privari, quàm illâ à Deo justè privaremur: ideo namque nobis nascentibus subtrahit auxilium justitiæ originalis productivum, quia voluntate primi Parentis voluimus justitiâ originali privari. Quod, ut benè percipiatur, primò concipiendus est homo, seu puer, sub debito habendi gratiam ex pacto inter Deum, & Adamum inito.

Secundò. Idem ut in Adamo peccans contrahens voluntariam privationem talis gratiæ, seu aversionem à Deo ultimo fine, in quo peccatum originale statuimus. Tertiò. Idem ratione talis aversionis tùm Adami, tùm suæ factus indignus, ut Deus illi gratiam originalem conferat. Quartò. Deum ratione talis indignitatis denegare suum concursum justitiæ collativum.

XXXVII. Ad confirm. quæ oritur ex

ex non intelligentia nostræ sententiæ, dico, peccatum originale non eodem modo dicere privationem gratiæ originalis quoad subjectionem animæ ad Deum, ac quoad cætera, quæ ad illam secuta sunt. Nam primum, nempè voluntariam aversionem mentis à Deo, dicit primò, & per se tanquam formale peccati constitutivum, cætera verò de materiali, & consecutivè. Et ideò hæc tantùm pœna peccati sunt; illud verò, licèt sub aliqua consideratione dici possit pœna, tamen per se est originalis culpa, ut dictum est.

Sed dices contra præfata. Si Princeps aliquis ita cum viro nobili statueret, ut si fidelis in obsequio persisteret, feudum pro se, & pro Posteris acciperet, ipso jure privandus, tum ipse, tum Posteri, si infidelis evaderet; nullus dixerit, quòd si nobilis ille perduellis evaderet, privatio illa feudi pro se, & Posteris non esset pœna; ergo à simili.

Respondeo, disparem esse rationem. Nam in humanis ab uno ad alium transire potest pœna, sed non culpa, nisi per externam imputationem, sicut nec meritum. At in casu nostro, non solùm ex Adamo transit in Posteros pœna, sed culpa, quæ unicuique est propria; unde eo peccante omnes peccaverunt: quare privatio justitiæ, ut cuilibet voluntaria, non est pœna, sed culpa.

XXXVIII. Dicunt tertiò. Etsi Adam ornatus non fuisset justitiâ originali in Posteros transfundendâ, & peccasset, filii ejus peccatum originale contraherent: sed tunc peccatum originale non consisteret in privatione originalis justitiæ; ergo nec modò. Maj. patet. Quia tunc potuisset Deus Adamum constituere Caput morale nostrum, & ad observantiam alicujus præcepti obligare. Min. non minus aperta est. Tunc enim carentia originalis justitiæ non esset privatio, sed pura negatio.

XXXIX. Respondeo, neg. min. In illa quippe hypothesi, quòd Adam conditus in puris naturalibus, sine justitia supernaturali constitueretur Caput morale hominum, & peccaret; peccatum, quod filii ejus contraherent, non foret quidem privatio justitiæ, seu gratiæ supernaturalis, foret tamen privatio justitiæ, seu rectitudinis naturalis. Ita simili instantiæ respondet S. Thomas *q. 4. de Malo a. 2. ad 1.* quòd negabat carentiam originalis justitiæ esse formale in peccato originali. *Nec credo* (inquit) *verum esse, quòd homo sit creatus in naturalibus puris. Si tamen non includit gratiam gratum facientem, non tamen propter hoc excluditur, quin carentia originalis justitiæ habeat rationem culpæ; quia ex hoc ipso, quòd aliquis peccat contra dictamen rationis naturalis, incurrit culpam: rectitudo enim gratiæ non est sine rectitudine naturæ.*

XL. Dicunt quartò. Si peccatum originale consisteret in privatione justitiæ originalis, sequeretur, eam reddi in Baptismo, cum per Baptismum peccatum originale tollatur: ac præterea eos, qui post Baptismum peccant mortaliter, relabi in peccatum originale, cùm tunc eis insit privatio justitiæ, tùm originalis, tùm etiam cujuscumque.

XLI. Respondeo, negando sequelam. Non enim per Baptismum redditur justitia originalis quoad omnes suos effectus, tam scilicet quoad subjectionem animæ, seu rationis ad Deum, quàm quoad subjectionem corporis ad animam, & subjectionem virium inferiorum ad rationem; quia privatio justitiæ originalis, in qua culpam originalem collocamus, non dicit per se primò ista omnia, sed solùm privationem debitæ subjectionis animæ, & rationis ad Deum, quæ in justitia originali erat primum, & principale. Cùm ergo, quantùm ad hoc, deleatur per Baptismum talis privatio, & per gratiam, & caritatem anima fiat Deo conjuncta, & subjecta, tollitur per illum culpa originalis quoad formale, estò maneat quoad

Oo 2 ma-

materiale. Et restituitur justitia originalis, & innocentia, non quatenùs erat in primo Parente ante peccatum, nempe tàm in ratione, quàm in viribus inferioribus, & in corpore, sed solùm quantùm ad primariam, & principalem partem, quæ erat subjicere animam Deo. Alias enim duas partes præstabat justitia, dum non supponebat peccatum: sed justitia, quæ ex peccatore facit justum, præstare non potest. Quod propterea non tollit, quin renati per Baptismum verè sint justi, & innocentes, ac induti stolâ primâ, quia Deo reconciliati. Et licèt in eis maneat fomes, & concupiscentia, manet in eis ad agonem, ut docet Tridentinum *Sess.* 5. *Can.* 5. Hæc quoque est Doctrina Divi Thomæ *q.* 4. *de Malo a.* 2. *ad* 2. dum ait: *Justitia originalis restituitur in Baptismo quantùm ad hoc, quòd superior pars animæ conjungitur Deo, per cujus privationem inerat reatus culpæ, sed non quantùm ad hoc, quòd rationi subjiciantur inferiores vires.*

XLII. Minus quoque sequitur, quòd qui post Baptismum peccant mortaliter, relabantur in peccatum originale: quia formale peccati originalis, non est privatio justitiæ originalis qualitercumque spectata, sed considerata cum ordine ad primum primi Parentis peccatum, atque adeo, ut per originem, & propagationem ab eo accepta. Privatio autem justitiæ, vel gratiæ, quæ inest peccantibus post Baptismum, non dicit ordinem ad peccatum primi Parentis, neque est accepta per originem, & propagationem ab illo, sed ex propria eorum voluntate, & actione. Peccata enim redire non dicuntur, nisi redeat, & reiteretur causa; causa autem, per quam macula originalis peccati erat in anima, est peccatum primi Parentis, & naturæ seminaliter ex illo propagatio, quæ non iterantur; ergo non redit peccatum originale: sicut si post remissum peccatum, puta luxuriæ, aliquis peccet peccato homicidii, peccatum luxuriæ redire non dicitur

XLIII. Dicunt quintò. S. Thomas *q.* 82. 1. 2. *art.* 2. *in corpore* docet sic: *Causa autem hujus corruptæ dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est una tantùm, scilicet privatio originalis justitiæ*; ergo non potest esse ipsum peccatum originale, aliàs idem esset causa sui ipsius.

Et confirmant. Nam in Adam, & Heva fuit privatio justitiæ originalis; neque tamen fuit in illis peccatum originale.

XLIV. Respondetur dupliciter. Primò. S. Thomam loqui de causa, seu quasi causa formali; nihil autem vetare, talem causam esse realiter idem cum suo effectu formali: sicut animal rationale est causa quasi formalis hominis, & tamen idem est, ac homo. Ita respondent Cajetanus, & Bellarminus. Sed quia D. Tho. ibi dicit, quòd privatio justitiæ originalis est causa originalis peccati, sicut superabundantia calidi, vel frigidi, vel læsio hepatis, aut pulmonis sunt causa diversarum ægritudinum in corpore; ubi certè non loquitur de causa formali, sed effectiva, cùm nec superabundantia calidi, aut frigidi sit ipsa ægritudo, sed causa ægritudinis,

XLV. Respondeo igitur propiùs menti S. Doctoris, eum non dicere, quòd privatio justitiæ originalis sit causa ejus, quod est peccatum originale; sed quòd sit causa illius corruptæ, seu inordinatæ dispositionis, nempe in viribus inferioribus animæ, quę nuncupatur peccatum originale, quia in peccato originali est quasi materiale. Est autem causa ejus, sicut removens prohibens; quia formaliter removet justitiam, quæ omnem inordinationem virium animæ prohibebat, & ex cujus sublatione illa inordinatio statim est secuta.

XLVI. Ad confirm. nego consequ. Quia in Adam, & Heva non fuit privatio justitiæ originalis per originem, seu propagationem contracta, sed per actum propriæ voluntatis inducta; in illa

illa autem, non in ista consistit formaliter peccatum originale. Et propterea, quamvis privatio justitiæ originalis non sit effectus nostri peccati originalis; potest tamen dici effectus peccati actualis, quo Adam fuit legem Dei prævaricatus, atque ita se, suamque posteritatem justitiâ, quam habebat, spoliavit.

XLVII. Dicunt sextò. Peccatum originale non solùm dicit aversionem à Deo, ut ultimo fine, sed etiam conversionem ad bonum commutabile. Tùm quia non potest dari recessus à termino à quo sine accessu ad terminum ad quem. Tùm quia parvulus in peccato originali existens habet aliquem ultimum finem: sed non Deum, à quo est aversus; ergo creaturam, ad quam habitualiter est conversus. Atqui talis conversio est aliquid positivum; ergo &c. Unde D. Tho. 1. 2. *q.* 82. *art.* 1. dicit, quòd peccatum originale est *Habitus*, sicut *agritudo*: & *ad* 1. quòd *non est privatio pura*, *sed est quidam habitus corruptus*.

XLVIII. Respondetur, dist. ma. peccatum originale adæquatè sumtum, co. ma. constitutivè acceptum, nego ma. Fateor, peccatum originale adæquatè sumtum, tàm pro eo, quod de formali dicit, quàm de materiali, importare tàm aversionem à Deo, ut ultimo fine, quàm conversionem habitualem ad creaturam, ut finem ultimum: at constitutivè sumtum, pro eo scilicet, quod de formali suo constitutivo importat, solam dicit privationem originalis justitiæ; conversio autem ad bonum commutabile venit solùm de materiali, & consequenter, ut de concupiscentia superiùs dictum est. Nisi dicamus, ipsam aversionem habitualem à Deo virtualiter, & interpretativè esse conversionem ad creaturam; quæ licèt nomine positivo exprimatur, tamen formaliter idem est, ac privatio ordinis ad Deum, seu aversio à Deo. Ex quo enim aliquis est aversus à Deo, dat fundamentum concipiendi eum conversum ad creaturam. Ad primam, prob. ma. dico, quòd estò nequeat dari recessus à termino à quo positivus, sine accessu formali ad terminum ad quem; potest tamen sine tali accessu formali dari recessus privativus cum solo accessu interpretativo: cùm ergo aversio, seu recessus à Deo per peccatum originale sit tantùm privativus, nempe privatio debitæ subjectionis Deo, ut ultimo fini, non affert formalem accessum ad aliquem terminum. Unde cùm in Angelo recessus à loco fit per negationem operationis, non arguitur ex recessu ab uno loco accessus formalis ad alium. Hinc ad secundam probat. dico, parvulum existentem in peccato originali nullum habere finem ultimum moralem, ad quem se convertat, nisi virtualiter, & interpretativè.

Ad id, quod affertur ex S. Thoma, dico, eum vel non loqui de peccato originali constitutivè, & pro formali; sic enim dicit ibi *a.* 3. quòd formaliter est defectus originalis justitiæ, sed adæquatè, nempe etiam pro materiali: sic enim includit habitualem ægritudinem in partibus inferioribus animæ. Vel esse merè habitum lato modo pro quacumque permanente prava dispositione. Vel in sensu causali, quatenus sicut sublatâ sanitate sequitur ægritudo, & languor in membris, ita sublatâ justitiâ originali, sequitur ægritudo, & languor in viribus animæ.

QUÆSTIO IX.

De Subjecto Peccati Originalis.

DE subjecto peccati originalis agimus breviter cum D. Tho. 1. 2. *q.* 83. nec tamen de subjecto remoto, seu de illis, qui subjiciantur peccato originali (hos enim esse homines ex Adamo progenitos superiùs ostensum est Q. 7.) sed de subjecto proximo; in qua nempe hominis parte, & facultate peccatum originale pro formali resideat.

DU-

DUBIUM I.

An Peccatum Originale magis sit in carne, quàm in anima?

§. I.

Resolutio negativa.

I. SUppono cum D. Thom. laudato loco *a.* 1. quòd aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo sicut in causa, vel principali, vel instrumentali: alio modo sicut in subjecto. Certum est ergo primò, peccatum originale omnium hominum fuisse in Adamo, sicut in prima, & principali causa, morali tamen, modo superiùs explicato Q. 7. *Dub.* 2. §. 3. Ille enim, ejusque primum peccatum est prima causa peccati nostri originalis; ita ut Apostolo teste *Rom.* 5. in eo peccaverimus omnes.

II. Certum secundò est, peccatum originale esse in semine corporali sicut in causa instrumentali, morali tamen, non physicâ, ut explicavimus dictâ Q. 7. *Dubio &* §. citatis. Natura enim humana est in hujusmodi semine sicut in causa instrumentali, cùm per virtutem activam istius seminis traducatur; ergo cum vi illius traducatur infecta originali, quo ideò inficitur, quia seminaliter ex Adamo derivatum, non alia causa instrumentalis peccati originalis quærenda est, quàm semen cùm eâ infectione morali ab Adamo descendens. Videantur dicta superiùs citatis locis. His suppositis, de subjecto agendum est.

III. Dico. Peccatum originale nullo modo potest esse in carne, ut in subjecto, sed solùm in anima. Probatur primò. In eo solùm potest esse peccatum originale, sicut in subjecto, quod est capax culpæ: sed sola anima, non caro, est capax culpæ; ergo sola anima &c.

Explicatur ex doctrina D. Thom. *a.* 1. citatâ. Peccatum originale traducitur per quandam generativam motionem in Posteros, sicut peccatum actuale voluntariâ motione à voluntate unius hominis derivatur ad alias partes ejus: sed peccatum actuale in ea solùm parte, ad quam derivatur, habet rationem culpæ, quæ nata est moveri à voluntate, estque propterea capax culpæ sive ut subjectum, sive ut instrumentum: unde peccatum gulæ, quod est in voluntate ut in subjecto, ex voluntate pervenit ad concupiscibilem, & sumtio Cibi ad manus, & os, quæ inquantùm moventur à voluntate ad peccandum, sunt instrumenta peccati: quod verò ulteriùs derivatur ad vim nutritivam, & alia interiora membra, quæ non sunt nata moveri à voluntate, non habet rationem culpæ; ergo cùm caro de se non habeat, quòd sit subjectum culpæ, sed sola anima, *quidquid pervenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ.* Ita D. Thom.

IV. Probatur secundò. Peccatum originale, cùm ex dictis formaliter sit privatio, in eo ut in subjecto est, quod est subjectum formæ, quâ privat: sed anima est subjectum justitiæ originalis quâ privat, seu cujus peccatum originale est privatio, caro autem talis formæ capax non est; ergo &c. Min. patet. Quia forma, cujus peccatum originale est privatio, est justitia originalis, secundùm eam partem, quâ anima, ejusque potentiæ subdebantur Deo.

§. II.

Solvuntur quæ obstant.

V. OBstare videtur primò Paulus, qui *Rom.* 7. *v.* 23. ait: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: sed lex peccati repugnans legi mentis est peccatum originale,

nale; ergo si hæc est in membris, peccatum originale est in membris.

VI. Respondetur, neg. min. Lex enim illa peccati, quæ est in membris, non est ipsum peccatum originale, sed concupiscentia spiritui repugnans, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Ut enim ex August. *l.* 83. *quæst. q.* 66. ait D. Thom. 1. 2. q. 83. hoc a. 1. ad 1. *Apostolus loquitur de homine jam redemto, qui liberatus est à culpa, sed subjacet pœnæ, ratione cujus peccatum dicitur habitare in carne. Unde ex hoc non sequitur, quòd caro sit subjectum culpæ, sed solùm pœnæ.*

VII. Obstat secundò. Quia unumquodque perfectius est in causa, quàm in effectu, sicut calor magis est in igne calefaciente, quàm in aqua calefacta: sed anima inficitur peccato originali per semen carnale; ergo magis est in semine carnali, quàm in Anima.

VIII. Respondeo ex D. Thoma citato *ad* 1. axioma illud verum esse de causa principali, non de instrumentali, qualis est semen. *Peccatum* (inquit) *originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali. Non autem oportet, quod aliquid sit principalius in causa instrumentali, quàm in effectu, sed solùm in causa principali. Et hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit secundùm rationem actualis peccati.* Addo, quòd sicut per semen traducitur originale peccatum in animam; ita & magis per illud traducitur natura humana. Quis autem dicet, hanc perfectiùs inveniri in semine, quàm in homine genito?

IX. Obstat tertiò. Peccatum originale contrahimus secundùm quòd fuimus in Adamo: sed in eo fuimus secundùm carnem, non secundùm animam, quæ à Deo creatur, ergo &c.

X. Respondet idem S. Thom. laudatus ad 3. *Quòd anima hujus hominis non fuit secundùm seminalem rationem in Adam peccante, sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo; eo quòd semen corporale, quod ex Adam traducitur, suâ virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.*

XI. Obstat quartò. Anima rationalis creata à Deo corpori infunditur; ergo si anima per peccatum originale inficeretur, ex sua creatione, vel infusione inquinaretur; ergo Deus, qui est causa creationis, & infusionis, esset causa peccati.

XII. Respondetur, negando utramque consequentiam cum S. Thom. citato ad 4. *Cum enim creatio importet respectum animæ ad solum Deum, non potest dici, quòd anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat respectum, & ad Deum infundentem, & ad carnem, cui infunditur anima. Et ideo habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici, quòd anima per infusionem maculetur, sed solùm habito respectu ad corpus, cui infunditur.*

Similia respondet S. Doct. *in* 2. *dist.* 32. *q.* 2. *art.* 1. ubi rem hanc pertractat *ad* 1. quòd *cum dicitur, anima infusione maculatur; si ablativus concomitantiam designat, absolutè vera est. Si autem denotet habitudinem causæ, duplex est: quia vel intelligitur infusio esse causa maculæ ex parte principii à quo, & sic falsa est: vel ex parte termini ad quem, & sic vera est.*

XIII. Sed replicabis. Anima vel creatur à Deo bona, vel mala. Si mala; ergo Deus est causa malitiæ. Si bona, cur Deus illam infundit corpori vitiato? *Nullus* enim *Sapiens liquorem pretiosum vasi infecto infunderet, ex quo sciret ipsum liquorem infici*, maximè verò Deus. Infundit autem: non ergo inquinatur ex carne; ergo peccatum originale non est in anima, sed in carne.

XIV. Respondeo, animam creari bonam quantùm ad bonitatem naturalem, sed quantùm ad bonitatem moris Deus nec eam facit bonam, nec malam. Non bonam: quia cùm in illo primo instanti creationis infusa corpori contrahat peccatum, simul esset bona,

bona, & mala. Non malam: quia Deus non potest esse causa mali. Et quamvis ab instanti suæ creationis mala sit; hoc tamen non habet à Deo creante, sed à carne inficiente.

Illud verò axioma, quod affertur, locum quidem habet in agente particulari, quod cum respiciat bonum particulare, tenetur impedire ab eo defectus quantùm potest: non tamen agens, & Provisor universalis, qualis est Deus, qui cùm spectet ordinem universalem rerum, non tenetur impedire, imò sapientissimè non impedit defectum in aliquo particulari, quando hìc defectus ad ordinem universalem consequendum necessarius est. Cùm ergo ad ordinem universalem spectet propagatio naturæ humanæ, quæ aliâ viâ, nisi propagationis unius ex alio naturaliter conservari nequit; & hæc, attento præsenti rerum ordine, non aliunde quàm ex semine Adam queat propagari, itaut anima in alio corpore, quam ex Adam infecto nequeat infundi: inde est, quòd ad evitandam hujusmodi infectionem Deus, ut universalis Provisor, hunc ordinem prætermittere non debet. Ita ex D. Thom. 1. 2. loco sæpè laudato *ad* 5. Imò *in* 2. *dist.* 32. *qu.* 2. *a.* 2. *ad* 1. ait: *Quòd sicut non esset sapiens, qui thesaurum in loco mundo conservabilem, in immundo reponeret: ita esset valdè insipiens, qui thesaurum non aliter conservabilem, non etiam in immundo loco collocaret, & præcipuè, si emendandi thesaurum possibilitas remaneret.*

Neque dicatur, quòd melius esset animæ rationali non creari, & non esse, quàm hoc modo esse, nempe infectam peccato; quia malum culpæ gravius est malo pœnæ, quale est non esse.

Nam respondeo, majorem fortè veram esse, si à tali culpa liberari non posset, ut in damnatis contingit. Porrò cùm anima, dum est in hac vita, habeat facile remedium, quo & culpæ remissionem obtineat, & damnationem evadat, melius est illi sic esse, quàm non esse: imò iis etiam, qui sine Baptismo decedentes perpetuò æternâ beatitudine privarentur, quoniam eis quidem erit pœna, sed mitissima, nempe privatio boni eis indebiti.

XV. At dices. Si Deus poneret aliquem in Inferno sine sua culpa, non esset conveniens justitiæ ejus, & sapientiæ: sed ex hoc, quòd anima in infusione maculatur, reatum pœnæ infernalis incurrit; ergo &c.

Respondet S. Thom. in 2. dist. 32. q. 2. art. 2. ad 2. *Quòd pœna inferni est duplex. Quædam est, quæ pro peccato actuali debetur, & ista est corruptio alicujus boni, quod etiam ex naturalibus principiis naturam humanam consequitur: unde injustum esset, quòd aliquit talem pœnam subiret, nisi per hoc, quòd propriâ culpâ illam incurrisset. Quædam verò pœna est originali debita, quæ nihil subtrabit eorum, quæ natura ex principiis suis debentur, sed aliquid humanam facultatem excedens tollit; ad quod tamen ordinata erat per aliquid naturæ gratis collatum: unde nulla injuria isti homini fit, si sibi non datur, quod natura sua non debetur, secundùm quòd eam accepit.*

XVI. Noto demum, quòd etsi absolutè melius sit non esse, quàm malum culpæ admittere; non tamen sequitur, quod postquam aliquis jam est obnoxius peccato, melius sit ei non esse, quàm sic esse. Cùm ergo humana natura in Adamo facta sit peccato obnoxia, melius illi non est absolutè non esse, quàm esse, licèt cum peccato.

DU-

DUBIUM II.

An Peccatum Originale per priùs sit in essentia Animæ, quàm in Potentiis?

§. I.

Sententia D. Thomæ.

I. DIco. Peccatum originale secundùm essentiam per priùs est in essentia animæ, quàm in voluntate, aut ejusdem aliis animæ potentiis. Seu anima secundùm suam essentiam est primum, sive immediatum subjectum peccati originalis. Ita D. Thom. tùm 1. 2. *q.* 83. *a.* 2. tùm in 2. *dist.* 31. *q.* 2. *a.* 1. tùm *q.* 4. *de Malo a.* 4. cujus rationibus probatur. Prima, quâ utitur citato loco ex 1. 2. talis est. Cùm peccatum originale traducatur per motionem generativam, illud est prius, & immediatius subjectum illius, quòd priùs motione generativa attingitur ut terminus: sed quòd priùs motione generativa hominis attingitur ut terminus, est essentia animæ: ad eam enim, non quidem producendam, sed corpori uniendam omnes parantur virtutis generativæ conatus, & dispositiones; ergo ad ipsam, dùm corpori unitur, primò pervenit originale peccatum, quàm ad ejus potentias. Maj. probatur. Illud enim animæ est subjectum proximius peccati, ad quòd primò pertinet, & tendit causa motiva illius peccati: sicut si causa motiva ad peccandum sit delectatio sensus, quæ pertinet ad vim concupiscibilem, sequitur, quòd proximius illius peccati subjectum sit vis concupiscibilis.

II. Huic proxima est alia ratio, quam tangit *q.* 4. *de Malo a.* 4. laudato. Peccatum originale est peccatum naturæ; ergo priùs inficit id, à quo incipit naturæ processus: sed hic est ab essentia animæ ad potentias, quæ ab ipsa derivantur; ergo ab ipsa quoque derivatur naturæ vitium; & ideo sunt peccato infectæ, quia sunt potentiæ consequentes animam infectam.

III. Probari potest tertiò. Idem est subjectum immediatum peccati originalis, quòd erat immediatum subjectum justitiæ originalis, cujus est privatio, cùm idem sit subjectum privationis, puta cæcitatis, & formæ, nempè visus: sed immediatum subjectum justitiæ originalis erat ipsa animæ essentia, ut superiùs ostensum est: eo vel maximè, quòd justitia originalis essentialiter, & in recto importabat gratiam sanctificantem, quæ in essentia animæ immediatè recipitur. Hanc rationem indicat S. Tho. 1. 2. *q.* 83. *a.* 2. *ad* 2. dicens: *Etiam originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ: erat enim donum datum divinitùs humanæ naturæ, quam per priùs respicit essentia animæ, quàm potentiæ.*

§. II.

Rationes Scoti.

IV. SCotus cum sua Schola sentiens oppositum arguit sic primò. Anima secùndùm se non est susceptiva culpæ, sed solùm mediâ voluntate; ergo culpa originalis priùs, & immediatiùs recipitur in voluntate, quàm in essentia animæ.

V. Si respondeatur, antecedens verum esse de culpa actuali, non verò de culpa habituali, sive originali, sive personali. Quòd autem anima non possit esse immediatum subjectum culpæ actualis, non provenit, quia culpa est, sed quia est operatio, cujus non est immediatum subjectum anima, sed potentiæ ejus.

VI. Dices. Quodcumque peccatum, sive actuale, sive habituale debet esse voluntarium, & dicere difformitatem à lege, cujus est transgressio: sed hoc animæ convenire non potest, nisi mediâ voluntate, nimirùm, quia non vult subesse legi; ergo &c.

VII. Respondetur, dist. min. vel per modum actus, vel per modum termini, co. ma. precisè per modum actus, nego ma. Et idem dico de difformitate à lege per modum habitus ex actu relicti. Ex quo ergo peccatum etiam habituale sit voluntarium, & à lege difforme, solùm sequitur, quòd sit terminus relictus ex actu pravo voluntatis, & quòd voluntatem respiciat tanquam causam, non verò tanquam subjectum. Ut enim docet D. Tho. in 2. dist. 31. q. 2. a. 1. ad 4. *Peccatum omne in voluntate est, sicut in causa; non tamen semper est in ea sicut in subjecto, cùm etiam concupiscibilis, & irascibilis subjectum peccati esse possit. Et hoc modo etiam originale in voluntate est, sicut in causa, quia voluntate primi Parentis in omnes transivit.*

VIII. Secundò arguit. Peccatum originale est idem cum peccato primi Parentis; hoc enim est, quod ad Posteros derivatur: sed peccatum primi Parentis proximè fuit in ejus voluntate; ergo peccatum originale similiter est in voluntate parvulorum.

IX. Respondetur, dist. ma. idem specie, sicut effectus cum causa, co. ma. idem numero, nego ma. & consequ. Quia enim in primo Parente fuit peccatum actuale, ideò per priùs subjectabatur in voluntate, à qua immediatè procedebat, & deinde in essentia animæ. Originale verò non procedit à voluntate propriâ ejus, qui illud contrahit, sed per generationem derivatur: & propterea non debet esse priùs in ejus voluntate, sed potiùs in essentia animæ, quæ est terminus generationis. Hinc D. Tho. q. 4. de Malo a. 4. ad 5. *In Adam* (inquit) *persona corrupit naturam: & ideò in eo primò fuit corruptio in potentiis animæ, quàm in essentia. Sed in homine, qui nascitur ex Adam, natura corrumpit personam: & ideo in isto per priùs corruptio pertinet ad essentiam, quàm ad potentias.* Pulchra sanè doctrina.

X. Tertiò argui potest. Sicut à carne peccatum originale derivatur ad animam, ita ab essentia animæ derivatur ad potentias: sed peccatum originale magis est in anima, quàm in carne; ergo etiam magis est in potentiis, quàm in essentia animæ.

XI. Confirmatur. Anima nata est esse subjectum peccati quantùm ad id, quòd potest à voluntate moveri: sed anima non movetur à voluntate secundùm suam essentiam, sed solùm secundùm potentias; ergo peccatum originale non est in anima secundum suam essentiam, sed solùm secundùm potentias.

XII. Respondetur, non eodem modo à carne derivari peccatum originale ad animam, ac ab anima ad potentias. Primò. Quia essentia animæ secundùm se est capax peccati originalis, non autem caro. Secundò. Quia caro est causa solùm instrumentalis traductionis peccati, anima verò est causa principalis traductionis peccati ad potentias. Tertiò. Quia, ut docet D. Tho. q. 4. de Malo a. 4. in corp. *Non eodem modo comparatur essentia animæ ad potentias, sicut comparatur corpus ad animam. Nam corpus comparatur ad animam ut materia ad formam; materia autem præcedit formam in via generationis, & temporis: sed forma præcedit materiam in via perfectionis, & naturæ. Essentia autem animæ comparatur ad potentias, sicut forma substantialis ad proprietates naturales consequentes... Unde omnibus modis peccatum originale per priùs est in essentia animæ, quàm in potentiis, & ab essentia animæ derivatur ad potentias, sicut & naturæ processus est ab essentia animæ ad potentias. Peccatum autem originale respicit naturam.*

XIII. Ad confirm. respondeo, majorem veram esse de peccato actuali proveniente ex voluntate propriâ, non verò de peccato originali, ad quod anima movetur à voluntate primi Parentis. Imò ut ait D. Tho. 1. 2. q. 83. a. 2. ad 1. *Sicut motio voluntatis alicujus propriè pervenit ad potentias*

tias animæ, non autem ad animæ essentiam: ita motio voluntatis primi generantis per viam generationis pervenit primò ad animæ essentiam.

Nec dicas, hinc sequi, peccatum originale potiùs subjectari in toto homine, cùm hic sit terminus totalis generationis. = Nego enim sequelam. Nam licèt homo sit ultimus terminus generationis, proximus tamen terminus est anima, prout unitur corpori tanquam ejus forma.

DUBIUM III.

Quas Potentias per priùs, & magis inficiat Peccatum Originale.

§. I.

Resolvitur de Voluntate.

I. Quamvis cum D. Thoma Dubio præcedenti statutum fuerit, peccatum originale essentialiter, & per se primò, quatenus dicit privationem subjectionis animæ ad Deum, quæ est per gratiam habitualem subjectari in anima; quia tamen, ultra dictam privationem, dicit quoque privationem subjectionis voluntatis ad Deum, quæ est per caritatem, secundùm hanc privationem, quæ veluti consequitur ad primam, non est improbabile dicere, quòd subjectetur in voluntate. Hinc aliqui docent, peccatum originale rectè dici posse esse etiam in voluntate, secundariò tamen, & ex consequenti: quia eo ipso, quòd anima privatur gratiâ, consequitur, quòd voluntas privatur caritate. Sed quidquid sit

II. Dico. Peccatum originale quantùm ad inclinationem ad actum pravum priùs respicit, ac inficit voluntatem, quàm alias potentias. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 83. *a.* 3. cujus hæc est ratio. Illa potentia priùs inficitur, quæ priùs habet inclinationem ad peccandum: sed hanc inclinationem priùs habet voluntas, quàm cæteræ potentiæ; ergo &c. Et hâc ratione S. Doctor *q.* 4. *de Malo a.* 5. probat, peccatum originale priùs residere in voluntate, eamque inficere, quàm alias potentias; quia aliæ potentiæ habent ex voluntate, quòd sint susceptivæ culpæ.

III. Dices primò. Omne peccatum principaliter pertinet ad potentiam, per cujus actum causatur: sed peccatum originale causatur per actum potentiæ generativæ; ergo in ea priùs ponendum est.

IV. Respondetur primò, majorem illam debere intelligi de potentia, quæ sic est capax peccati, ut sit etiam ejus subjectum, & per cujus actum causatur peccatum non merè instrumentaliter, sed principaliter. Nam homicidium estò causetur per manum, non priùs pertinet ad manum, nec ei tribuitur; quia nec manus est capax, ut sit subjectum peccati, neque est causa principalis ejus, sed instrumentalis. Hinc ad min. dico, potentiam generativam esse causam solùm instrumentariam, neque esse capacem, ut sit subjectum peccati. Unde observo cum D. Thom. q. 4. de Malo a. 5. ad 1. *Quòd infectio peccati dicitur esse in aliquo, vel actu, sicut in proprio subjecto, vel virtute, sicut in causa. Causa autem originalis peccati est actus generationis, qui quidem ad virtutem generativam pertinet, sicut ad exequentem; & ad concupiscibilem, sicut ad appetentem, ac imperantem; ad sensum autem tactus, sicut ad sentientem delectationem, & nunciantem. Unde infectio originalis peccati dicitur esse per priùs in istis potentiis virtute, sicut in causa, non autem sicut in proprio subjecto.*

V. Respondetur secundò cum eodem D. Thom. 1. 2. *q.* 83. *a.* 3. *ad* 2. Peccatum originale non traduci per potentiam generativam ejus, qui peccatum contrahit, sed per actum potentiæ generativæ parentis. Et propterea ex his sequi non potest, quòd potentia generativa prolis sit subjectum

ctum peccati originalis, sed benè, quòd illud peccatum sit in potentia generativa parentis causaliter.

VI. Dices secundò. Peccatum originale traducitur per semen carnale; ergo priùs illo inficiuntur potentiæ, quæ sunt viciniores carni, quales sunt vires sensitivæ.

VII. Confirmatur. Peccatum originale maximè, & priùs apparet in rebellione ad rationem: sed hæc est in inferioribus viribus; ergo priùs inficiuntur inferiores vires.

VIII. Respondeo, neg. conseq. Nam peccatum originale viâ generationis priùs pervenit ad animam, quæ est terminus formalis, & proximus generationis; deinde ex anima transit ad inficiendas potentias animæ propinquiores: cumque animæ propinquior sit voluntas, quàm vires sensitivæ, ideò illa priùs inficitur, quàm istæ. Vid. D. Tho. 1. 2. *q.* 83. *a.* 3. *ad* 2.

IX. Instabis. Si ita est; ergo priùs inficietur intellectus, quia hic est proximior animæ, quàm voluntas.

Nego consequ. Nam estò intellectus sit prior in ratione proponentis objectum, voluntas tamen est illo prior in ratione moventis, & inclinantis ad actum; cùm in hoc etiam intellectus ipse à voluntate moveatur. Peccatum autem inficit potentias inclinando eas in actum; ideoque priùs inficit voluntatem, quæ prior movet, quàm intellectum, & alias potentias, quæ motione voluntatis inficiuntur. Vid. D. Tho. 1. 2. *q.* 83. *a.* 3. *ad* 3.

X. Ad confirm. respondet D. Tho. *q.* 4. *de Malo a.* 5. *ad* 2. quòd *rebellio inferiorum virium ad superiores est per subtractionem virtutis, quæ inerat viribus superioribus .... & ideò peccatum originale magis est in superioribus viribus, quàm in inferioribus.* Unde non refert, si in istis priùs appareat.

§. II.

De cæteris Animæ Potentiis.

XI. Dico. Si consideretur peccatum originale quantùm ad ejus traductionem, potentiæ, quæ magis inficiuntur, sunt vis generativa, vis concupiscibilis, & sensus tactus. Ita D. Tho. 1. 2. *qu.* 83. *a.* 4. cujus ratione sic probo. Cùm originale peccatum sit infectio, quæ cum natura traducitur (*infectio* enim *nominari solet, quæ nata est in aliud transferri: unde & morbi contagiosi, sicut lepra, & scabies, & hujusmodi infectiones dicuntur*) talis infectio magis debet esse in illis potentiis, quæ ad traducendam naturam deserviunt mediâ generatione: atqui istæ sunt tres, nimirùm vis generativa per modum exequentis, concupiscibilis per modum appetentis, & imperantis, & sensus tactus per modum sentientis, & quasi nunciantis delectationem, ut supra dicebamus cum D. Tho. *q.* 4. *de Malo a.* 5. *ad* 1. ergo &c.

XII. Hinc apparet primò, quòd estò peccatum originale pro ea parte, quâ inclinat in peccata actualia, præcipuè pertineat ad voluntatem (ut §. præcedente dictum est) ex ea tamen parte, quâ traducitur in Posteros, pertinet præcipuè ad tres præcitatas potentias, quæ proximè concurrunt ad traductionem; ad voluntatem verò solum remotè. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 83. *a.* 4. *ad* 1.

XIII. Apparet secundò ex eodem S. Thom. loco citato ad 2. & 2. dist. 31. q. 2. a. 2. ad 1. *Quòd peccatum actuale, quòd consistit in actu ejus, qui peccat, & voluntate, non potest esse in illa parte, quæ rationi non obedit: nihil tamen prohibet, quin in illa parte, quæ principium naturalis operationis est, infectio naturæ salvetur. Sciendum tamen est, quòd etiam actuale peccatum in generativa esse dicitur, non quidem sicut in subjecto, sed materiali-* ter,

ter, inquantùm scilicet concupiscibilis actum generativa imperat.

XIV. Apparet tertiò, quare tactus contrahat infectionem potiùs, quàm sensus visus, quamvis hìc videatur propinquior rationi. Nam ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 83. a. 4. ad 3. *Visus non pertinet ad actum generationis, nisi secundùm dispositionem remotam, prout scilicet per visum apparet species concupiscibilis. Sed delectatio perficitur in tactu: & ideo talis infectio magis attribuitur tactui, quàm visui.*

QUÆSTIO X.

De Effectibus Peccati Originalis.

DE pravis effectibus, qui in Adamo, & Heva eorum peccatum consecuti sunt, sive in anima, sive in corpore, aliqua diximus supra *Qu. 6. Dub.* 2. huc revocanda. Modò de eorumdem infelici unà cum originali peccato in Posteros traductione, & tandem de pœna cum solo originali decedentibus præparatâ post mortem, sermo erit.

DUBIUM I.

De Infirmitate in Intellectu.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. EXploratum apud omnes est, peccatum primi Parentis, non solùm humanam naturam infirmasse, eam spoliando supernaturalibus donis illi concessis, sed ulteriùs eam in pluribus sauciam, seu ægram reliquisse, imò effecisse. Homo enim ille, qui ab Hierusalem descendens in Jerico incidit in latrones, à quibus nedum spoliatus, sed plagis impositis semivivus relictus fuit (Lucæ 10.) testantibus Patribus ferè omnibus, figura fuit Adami, & Posterorum ejus; qui peccato illius nedum justitiâ originali, alijsque donis spoliati fuerunt, sed in naturalibus plagas multas ærumnarum sive in corpore, sive in anima, ejusque potentiis contraxere.

II. Notat tamen D. Thomas in 2. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 3. *Quòd bona naturalia dicuntur dupliciter. Vel prout sunt in se considerata, secundùm quòd naturæ debentur ex propriis principiis: & sic nec homo, nec Angelus aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est.... Vel secundùm quòd ordinantur in finem ultimum: & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt, non quidem penitùs amissa; inquantùm uterque factus est minus habilis, & magis distans à finis consecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus Luc. 10. in glossa.* De vulneribus inflictis homini per peccatum in corpore, nimirùm ægritudinibus, & morte, actum est supra *Qu. 6. Dub.* 2. Nunc de vulneribus inflictis in anima, ejusque naturalibus virtutibus agere in animo est.

III. Triplex ergo in homine naturalium facultatum, ac virtutum genus distingui solet, facultas nempè intellectiva, volitiva, & animalis, seu sensitiva. Vis intellectiva veritatem sectatur, & inquirit, ut in ejus adeptione quiescat. Volitiva libertate, & arbitrio potens bonum prosequitur, malum refugit; & quia rationalis inclinationem, & nativam propensionem habet ad bonum honestum, & rationi consonum. Animalis tandem, seu sensitiva in id, quòd sensibus arridet, erumpit, ut quamdam ex eo oblectationem, & felicitatis speciem excipiat. Primæ opponitur ignorantia, & animi ruditas, seu hebetudo. Secundæ in prosequendo bono, maloque refugiendo languor. Tertiæ sensuum ærumnæ, & effrænata concupiscentiæ jactantia. An autem, & qualiter has omnes plagas peccatum originale intulerit, hìc, & in sequentibus est aperiendum.

§. II.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Quatuor sunt vulnera, seu ægritudines, quas contraxit intellectus ex peccato originali. Primum est ignorantia etiam rerum necessariarum ad vitæ conservationem. Ita S. Augustinus *lib. de Dono persever, c.* 11. ubi docet, quòd etsi ignorantia primigenia esset naturæ, non ideò tamen ex hoc culpandus esset Deus; vel duæ naturæ essent admittendæ, ut contendebant Manichæi: non propterea revocanda est in dubium fides Catholica, quæ contra Pelagianos docet, ignorantiam ex justa damnatione descendere. *Et lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. c.* 38. ait, quòd multorum pecorum *pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent; tamen etiam minutissimi, & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis uberibus curâ, & ope admoventur alienâ, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra, homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi ope nutrientis admotis labris papilla uberis ingerantur, nec ubi sint, sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quàm sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hac omnino infirmitas corporis: nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cujus pondere rationalis anima sic gravatur.* Et hanc ignorantiam in adultis quoque esse pœnam ex justa damnatione venientem docet *l. de Natura, & Gratia c.* 67.

V. Secundum in intellectu hominis inflictum ex originali peccato vulnus est fatuitas, & mentis hebetudo, quæ quibusdam à nativitate adeò inest; ut nec sibi convenientia parare noriint, quòd nulli animalium ratione destituto contingit. Quam miseriam Augustinus deplorans Ep. 28. nunc 165. ad Hieron. c. 6. *Tam tardi* (inquit) *nonnulli sunt, & obliviosi, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint. Quidam verò tanta sunt fatuitatis, ut non multùm à pecoribus differant.* Quod repetit *l. 1. de Peccat. merit. c.* 22. ubi refutatis iis, qui cum Platonicis dicebant, hoc eis contingere ob demerita prioris vitæ, quam ante hoc corpus gesserunt, concludit, hæc omnia contingere; quia omnes sub peccato sunt, *quòd per unum hominem intravit in Mundum, & per omnes homines pertransiit.* Quod latè prosequitur *l. 4. Oper. imperf. contra Julian. c.* 75. *& c.* 76. Julianum perstringens. *Dic* (inquit) *potiùs si potes, unde humana ingenia cum tanta plerumque vitiositate nascantur; cùm inter nos conveniat totius hominis esse Opificem Deum justum, & vos negatis ullum originale peccatum? Non autem diceres, aliorum peccata nos aliis imputare, qui ibi quando commissa sunt non fuerunt, si recoleres, in lumbis Abrahæ fuisse Levi .... ibi enim videres, si te pervicacia non cæcaret, in lumbis Adæ fuisse genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum.* Quod repetit contra eundem *l.* 5. *c.* 11.

VI. Tertium est difficultas discendi, & scientiam comparandi. Quare multi nolentes, vel non valentes superare labores, qui in scientiarum aquisitione subeundi sunt, malunt semper in inscitiæ tenebris vivere. Quòd magis apparet ex eo, quòd ii etiam, qui studiis se dederunt, non solùm circa Dei notitiam cæcutierint, ut apertè constat ex tot erroribus Ethnicorum de natura Dei; sed nec bestiolarum quidem, ac vermiculi naturam perfectè noverint. Imò & sui ipsius turpi inscitiâ laboret omnis homo; ut nec seipsum, & opera sua, quæ ipse fecit, intelligat. Quod sanè est summum inscitiæ argumentum; ut ipse, qui propriâ voluntate singulis diebus peccat, vix tamen certò discernere possit,

possit, an vere peccaverit, an deliberatè consenserit, quoties, quantumque deliquerit: unde David Ps. 18. v. 13. *Delicta* (inquit) *quis intelligit, ab occultis meis munda me.*

VII. Hanc difficultatem ex peccato originali contractam fuisse testatur sæpe laudatus August. *l. 22. de Civit. Dei c. 22.* dicens: *Quòd ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hac ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu excipit; ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit?* Quod etiam prosequitur *l. 1. de Peccat. merit. c. 36.*

VIII. Quartum denique vulnus humanæ menti ab originali peccato inflictum est ipsa animi levitas, & indiscreta mentis agitatio, quâ fit, ut necessariis, & gravioribus neglectis, animo, & mente vana plerumque, & inutilia geramus etiam inviti. Adeò ut dùm etiam seria meditari volumus, vanis cogitationibus distrahamur; & maximè dum orationi vacare conamur, aliò, vel nolentes, divertimur. Hoc nescio, an in sua, vel alterius personâ lugebat S. Hieronymus *Dialog. advers. Luciferianos*, his verbis: *Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Et S. August. lib. 10. Confess. c. 35. *Cum enim* (inquit) *hujusce modi rerum conceptaculum fit cor nostrum, & portat copiosæ vanitatis catervas, hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur, atque turbantur, & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.*

DUBIUM II.

De Infirmitate in Voluntate, & Appetitu sensitivo, & Partibus inferioribus hominis.

§. I.

Quatuor Voluntatis infirmitates.

I. Nedum intellectui, sed & voluntati maximè vulnus inflictum fuit Adamo peccante. *In Paradiso enim Diabolus seductor beatæ voluntatis fuit, quam seducendo miseram fecit*, inquit August. *lib. 1. Oper. imperf. contra Julian. c. 91.*

II. Primò ergo eam miseram fecit, relinquens eam nimis ad seipsam conversam, & inordinato amore sui flagrantem; quo fit, ut omnes quærant, quæ sua sunt. Et inde nascitur *amor ille tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordia, lites, bella, insidia, iracundia, inimicitia, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina*, & alia crimina, quæ D. Augustinus enumerando prosequitur *l. 22. de Civit. Dei c. 22.* quæ hominum quidem sunt malorum, *ab illa tamen erroris, & perversi amoris radice venientia, eum, qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat . . . cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam; itaut si dimittatur vivere ut velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora, & flagitia, quæ commemoravi, & quæ commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perveniat?*

III. Secundò eam miseram fecit grandis difficultas, quam experitur in vitiis superandis, & virtutibus excolendis. Quamvis enim vitia contra naturam hominis sint, quia rationalem, & virtutes sint eidem conformes; ægrè tamen, & difficulter ad eas homines tendunt, cùm è contra ad

ad vitia proclives sint. Quòd indicant graves pœnæ, quibus tùm pueri, tùm adulti urgendi sunt, ut vel inviti ad virtutes tendant, & à vitiis coerceantur. *Quid enim* (inquit Augustinus mox laudatus) *sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit, dilecti filii latera esse tundenda* (Ecclesiastici 30. v. 12.) *ne crescat indomitus, domarique jam durus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas infrenetur, cum quibus malis in hoc seculum venimus?* Hinc oritur incredibilis illa desidia in his comparandis, quæ ad beatè vivendum, tùm in hâc vita, tùm etiam post mortem spectant; ut quò solicitiores sunt homines ad hæc caduca conquirenda, eò desidiores sint, etiam qui fidei lumine illustrantur, ad ea, quæ ad æternam felicitatem conducunt, perquirenda.

IV. Tertiò voluntatem miseram facit continva in seipsam pugna, & instabilis quædam inconstantia. Adeò ut dum vel ipsæ pecudes semper idem appetant, aut fugiant, solus homo alternis propriæ voluntatis jactatus affectibus, respicit, quæ mox elegerat, & seligit, quæ antea respuerat: imò eodem tempore simul velit idem, & nolit. Hanc non contrariarum naturarum, sed voluntatum pugnam esse Augustinus contra Manichæos ostendens *l.* 8. *Confess. c.* 10. ajebat: *Ego cùm deliberabam, ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diù disposueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam; ego, ego eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam: ideo mecum contendebam, & dissipabar à me ipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat; nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.*

V. Quartò demum voluntatem miseram reliquit ipsa liberi arbitrii infirmitas, ac diminutio ad bonum sectandum. Quia verò non modica controversia est, an per peccatum originale liberum arbitrium ad bonum manserit solùm attenuatum, an verò penitus extinctum; ideò (§. sequenti) rem hanc, quantum Candidato nostro sat erit, examinandam suscipiemus.

§. I I.

An Liberum Hominis Arbitrium per Peccatum Originale fuerit prorsus extinctum?

VI. JOannes Calvinus, cui adhæret totus Protestantium grex *l.* 1. *Inst. c.* 15. §. 8. delirium vocat putare, in homine lapso liberum arbitrium ad bonum mansisse. Et *lib.* 2. fusè id conatur ostendere. Calvino præiverat Lutherus, qui integrum librum de servo abitrio ediderat. His accedit Jansenius qui *l.* 3. *de Statu naturæ lapsæ c.* 2. hanc esse sententiam S. Augustini docens, ait: *Sententia igitur Augustini, quam tantoperè Pelagiani detestati sunt, non alia, quàm ista est: quòd arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam divina gratiâ visitetur, hoc est, antequam christianam suscipiat fidem, unde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arctè captivum possideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis adstricta, nullo modo surgere possit, ut bonum velit, aut faciat: sed ut tantummodo captivo motu versetur in malo. Quâ de causa liberum arbitrium toto illo tempore, non tàm esse liberum, quàm servum, hoc est liberum esse justitiæ, peccati autem servum sublatâ funditus indifferentiâ proximâ ad bonum, & malum.* Hæc Jansenius, quæ auctoritatibus S. August. in sequentibus comprobare conatur. Ex qua doctrina *lib.* 4. *c.* 2. & alibi, infert omnia

nia opera infidelium esse peccata, quòd falsum esse, alibi (si Deus dederit) ostendemus.

VII. Catholici tamen omnes mediâ viâ inter Pelagianos, & Calvinistas, Lutheranos, & Jansenistas incedentes, liberum arbitrium post Adæ lapsum, nec prorsùs sanum, & integrum, ut asserebant Pelagiani; nec prorsus extinctum ad bonum, ut Calvinistæ, Lutherani, & Jansenistæ contendunt; sed infirmatum, & attenuatum fuisse concorditer asseverant.

VIII. Dico ergo. Peccato primi Parentis liberum arbitrium mansit non prorsus extinctum, sed valdè attenuatum, & diminutum. Quòd non fuerit prorsus extinctum, clamant Scripturæ, quibus homini post lapsum liberum arbitrium indifferentiæ asseritur. *Genes.* 4. *v.* 7. Caino dicit Deus: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Deuteron. 30. *v.* 19. inquit Deus per Moysen: *Testes invoco hodie Cœlum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum*. Josue 24. v. 15. *Optio vobis datur: eligite hodie quòd placet, cui potissimùm servire debeatis*. 2. Reg. 24. v. 12. dicit Dominus David per Gad Prophetam: *Trium sibi datur optio: elige unum, quòd volueris ex his, ut faciam tibi*. Denique illa Ecclesiastici 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*. Atqui hæc omnia dicuntur de homine post Adami peccatum; ergo homo in hoc statu habet arbitrium faciendi, & non faciendi, habet electionem vitæ, & mortis, potest transgredi, & non transgredi. Quid ergo illi deest, ut habeat libertatem arbitrii?

IX. Meritò igitur Concilium Trident. *Sess. 6. Can.* 5. anathemate ferit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo*. Et Concilium Senonense contra Lutherum celebratum anno 1528. in Decretis fidei c. 15. postquàm liberum arbitrium in homine etiam lapso statuit, illudque cum gratia variis Scripturæ textibus conciliavit, concludit: *Hanc igitur hæresim arbitrii libertatem prorsus auferentem, non tam damnamus, quippe quæ jam olim ab Ecclesia, & Sacrosanctis Conciliis damnata sit; quàm communi hominum conceptioni, & apertis Scripturæ testimoniis declaramus esse contrariam*.

X. Hoc idem evincit ratio. Nam habere libertatem arbitrii est natura hominis, ex quo rationalis: sed homo per peccatum non amisit naturam, sed gratiam; ergo non amisit liberum arbitrium. Evincit experientia. Nam quotidie pro arbitratu surgimus, aut sedemus, ambulamus, aut quiescimus, consentimus alteri, aut dissentimus. Hæc experentia adeo certa est; ut alio argumento opus non sit, & rectè dixerit Scotus, non rationibus, sed verberibus refutandum esse, qui arbitrii libertatem neget. Nam eo usque fustibus esset contundendus, donec fateretur, in nostra situm esse potestate à verberando abstinere. Quòd si de injuria sibi factâ conquereretur, dicendum ei esset: frustra conquereris, si non libero arbitrio, sed necessitate verberaris, cùm omnia dicas necessitate evenire.

XI. Quia verò Adversarii abutuntur auctoritate Sancti Augustini; ideò ostendendum est, quàm contrarius errori ipsorum sit S. Doctor. Primò enim *Ep.* 47. *modò* 205. ad Valentinum, ejusque Monachos protestatur, se quantùm potuit cum illis egisse, *ut in fide sana Catholica perseverent, quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratiâ Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat*.

XII. Secundò. *l.* 1. *contra duas Epist. Pelagian. ad Bonifac. Rom. Episc. c.* 2. depellens Juliani calumniam, qui Ca-

Catholicos cum Manichæis confundens, ipsis imponebat, ac si dicerent, quòd *primi hominis peccato, idest Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat benè vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur*, respondet: *Quis autem nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino*: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, *utique liberi ad benè, justèque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quòd eis libet*. Quibus satis apertè significat, primi hominis peccato liberi arbitrii substantiam non periisse in humano genere; sed solùm periisse modum illum accidentalem perfectionis *habendi plenam cum immortalitate justitiam*.

XIII. At objiciunt primò Parabolam de eo, qui incidit in latrones. Is non solùm spoliatus est vestibus, sed etiam in carne plagas accepit, atque ita semivivus relictus est; ergo, inquiunt, liberum arbitrium hominis post peccatum non tantùm spoliatum mansit donis supernaturalibus, sed etiam in sua natura vulneratus est, & semivivus relictus.

XIV. Respondeo, Parabolam illam in sensu mystico intelligi de Adamo peccante ab omnibus ferè Patribus. Sed in primis favere non potest Adversariis. Nam homo ille, qui ibi narratur, fuit spoliatus, vulneratus, non tamen extinctus, & mortuus, sed semivivus relictus; ergo liberum hominis arbitrium per peccatum mansit quidem vulneratum, sed non prorsùs extinctum, ut ipsi contendunt. Deinde homo ille curâ Samaritani, qui est typus Christi, à vulneribus sanatus, integritati restitutus fuit. Cur ergo similter non dicunt, liberum arbitrium per peccatum vulneratum, per gratiam Christi sanari, & restitui?

At quomodo Adam non solùm spoliatus, sed etiam vulneratus fuit? Facilè explicatur. Triplicia erant dona in Adamo. Primò. Gratia, & caritas, quæ animam reddebant Deo subiectam, & justam, Deoque caram: & hic erat primus justitiæ originalis effectus. Secundò. Gratia hæc, seu justitia domabat carnis, & appetitus sensitivi rebellionem, & utrumque rectè rationi subjiciebat. Tertiò. Præstabat corpori incorruptionem excludentem omnem læsionem, & defatigationem. Cùm ergo hæc sublata fuerint per peccatum, non solùm non potuit homo opera supernaturalia facere, quòd fuit illi esse spoliatum; sed neque tàm facilè exercere opera moralia, & civilia, quæ alioquin gratiam non requirunt. Nam sublatâ justitiâ originali, cæpit caro repugnare rationi; sublatâ incorruptione, cæperunt organa corporis defatigari, & tandem destrui. Atque in hoc sensu vires naturales liberi arbitrii dicuntur vulnus accepisse, non intrinsecè, & in seipsis, sed extrinsecè; quatenus ablatâ justitiâ originali, cujus fræno potentiæ hominis à motibus concupiscentiæ liberabantur, indirectè, & sicut removente obstaculum, causa adest, ut tales potentiæ effræni impetu ad sua objecta tendentes, impedimento sint voluntati, ne tota propensione ad bonum honestum tendant. Adde, quòd cùm peccato originali voluntas manserit aversa ab ultimo fine supernaturali, reliquit in ea difficultatem ad rectè operandum bonum honestum. Sicut enim intellectus carens assensu præmissarum non est ita habilis, & promtus ad assentiendum conclusionibus: ita nec voluntas aversa ab ultimo fine ita promta, & expedita est ad bonum honestum, sicut dum adhærebat ultimo fini.

XV. Confirmat hanc veritatem Divus Thomas 1. 2. q. 85. ubi postquam

art.

art. 1. distinxit triplex bonum naturæ humanæ: primum, ipsa naturæ principia: secundum, naturalem inclinationem, quam homo habet ad virtutem: & tertium, donum justitiæ originalis, quòd fuit ab initio toti naturæ humanæ collatum: & resolvit, primum bonum nec tolli, nec diminui per peccatum: tertium verò totaliter fuisse ablatum per peccatum primi Parentis: medium verò, scilicet ipsam inclinationem ad virtutem, diminui per peccatum. Postea *art.* 3. statuens, quatuor esse vulnera naturæ ex peccato consequentia, scilicet, infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam, ita discurrit: *Per justitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi Parentis, sicut jam dictum est: & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, ut supra dictum est, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. Inquantùm ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: inquantùm verò voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: inquantùm verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: inquantùm verò concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi Parentis.* Hoc idem docet *q.* 2. *de Malo a.* 11. ubi ex eo, quòd peccatum originale effecerit animam minùs aptam, vel habilem ad gratiæ susceptionem per conversionem ejus ad oppositum: *Et quia gratia naturam perficit, & quantùm ad intellectum, & quantùm ad voluntatem, & quantùm ad inferiores animæ partes obaudibiles rationi, irascibilem dico, & concupiscibilem; peccatum excludendo gratiam, & hujusmodi auxilia naturæ, dicitur vulnerare naturam. Unde ignorantia, malitia, & hujusmodi dicuntur quædam naturæ vulnera consequentia ex peccato.* In his placuit immorari, quia valde necessaria existimo.

XVI. Objiciunt secundò varia Augustini testimonia, quibus videtur docere, nos per peccatum Adæ, liberum perdidisse arbitrium. Primò Epist. 107. modò 217. ad Vitalem c. 4. *Liberum* (inquit) *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* In Enchiridio cap. 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit; sed se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium.* Sicut ergo qui se occidit, amittit vitam; ita Adam peccando amisit liberum arbitrium. Et lib. de Perfectione justitiæ hominis c. 4. *Victa enim* (inquit) *vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.*

XVII. Respondeo, D. Augustinum citatis locis non loqui de libero arbitrio quoad opera naturalia, & moralia, seu quoad substantiam sumto. Quare *l.* 1. *ad Bonif. c.* 2. laudato, ait: *Quis autem nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Sed loqui de libero arbitrio ad opera supernaturalia, & ut oportet ad vitam æternam. Quemadmodum enim qui se occidit, amittit vitam naturalem, nec se ipsum ad vitam revocare potest: ita homo, qui peccando se privavit vitâ animæ, quæ est gratia, mansit quoad opera gratiæ mortuus, nec potest se ad vitam gratiæ revocare viribus suis, nisi per Christi gratiam vivificetur. Controversia enim, quæ versabatur inter D. August. & Pelagianos non erat, quòd isti assererent liberum arbitrium abso-

absolutè in homine, Augustinus autem cum Catholicis illud negaret. Sed in hoc, quòd Pelagiani negantes peccatum originale, tantum tribuerent libero arbitrio hominis, ut homo eo benè utens, viribus naturæ posset sibi promereri gratiam Dei. Ita se explicat *lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. 24.* ubi Juliano calumnianti Augustinum, & Catholicos convenire cum Manichæis, respondet contemnendum esse potiùs, quàm resellendum. *Quis enim nostrum dubitat anathema dicere Manichæis? ... sed, & Pelagianis non immeritò anathema dicimus, qui tàm sunt inimici gratiæ Dei ..... tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant, hominem mereri gratiam; cùm nemo benè illo uti possit, nisi per gratiam, quæ non secundùm debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.* Et lib. de Gratia, & libero arb. c. 1. protestatur se, cùm antea scripsisset contra eos, *qui hominis liberum arbitrium sic prædicant, & defendunt, ut Dei gratiam ... negare audeant, & auferre*, modò scribere contra eos, qui gratiam sic defendunt, ut negare audeant liberum arbitrium: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ...... curavi.* Deinde variis S. Scripturæ testimoniis ostendit, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Non ergo negat S. Augustinus in homine lapso liberum arbitrium, sed medius inter Manichæos, & Pelagianos statuit liberum arbitrium contra primos, non tamen tale, quòd sine gratia Dei possit ad opera salutaria, & à peccato abstinere, contra secundos.

XVIII. Objiciunt tertiò eundem S. Augustinum passim dicentem, in natura lapsa esse necessitatem peccandi ortam ex peccato Adami, aut ex concupiscentia, sive ex consuetudine. Libro enim 1. *Oper. imperf. c.* 105. Julianum perstringens: *Multùm erras (inquit) qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quòd nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est .... quid patiebatur quæso, qui, secundùm vestrum sensum, tantâ mole malæ consuetudinis premebatur, ut diceret, non quòd volo facio bonum, sed quòd nolo malum, hoc ago?* Ex quo Pauli textu necessitatem peccandi concludit quoque *l.* 5. *Oper. imperf. contra Julian. cap.* 59. Et l. de Perfect. justitiæ c. 4. *Quia verò (inquit) peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.*

XIX. Respondeo, verba Augustini arguentis Julianum, quòd assereret nullam esse necessitatem peccandi in homine lapso, non esse accipienda in hoc sensu, quòd homo lapsus ex necessitate peccet, & non suâ libertate; sed, vel quòd homo in peccatum lapsus necessariò debeat manere in peccato, etsi non semper actu peccet, nisi per Christi gratiam liberetur. Et hoc indicant illa postremò citata verba: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Vel quòd peccatum secuta sit quædam necessitas peccandi vagè, & indeterminatè: itaut suis viribus homo, & etiam cum communibus auxiliis, sine omni peccato diù manere non possit. Vel tandem, quòd ex peccato orta sit necessitas sentiendi motus appetitus rebelles inclinantes ad peccatum; ita tamen, ut peccatum non sequatur, nisi voluntatis liber consensus accesserit.

XX. Duas priores expositiones indicat S. Thomas *q.* 22. *de Ver. a.* 5. *ad* 7. dicens: *Circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd homo quantumcumque est in statu peccati mortalis, potest peccatum mortale vitare per libertatem voluntatis; & exponunt quòd dicitur*: non potest non peccare, *idest* non habere peccatum non potest: *sicut*

cut & videre dicitur habere visum, & uti visu; potest autem secundùm eos non peccare, idest non uti peccato. Et secundùm hoc patet, quòd nulla necessitas inducitur in voluntate ad consentiendum peccato. Alii autem dicunt, quòd sicut homo in statu hujus vitæ non potest peccatum veniale vitare, non quin possit vitare hoc, vel illud; sed quia non potest vitare omnia, ut scilicet nullum committat; *ita est de mortalibus in eo, qui gratiam non habet. Et secundùm hoc patet, quòd voluntas non habet necesse velle hoc, vel illud, quamvis sine gratia inveniatur deficiens ab indeficienti inclinatione in bonum*. Quæ responsio menti S. Augustini congruit; qui contra Cœlestium, aliosque Pelagianos contendebat, neminem in hac vita, unico excepto Christo, posse absque omni prorsùs peccato esse: ut *lib. 2. de Peccat. merit. c. 20. l. 3. c. 13. lib. de Perfect. justitiæ c. 12.* & alibi.

XXI. Tertiam item responsionem indicat S. Thom. *in c. 7. ad Rom. lect. 3.* Nullus enim homo est, quantumvis justus, qui ex necessitate non sentiat motus aliquos inordinatos prævenientes concupiscentiæ instigantes ad peccatum. His tamen ad peccatum non necessitatur, sed per gratiam Dei potest eis resistere: quòd si non resistit, & vincitur, liberæ voluntatis est, non necessitatis.

XXII. Sed dicent. S. August. in libris *Oper. imperf. contra Julianum*, & pluribus aliis in locis bifrontem indifferentiæ potestatem, quam Julianus, cæterique Pelagiani in libertate collocabant, acriter impugnat, eamque velut basim hæresis Pelagianæ repudiat; ergo libertatem à necessitate, seu indifferentiæ in homine lapso Augustinus non agnovit.

XXIII. Respondeo, S. Augustinum non negare in homine lapso indifferentiæ libertatem, & potestatem, sed solùm eam, quam asserebant Pelagiani; nimirum talem, quæ ad benè agendum gratiæ Dei adjutorio non egeret; & quæ esset in perfecto æquilibrio, sicut erat in statu innocentiæ, & æquè prona in bonum, ac in malum. Quapropter negabant, liberum arbitrium per peccatum Adami fuisse attenuatum, & debilitatum circa bonum honestum, & ratione concupiscentiæ magis propensum ad bonum delectabile contrarium rationi. Ita enim referebat S. Prosper ad S. August. de Massiliensibus Epist. inter Augustinianas modò 225. dicens: *Consequens putant, ut quia prævaricator ideò dicitur non obedisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit; & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere*. Cæterum S. Augustinus in homine post lapsum indifferentiam arbitrii agnoscit, non tamen qualem habuit ante peccatum, nimirùm æquè pronam ad bonum, ac ad malum; sed quæ seipsà sufficiat ad malum, ad bonum autem parva sit, nisi à Deo juvetur. Ita l. de Corrept. & gratia c. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab Omnipotenti bono*; ex continua nempe rebellione appetitus, quâ ejus inclinatio ad bonum rationis minuitur, & infirmatur.

Porrò libertas sic adjuta multò validior est, quàm fuerit in primo statu; quippe quæ multa obstacula debet superare, quæ in primò statu non fuissent. Ita discurrit S. Doctor laudato loco c. 12. ubi allato textu Joann. 8. v. 36. *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*, subjungit: *Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis, quamdiu hìc vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie*: Dimitte nobis debita nostra; *non tamen ultra serviant peccato, quòd est ad mortem... Hinc peccato ultra non serviunt, non primâ conditione, sicut ille, liberi; sed per secundum Adam Dei gratiâ liberati, &*

ti, & ista liberatione habentes liberum arbitrium, quo serviant Deo, non quo captiventur à Diabolo. Hæc vera Augustini mens est: quòd pro nunc sufficiat. Alibi enim fortè res ista pertractabitur.

§. III.

Vulnera in Appetitu sensitivo.

XXIV. APpetitus sensitivi partes sunt irascibilis, & concupiscibilis, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 81. *a.* 2. & utraque nata est in homine obedire imperio rationis per voluntatem, ut docet idem S. Doct. loco laudato *a.* 3. In hâc obedientiâ perfectè continebantur in primo statu, dum per justitiam originalem partes inferiores hominis in suo ordine ita sistebant; ut nisi ex rationis imperio, ac nutu, ac secundùm regulam à ratione præfixam moverentur, ut sæpè dictum est. Verùm amissâ per Adæ peccatum justitiâ originali, statim res aliter se habere cæpit. Nam appetitus contra rationem moliri cæpit, ejusque jugum excutere, ac in bonum delectabile absque fræno ruere; quod experientia continuò testatur.

XXV. Vulnus ergo à peccato originali in appetitu sensitivo homini inflictum, est continua ipsa appetitus sensitivi in superiorem animæ partem perduellio, & pugna, quam concupiscentia singulis momentis usque ad mortem ingeminat; quamque Paulus *Rom.* 7. deplorat. De qua D. Bernardus Serm. 3. in Dom. 6. post Pent. *Primus* (inquit) *continentiæ nostra hostis caro est, adversùs spiritum concupiscens. Quàm domesticus hostis, quàm periculosa lucta, quàm intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, ò anima mea, nec fugare; circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis: nam (quòd periculosius est, & miserabilius) hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet.*

XXVI. Quamvis autem utraque sensitivi appetitus pars, irascibilis nempè, & concupiscibilis, ex peccato originali vulneratæ fuerint, & corruptæ; corruptio tamen *denominatur magis à concupiscibili propter duo* (inquit D. Thom. Q. 4. de Malo a. 2. ad 12.) *Primò quidem. Quia omnes passiones irascibilis ab amore oriuntur, qui est in concupiscibili, & ad gaudium, vel tristitiam terminantur, quæ sunt etiam in concupiscibili: unde & communiter tàm motus concupiscibilis, quàm irascibilis concupiscentia dici potest. Secundò Quia peccatum originale traducitur per actum generationis, in quo maximè est delectatio, circa quem apparet inordinatio concupiscibilis. Unde concupiscibilis dicitur non solùm corrupta, sed etiam infecta, inquantùm per hujusmodi actum traducitur peccatum originale.* Quibus aliam rationem addit Q. 25. *de Verit. a.* 6. Nimirum, quòd *quantò aliqua inferiorum virium magis elongatur à ratione, tantò magis est corrupta. Et ideo cùm irascibilis sit magis rationi propinqua, quasi aliquid rationis in suo motu participans (secundùm Philosophum in 7. Ethic.) minùs erit corrupta irascibilis, quàm concupiscibilis.*

XXVII. Alterum vulnus constituunt innumeræ miseriæ, quæ partem animalem hominis circumstant, quas S. Aug. *l.* 4. *c.* 16. *adversùs Julianum*, ita urgebat: *Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta: & in iis, quæ non pateris, compatere patientibus. Quamvis, & ipse quantàlibet felicitate præpolleas, nullum sinè bello intestino diem ducis; si tamen, quod profiteris, implere conaris. Sed in iis, quæ meminisse jam non potes, parvulos intuere, quot, & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat; tentat labor, aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mæror, ut sternat; tentat typhus, ut extollat. Et*

quis

quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere: ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore, pœnarum luendarum causâ nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio, quo Hetrusci prædones captos affligere consueverant, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos. Apostolus autem amputat opinionem, quâ creduntur singula animæ pro meritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit, aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus; restat, quòd non vis, sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset. Ita peracutè Augustinus.

XXVIII. Tertiùm malorum genus est ipsa cibi, potusque indigentia, eaque tanta; ut interdum homines induxerit ad homines mactandos, ut carnibus eorum alerentur: quod Hebræas matres erga filios suos fecisse, testatur Jeremias Thren. 4. v. 10. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus eorum.* Quæ expendens S. August. lib. 22. de Civit. Dei c. 22. *Nonne* (inquit) *ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam, vel etiam suam, biberent? Nonne ad hoc fames, ut à carnibus hominum abstinere se non possent, nec inventos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verùm etiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?*

XXIX. Quartum denique humano corpori inflictum ex peccato vulnus, est contra hominem omnium, nedum animantium, quæ homini famulari debuerant, verùm etiam elementorum, & inanimium rerum conspiratio. *Quid* (ait Augustinus laudato loco) *ab innumeris casibus, qui forinsecùs corpori formidantur, æstibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluvionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum; ab offensione, & pavore, vel etiam malitiâ jumentorum; à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum, à ferarum, vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus, à rabie, quæ contingit ex rabido cane; ut etiam blanda, & amica suo domino bestia nonnumquam vehementiùs, & amariùs, quàm leones, draconesque metuatur; faciatque hominem, quem fortè attaminaverit, contagione pestifera ita rabiosum, ut à parentibus, conjuge, filiis pejus omni bestiâ formidetur?* Persequatur Studiosus, legens Augustinum ibi, mala, quæ ab inopinatis casibus eveniunt recensentem; ac inveniet, nullo aut tempore, aut loco tutum esse hominem à vitæ pericolo.

DUBIUM III.

De Pœna Peccato Originali debita post hanc vitam.

§. I.

De pœna damni.

I. POEnas originale peccatum consequentes in præsenti vitâ hactenus expendimus. Restat ad conclusionem tractatus, etiam pœnam inquirere, quæ à decedente cum solo originali non expiato, post mortem luenda sit; quòd in infantibus sine Baptismo decedentibus contingere solet.

II. Certum est, ob primi hominis peccatum totum genus humanum mansisse à Regno Cœlorum perpetuò exclusum; & omnes ex Adam progenitos nasci filios iræ, & indignationis Dei, dicente Apostolo Ephes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri,*

nec

nec aliam esse viam reconciliationis cum Deo, nisi per Jesum Christum, ut ibidem, & alibi passim testatur Paulus. Huic reconciliationi unicum medium est Baptisma, quo nisi fuerit peccatum originale deletum, nulla ad Regnum Cœlorum patet via. Nimis enim clara est Christi sententia Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Quibus patet, cum originali Baptismate non deleto decedentes à Regno Cœlorum excludi, & Inferis in pœnam destinari.

III. Duplex autem in Inferis, quâ torquendi sunt ibi damnati, pœna est. Una damni, quæ est perpetua divinæ visionis, & fruitionis jactura, correspondens aversioni à Deo per peccatum. Altera sensus, quæ ex perpetuo cruciatu, sive ab igne, frigore, sive ipso conscientiæ remorsu resultat; quæ ex conversione ad creaturam, & nimiâ in eis delectatione consurgit. His positis

IV. Dico primò. Omnes, qui ex hac vita cum solo originali decedunt puniuntur pœnâ damni. Hæc est veritas Catholica contra Pelagianos, qui negantes peccatum originale, parvulos sine Baptismo morientes excludebant quidem à Regno Cœlorum, sed ad vitam æternam admittebant. Hunc errorem suum esse in Synodo Diospolitanâ fraudulenter negaverat Pelagius, vel saltem involucro verborum subtexerat. Quem tamen S. Augustinus *l. de Peccat. origin. c.* 18. detegit, & confutat, dicens: *Propter accipiendum Regnum Cœlorum tantummodo eos baptizandos contendunt; quasi prater Regnum Cœlorum habere nisi aternam mortem possint, qui sine participatione Corporis, & Sanguinis Domini aternam vitam habere non possunt*. Et infra *cap.* 20. Pelagium carpens, quòd ex una parte noliet confiteri, parvulos sine Baptismo decedentes æternam mortem incurrere; ex alia tamen æternam vitam eos consequi non audebat apertè asserere: *Si* (inquit) *perpetua vita, sicut confiteri videtur, nisi eorum qui Baptizati sunt non potest esse; profectò eos, qui non baptizati moriuntur, mors perpetua consequetur. Quod nullâ justitiâ potest accidere his, à quibus in hac vita nulla peccata commissa sunt, nisi originale peccatum.*

V. Errorem hunc primò anathemate confixit Concilium Carthaginense apud S. August. *Epist.* 175. aliàs 90. *ad Innocentium Papam* anno 416. his verbis: *Quicumque negat, parvulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit*. Et Milevitanum apud eundem August. *Epist.* 176. *aliàs* 92. eodem anno coactum, hæresis Pelagianæ capita Innocentio referens, ait: *Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur Christiana gratia Sacramentis, habituros vitam aternam, nequam prasumtione contendunt, evacuantes quòd dicit Apostolus*: Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Et alio loco*: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Unde S. Aug. *l.* 2. *de Origine anima c.* 12. ait: *Novellos hareticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolica damnavit auctoritas; eo quòd ausi fuerunt non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum, etiam prater Regnum Cœlorum*. Quare *lib.* 1. *de Anima c.* 9. dixerat: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, Regnumque Cœlorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam haresis Pelagiana promisit.*

VI. Auctoritati quoque suffragatur ratio. Primus enim homo peccando privavit se, ac Posteros eo dono, quo præparabatur ad claram Dei visionem; privavit enim se justitiâ originali, gratiâ sanctificante &c. & auxiliis, quibus ad præfatam visionem posset pervenire: sed quando *aliquis*

peccan-

peccando abjicit à se illud, per quòd disponebatur ad aliquod bonum aquirendum, meretur, ut subtrahatur ei illud bonum, ad quod obtinendum disponebatur, & ipsa subtractio ejus boni est conveniens pœna ejus; ergo conveniens pœna peccati originalis est subtractio visionis divinæ. Ita discurrit S. Thomas *Q. 5. de Malo a. 1.*

VII. Sed dices. Augustinus in *Enchirid. c. 93.* ait: *Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quòd originale traxerunt, nullum insuper addiderunt*: sed carentia visionis Dei est maxima pœnarum, quia privat maximo bono; ergo non debetur &c.

VIII. Respondeo cum D. Thoma laudato loco *ad 3.* dist. min. ex parte boni quo privat, conc. min. comparata ad eum, qui punitur, nego min. *Gravitas alicujus pœnæ* (ait S. D.) *potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte ipsius boni, quod privatur per malum pœnæ: & sic carentia visionis divinæ, & fruitionis Dei est gravissima pœnarum. Alio modo per comparationem ad eum, qui punitur: & sic tantò est gravior pœna, quantò id, quod subtrahitur est magis proprium, & connaturale ei, cui subtrahitur. Sicut magis diceremus puniri hominem, si auferretur ei patrimonium suum, quàm si impediretur, ne perveniret ad Regnum, quod ei non debetur. Et per hunc modum dicitur esse mitissima omnium pœnarum sola carentia visionis divinæ; in quantùm visio divinæ essentiæ est quoddam bonum omnino supernaturale.*

IX. Replicabis. Carentia ejus, quòd non debetur, non est pœna: unde carentia divinæ visionis homini in puris naturalibus constituto, non esset pœna, eâ enim careret, etsi nunquam peccasset; ergo si homini ob peccatum originale dicta carentia est pœna, hoc ideò est, quia est carentia alicujus debiti, & proinde maxima pœna.

X. Respondeo, majorem veram esse, si carentia sit tantùm negativa, secus verò si sit privativa; seu si sit carentia, quam non deberet habere. Unde D. Tho. loco allato ad 15. *Homo* (inquit) *in solis naturalibus constitutus careret quidem visione divina, si sic decederet; sed tamen non competeret ei debitum non habendi. Aliud enim est non debere habere, quod non habet rationem pœnæ, sed defectus tantùm; & aliud debere non habere, quod habet rationem pœnæ.* Cùm ergo homo ordinatus ad visionem Dei deberet non habere carentiam visionis; ideò talis carentia facta est ei pœna.

XI. Dices secundò. Peccato originali debetur mitior pœna, quàm veniali, cùm ex dictis ei debeatur pœna mitissima: sed si peccato originali deberetur perpetua carentia visionis beatificæ, quæ non debetur peccato veniali, ei non deberetur pœna mitissima, sed gravissima; ergo &c.

XII. Respondeo cum S. Tho. citato ad 9. *Quòd peccatum veniale originali comparatum quodammodo est majus, quodammodo est minus. Peccatum enim veniale comparatum huic personæ, vel illi, magis habet de ratione peccati, quàm peccatum originale; quia peccatum veniale est peccatum voluntarium voluntate hujus personæ, non autem peccatum originale. Sed originale peccatum comparatum ad naturam est gravius; quia privat naturam majori bono, quàm peccatum veniale privet personam, scilicet bono gratiæ: & propter hoc debetur ei carentia visionis divinæ, quia ad visionem divinam non pervenitur nisi per gratiam, quam veniale peccatum non excludit.* Alias objectiones proponit, & solvit S. Thomas loco citato, ad quem Studiosum remitto.

XIII. Catholicam hanc veritatem inverecundiùs, quàm olim Pelagiani, proximis temporibus negarunt Calvinus, & Zuinglius. Nam ubi Pelagiani eam negabant, quia peccatum originale non admittebant; hi peccatum originale non negantes, decedentibus sine Baptismo promittunt vitam æternam, & Regnum Cœlorum. Calvinus quidem 4. *Inst. c. 16.* solis infantibus ex

ex parentibus fidelibus natos; Zuinglius verò *declarat. de Peccato origin.* etiam filiis ex infidelibus prognatis audet eam polliceri. De istis dicam, quod de Vincentio Victore protulit August. *l. de Anima, & ejus origine c. 9.* Ubi postquam dixerat, quòd hæresis Pelagiana, quæ non admittit peccatum originale in parvulis, eos tamen à Regno Cœlorum excludit, eosque collocat quasi medio in loco, subjungit: *Iste autem cùm confiteatur, parvulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam Regnum Cœlorum non baptizatis ausus est polliceri: quod nec illi ausi sunt, qui eos asserunt, sine ullo prorsus esse peccato.* Sed de hoc, si Deus dederit, suo loco agemus.

§. II.

De Pœna Sensus variæ opiniones.

XIV. Parvulos decedentes sine Baptismo puniri pœnâ damni, seu carentiâ visionis Dei Catholici omnes consenserunt, & adhuc consentiunt, ut dictum est. At de pœna sensus, videlicet, an istâ quoque torqueantur, controversia est.

XV. Prima sententia docet, parvulos decedentes sine Baptismo, cum solo originali peccato, nedum privari in perpetuum clarâ Dei visione; sed etiam pœnâ sensus, nempe ignis æterni puniri, mitiori tamen, quàm damnatos adultos, quia leviori culpâ obstrictos. Pro hac stat Gregorius Arimin. *in 2. dist. 30. & 31.* Driedo *l. 1. de Gratia, & lib. arb. tract. 3. c. 2.* Conrius Scotista *in Tractatu de Statu parvulorum* ad calcem operum Jansenii posito, & ab eodem Jansenio laudato, & approbato *l. 2. de Statu Naturæ lapsæ c. 25.* in fine; & insuper à Poncio *ad dist. 33.* Qui omnes existimant, hanc fuisse mentem S. Augustini. Quibus accedunt Cardinalis Norisius *in Vindiciis* Augustinianis c. 5. & Juenin. *Instit. Theolog. p. 7. dissert. 7. de peccato origin. q. 5. c. 2.* Imò eousque procedit præfatus Conrius, ut oppositam sententiam, quam à quingentis ferè annis omnes ferè amplectuntur Theologi, esse Pelagianam, & peccatum originale prorsus evacuare asserat.

XVI. Secunda docet, parvulos cum originali decedentes nullâ quidem pœnâ ignis, & sensus fore plectendos; pœnam tamen tristitiæ, seu mœroris de amissione æternæ beatitudinis passuros. Hanc tenent Abulensis in *c. 25. Matth. qu. 666. & 671.* Bellarminus *l. de Amiss. gratiæ, & statu peccati c. 6. & 7.* & alii.

XVII. Tertia existimat, prædictos parvulos privari quidem in æternum beatitudine supernaturali in pœnam originalis peccati, non tamen beatitudine naturali sitâ in cognitione, & dilectione Dei Auctoris naturæ; addens, post Judicii diem, eos hujus terræ incolas futuros, quam veluti terrestrem Paradisum inhabitabunt pleni sapientiâ, & virtutibus moralibus instructi; ac visitationibus, & consortio Angelorum non sine magno solatio sæpè fruentur. Ita Catharinus noster *l. de Statu parvulorum decedentium sine Baptismo.* Albertus Pighius *Contr. 1. de Pecc. orrigin.* prope finem: Savonarola *l. de Triumpho Crucis.* Eamque probabilem reputant Salmeron *c. 5. ad Rom. disp.* 48. Salas, aliique.

XVIII. Quarta & communis sententia est, pueros cum originali decedentes puniendos quidem fore pœnâ damni, hoc est perpetuâ beatitudinis, & claræ Dei visionis carentiâ; nullâ tamen pœnâ sensus, sive ignis, sive interioris tristitiæ, aut doloris esse afficiendos. Huic subscribunt Magister, & cum eo S. Thomas in *2. dist. 33. q. 1. a. 1. & 2. Q. 5. de Malo a. 2.* & alibi. S. Bonaventura *in 2. dist. 33. a. 2. q. 1.* Scotus, ejusque discipuli, si unum, vel alterum excipias.

§. III.

§. III.

Sententia communior:

XIX. Dico secundò. Communior, & probabilior sententia est, parvulos, qui cum originali sine Baptismo moriuntur, nullâ affici pœnâ sensus, & maximè ignis, neque mitissimâ. Probatur primò. Omnes Scripturæ textus, qui loquuntur de pœna ignis in Inferno luendâ, loquuntur de ea tanquam inflictâ propter peccata, & mala opera in præsenti vitâ propriâ voluntate commissa; ergo cùm parvuli decedentes in solo originali nihil mali propriâ voluntate commiserint, pœna ignis, sive sensus non est pro eis statuta. Ant. patebit infra, dùm respondebimus textibus, qui à contrariæ sententiæ Patronis afferuntur. Et insuper ex *Apoc.* 18. *v.* 7. ubi de Babylone mittenda in stagnum ignis dicitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: sed parvuli nunquam se glorificaverunt, aut in deliciis fuerunt; ergo ad Babylonem, quæ in stagnum ignis mittenda est, non pertinent. Item *Isaia* 66. *v.* 24. & *Marci* 9. *v.* 45. conjungitur pœna ignis cum verme. Nam de gehenna ignis dicitur: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Constat autem, parvulos nullam passuros pœnam ex morsu vermis, idest ex conscientia mali operis animum pungente; ergo credibile est quoque, nullam passuros pœnam materialis ignis.

XX. Secundò. Hoc indicant SS. PP. Nazianzenus *Orat.* 40. *in S. Baptisma*, ubi enumeravit tria genera hominum sine Baptismate decedentium; quorum scilicet alii Baptisma contempserunt; alii ex negligentia propria omiserant; alii, hoc est infantes, aliorum negligentiâ illo caruerunt; & ad singulorum pœnam deveniens: *Futurum* (inquit) *existimo, ut primi quidem cùm aliorum scelerum, tùm etiam Baptismi contemti pœnas luant: alii autem pœnas quidem, leviores tamen pendant, ut qui non tàm animi pravitate, quàm stultitiâ à Baptismo aberrarint. Postremi denique nec Cœlesti gloriâ, nec suppliciis à justo Judice afficiantur; utpote qui licèt signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem meretur; quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.* Hìc distinguit Gregorius eos, qui propriâ culpâ magis, vel minus gravi sine Baptismo decesserunt, ab eis, qui alienâ culpâ, non propriâ, eo caruerunt; & dicit, illos à Cœlesti gloria excludendos, & insuper supplicio magis, vel minus gravi, ratione propriæ, & personalis, sive pravitatis, sive stultitiæ addicendos: istos verò, qui Baptismi jacturam non propriâ voluntate sibi fecerunt, sed alienâ passi sunt, privandos fore quidem honore gloriæ Cœlestis, non tamen suppliciis afficiendos; ergo censet D. Gregorius ob sola peccata, propriâ voluntate commissa, subeunda esse supplicia; ergo cum parvuli peccatum contraxerint, & Baptismi jacturam patiantur alienâ voluntate, censet, solùm Cœlesti gloriâ eos esse privandos, non tamen suppliciis addicendos. Hinc Nicetas Gregorii commentator *annot.* 21. in prælaudatam Orat. *Tres* (inquit) *ut opinione assequor, gradus existunt. Unus eorum, qui supernis deliciis perfruuntur; alter eorum, qui suppliciis æternis excruciantur; medius eorum, qui nec Cœlestis Regni voluptates sentiunt, nec pœnis ullis torquentur, in quo & pueruli, qui Baptismo perfusi non sunt, constituerentur.*

XXI. Sed præ cæteris pensanda est mens S. Augustini, quem Adversarii totum pro se jactant. Primò *lib.* 3. *de lib. arb. c.* 23. proponit hanc quæstionem: *Dicunt imperiti: quid opus erat, ut nasceretur, qui antequam iniret*

nullum vitæ meritum excessit è vita? Aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil rectè fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quam quæstionem ita soluit: *Quibus respondetur, ad universitatis complexum, & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluò creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluò creatur; sed sanè superfluò quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quadam inter rectè factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium, & supplicium.* Quæ ergo erit hæc sententia justi Judicis in parvulos media inter præmium, & supplicium; nisi quòd parvuli nec capientur ad Cœlestem gloriam, nec tradentur æternis suppliciis, sed unicè à Cœlesti gloriâ exulabunt?

XXII. Nec valet si opponas, S. D. *Ep. 28. modò 166. ad Hieron. c. 7.* dicere in libris citatis de libero arbitrio, de Baptismo parvulorum non sufficienter egisse; & c. 8. apertè asserere de animabus puerorum sine Baptismo morientium, *damnari eas, si sic de corpore exierint, & Sancta Scriptura, & Sancta est testis Ecclesia.* Quòd & repetit *l. de Dono Persever. c. 11. & 12.* ubi non regeneratos in mortem æternam ire asseverat.

Non inquam. Nam S. August. citatis libris solùm dicit, dum de libero arbitrio ageret contra Manichæos, non tractasse hanc quæstionem nisi in genere, quantum sufficiebat. Quòd verò dicat, tales parvulos sine Baptismo morientes, certum esse ex Scripturæ, & Ecclesiæ testimonio damnari, & ad mortem perpetuam, non adversatur nobis, qui tales parvulos damnari confitemur, & à vita æterna perpetuò excludi; & solum negamus supplicio ignis &c. affligi. Unde aliud est damnatio infantium, aliud qualitas damnationis, & pœnæ. In primo omnes Catholici conveniunt, secundum verò controvertitur. Imò de hoc se dubium fuisse ostendit idem S. Augst. *Epist. laudatâ s. 6.* dicens: *Sed cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis; nec quid respondeam prorsus invenio: non solùm eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quò necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christiana gratiæ Sacramento &c.* En Augustinus pœnas infantium post hanc vitam fatetur, sed de qualitate pœnarum anxius remanet. Et lib. 5. contra Julian. c. 11. *Ego autem non dico, parvulos sine Christi Baptismate morientes tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret; cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis, & impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabiliùs in die judicii punietur; quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim; non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.*

XXIII. Nostra sententia robur accipit etiam ex auctoritate Pontificum. Innocentius enim III. relatus *l. 3. Decret. cap. Majores de Baptismo, & ejus effect.* ad quæsitum: *Quare non saltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in Baptismo, sicut parvulis, dimittatur*; respondet: quòd *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus. Unde si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis.* Si autem pœna peccati originalis non esset sola carentia visionis Dei, sed esset etiam cruciatus, debuisset dicere: *talis non careret visione Dei*, & etiam cruciatibus *propter originale*

ginale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis. Sentit ergo, pœnam originalis, quia absque consensu contrahitur, esse solam carentiam visionis; pœnam verò actualis, quia consensu committitur, esse ulteriùs pœnam cruciatus: ex quo infert, quòd etsi originale sine consensu remittatur vi Sacramenti, actuale tamen, ut remittatur, requirit consensum: *actuale verò, quod consensu contrahitur, sine consensu minimè relaxatur*.

Eugenius quoque IV. *in Litteris unionis Græc.* ait: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pęnis tamen disparibus puniendas* (Quæ eadem verba tanquam ex fide Romanæ Ecclesiæ anno 1274. in Concil. Lugdun. II. pronunciaverat Michael Paleologus Græcorum Imperator in litt. ad Gregorium X.) Sed non loquitur de disparitate cruciatuum, quia etiam pro peccatis actualibus mortalibus dispares erunt in Inferno cruciatus quoad intensionem; ergo loquitur de disparite quoad substantiam; quia scilicet pro originali solo, solâ carentiâ visionis, pro aliis verò actualibus peccatis, etiam pœnâ sensus cruciabuntur.

XXIV. Accedunt rationes Theologicæ. Primam dat S. Thomas *in 2. dist. 33. q. 2. a. 1.* Pœna debet esse proportionata culpæ, seu defectui qui inducit culpam: sed defectui, qui inducit in pueris culpam originalem, non est proportionata pœna positiva sensus, sed solùm privativa; ergo &c. Min. probatur. Defectus, qui per originem traducitur, rationem culpæ habens, est per subtractionem alicujus, quod naturæ superadditum fuerat, nempe justitiæ originalis, & gratiæ, aliorumque donorum: *Nec ista culpa ad hunc hominem pertinet, nisi secundùm quòd talem naturam habet, quæ hoc bono, quod in eo natum erat esse, & possibile conservari, destituta est*; ergo (concludit S. Tho.) *nulla alia pęna sibi debetur, nisi privatio illius finis, ad quem donum subtractum ordinabat, ad quod per se natura humana attingere non potest, hoc autem est divina visio. Et ideò carentia hujus visionis est propria, & sola pęna originalis peccati post mortem*.

XXV. Confirmatur ex eodem S. Doctore ibidem. Pœna sensibilis est debita peccato particularis personę, quę sicut operatione suâ deliquit, ita pœna per passionem ejus esse debet: sed culpa originalis non est commissa operatione particularis personæ, sed per originem cum natura contracta; ergo ei non debetur pœna sensibilis, aliàs puniretur non secundùm quòd culpam habet: nam culpam habet secundùm naturam, & puniretur secundùm personam, quæ pateretur ob culpam, quam ipsa non commisit, sed quam cum natura contraxit. Quemadmodum si homo multis honoribus à Rege auctus fieret postea rebellis, & propter hoc traderetur extremo supplicio, omnique honore tàm pro se, quàm pro suis descendentibus spoliaretur; omnes, qui ex illo originem traherent, nascerentur quidem omnibus honoribus privati, non tamen extremo supplicio addicti. Ita Adamo tot donis à Deo ornato, facto postea contra Deum rebelli, propter quod ipse, & tota ejus posteritas facta est Deo invisa, debita quidem erat utraque pęna, & carentiæ donorum, & visionis Dei, & insuper pœna sensibilis, quia propriò actu peccavit; Posteris tamen ejus æquum quidem est, ut subtrahantur dona Adæ subtracta, nempe gratia, & gloria; non tamen quòd supplicio pœnali addicantur: quia sicut culpa non fuit per operationem eorum, ita nec pœna per eorum passionem esse debet, sed solùm per defectum illius, quod gratuitò fuerat concessum.

XXVI. Secundò. Prob. ratione ejusdem S. Doct. *q. 5. de Malo a. 2.* Pœna sensus correspondet conversioni ad bonum commutabile, ideoque est pro-

por-

portionata peccato actuali mortali, in quo invenitur, & aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum commutabile; ita ut pœna damni correspondeat aversioni, & pœna sensus conversioni, juxta præfatum Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: sed in peccato originali *non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animę à justitia originali*; ergo ei non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ.

XXVII. Tertiò. Probatur aliâ ratione ejusdem loco mox citato ex q. 5. de Malo. *Pœna sensus nunquam debetur habituali dispositioni. Non enim aliquis punitur ex hoc, quòd est labilis ad furandum, sed ex hoc, quòd actu furatur: sed habituali privationi absque omni actu debetur aliquod damnum, puta qui non habet scientiam litterarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem*: sed in parvulo peccatum originale facit quidem eum habilem ad concupiscendum, non verò actu concupiscentem; ergo parvulo cum originali defuncto *non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni; quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem divinam, propter privationem justitiæ originalis*. Alias rationes omitto, quas videre poterit, qui voluerit apud Doctores, maximè Gonet *disp. 7. de Pec. Orig. art. 7. §. 3.*

§. IV.

Fundamenta suadentia Pœnam Sensus pro Parvulis cum Originali decedentibus.

XXVIII. Motiva, quæ sententiam asserentem, parvulos cum originali morientes puniri etiam pœnâ sensus, non levia sunt: ideoque eam in Scholis Catholicis adhuc probabilem relinquunt. Sequentia sunt. Primum ex Script. Matthæi enim 25. ubi describitur universale judicium, ad quod congregandæ dicuntur omnes gentes, quarum una constituetur ad dexteram, altera ad sinistram; ad dexteram posita vocabitur ad Regnum; ei verò, quæ ad sinistram erit dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*: sed parvuli, qui sine Baptismo migrarunt, non erunt ad dexteram, nec ad Regnum vocandi; ergo cùm non adsit locus medius, erunt ad sinistram, ac in ignem æternum cum Reprobis detrudendi.

Confirmatur ex eodem S. Mattheo c. 13. Ubi præmissâ parabolâ tritici congregati in horreum, & Zizaniorum in ignem projiciendorum, & sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis, concludit Christus v. 49. *Sic erit in consummatione seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium*, quæ sunt indicia gravissimæ pœnæ sensus: sed parvuli, sine Baptismo mortui, non erunt inter justos; ergo inter malos, & cum illis in caminum ignis mittendi. Huc respiciunt quoque verba Jo. Baptistæ *Matth. 3. v. 12.* de Christo futuro Judice dicentis: *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*: sed parvuli, decedentes sine Baptismo, non sunt granum congregandum in horreum; ergo sunt paleę in igne inextinguibili comburendæ.

XXIX. Respondeo primò, pręfatos textus, nisi aliquâ moderatione temperentur, vix ab ipsismet Adversariis parvulis applicari posse. Nam ipsi estò velint, parvulos puniendos esse pœnâ sensus, eos tamen puniendos dicunt pœnâ mitissimâ: ex præfatis autem textibus nulla pœnarum disparitas colligitur, sed æquali potiùs, eâque gravissimâ omnes, nullâ factâ discretione, plectendos esse arguitur. Secundò. Quotquot (ex iis textibus) tradendi dicuntur æternis ignibus, sup-

supponuntur tradendi propter eorum mala opera. Parvuli autem quodnam malum opus admiserunt propriâ voluntate? Tertiò. Mali, qui ibi tradendi ignibus describuntur, sunt hædi contrapositi ovibus, ideoque ex eodem ovili; sunt pisces conclusi intra eandem sagenam; sunt paleę separatę à tritico in eadem area: quomodo ergo hi mali possunt esse parvuli sine Baptismo, qui nunquam de ovili Christi, nunquam in eadem sagena, in eadem area, quæ est Ecclesia, fuerunt?

XXX. Propterea ex nostrę sententię advocati non pauci censent, præfatis textibus non comprehendi parvulos, qui sine Baptismo decesserunt, sed solos eos, qui per Baptismum in ovile Christi admissi, oves non fuerunt, sed hædi; qui intra sagenam, idest Ecclesiam, conclusi fuerunt pisces mali suis operibus; & in area positi Ecclesiæ, paleæ reperti sunt non triticum: ideòque de solis baptizatis adultis ibi sermonem esse, quia hi soli intra Ecclesiam sunt. Quòd firmant auctoritate S. Aug. *Lib. ad Donatistas post collationem c. 4. L. de fide, & operibus c. 15.* ubi hæc habet: *Propterea omnes gentes segregaturum se dicit, qua permixta eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos*: Domine quando te vidimus illa, & illa patientem & non ministravimus tibi? *Qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortuâ ad vitam perveniretur aternam.*

XXXI. Probabilis est hæc responsio; suis tamen non caret difficultatibus; & primò quidem. Nam si verba illa non ad parvulos non baptizatos, sed ad solos adultos, eosque baptizatos dirigenda sunt, quid de Infidelibus adultis, nec baptizatis dicendum erit? Numquid isti non sistentur judicandi? Numquid ad sinistram non statuentur? Numquid non mittentur in ignem æternum? Secundò. Si præfatos parvulos à judicio illo, & damnatione excludimus, quia in eis non sunt mala opera, ob quæ damnatio infligitur; cùm ea mala opera, ibi recensita, sint sola pietatis opera Christo in pauperibus denegata: dici etiam deberet, adultos, qui opera pietatis exercuerunt, aliis tamen flagitiis implicati mortui sunt, non fore in eo judicio ad sinistram ponendos, & condemnandos, quòd utique falsissimum est.

XXXII. Propter hæc, & alia veriùs censeo, respondendum esse, etiam parvulos non baptizatos ad judicium universale vocandos, ad sinistram ponendos, & condemnationi subiiciendos, suo tamen modo. Et quidem parvulos illos judicio adstituros, non ut de suis operibus, quæ nulla fecerunt, judicentur, sed ut audiant sententiam Judicis supra totum genus humanum; & sic judicentur in suo capite, in quo unicè peccaverunt: ad eum modum, quo traherentur ad audiendam sententiam contra patrem perduellionis reum etiam filii, censuit D. Thomas *in 4. dist. 47. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. ad 3.* dicens: *Etiam pueri, ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparebunt, non autem ut judicentur, sed ut videant gloriam Judicis*: & ut ejus manifestetur justitia, quâ Baptismate per Christum reconciliatos admittit ad vitam æternam, alios verò ab eadem excludit.

XXXIII. Quòd si contendatur, parvulos comparituros in judicio, non solùm ut gloriam Judicis videant, sed etiam ut suo modo judicentur, pro ut velle videtur D. Thomas in 2. *ad Cor. c. 5. lect. 2.* ubi exponens verba Apostoli: *Omnes nos manifestari oportet &c. Omnes nos* (inquit) *idest omnes homines, bonos, & malos, magnos, & parvos*; & consequenter non solùm adultos peccatores, sed etiam parvulos non baptizatos in sinistra collocandos, & ad utrosque verba illa Christi *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, esse dirigendas: responderi potest, vel præcitata verba exponenda esse accommodatè ad culpam; ut scilicet, qui propriâ volun-

tate

tate deliquerunt, & à Regno Cœlesti excludantur, & insuper igni tradendi sint, ab eo in æternum torquendi; qui verò peccatum alienâ voluntate commissum contraxerunt, excludendi sint quidem à gloria Cœlesti, & in locum ignis mittendi, ab eo tamen non sint torquendi. Vel ut docet D. Tho. *in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. ad 1.* quòd *nomine ignis frequenter in Scriptura qualibet pœna figurari consuevit*. Quod repetit *q. 5 de Malo art. 2. ad. 1.* dicens: *Nomine tormenti, supplicii, & gehenna, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna; ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi*. Ignis nomine quamcumque pœnam aliquando intelligi, docuit etiam S. August. *q. 9. in Josue*, ubi ad quæstionem, cur illum, qui furtum fecerat de anathemate, Josue jusserit lapidari, cum Dominus eum cremari jussisset (Josue 7. v. 15.) ita respondet: *Magis quærendum est, cur lapidationem ignem appellaverit Dominus, quàm credendum Jesum aliud fecisse, quàm jusserat Dominus... Proinde ignis nomine potuisse pœnam significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israel*: & eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto, *ubi utique duram tribulationem intelligi voluit*.

XXXIV. Ad confirmat. ex *Matth. c. 13. & c. 3.* dico, ibi sermonem esse solùm de iis, qui per fidem susceptam in Baptismo in sagena conclusi, & areâ positi, idest Ecclesiâ, operibus bonis susceptæ fidei non responderunt: ubi certè locum non habent parvuli non baptizati, qui nec ullum opus fecerunt, nec in Ecclesiam fuerunt admissi. Ecclesiam verò sagenam esse, seu rete, ostendit S. August. *in Psalmo contra partem Donati Littera A.* dicens:

Quisquis novit Evangelium recognoscat cum timore,
Videt reticulum Ecclesiam, videt hoc seculum mare,
Genus autem mixtum piscis, justus est cum peccatore

Areæ quoque comparatam esse Ecclesiam à Joanne Baptista docet idem August. *l. ad Donatistas post collationem c. 10.* ubi arguens Donatistas, quòd id negarent (inquit) *Tentaverunt sanè Episcopi vestri negare scriptum in Evangelio, quòd area sit Ecclesia comparata: sed mox Evangelicorum verborum commemoratione convicti, ad id se converterunt, ut etiam ibi dicerent, occultos malos significatos, non manifestos, de quibus scriptum est: veniet ferens ventilabrum in manu sua &c.*

XXXV. Secundum motivum est. Parvuli sine Baptismo decedentes non sunt scripti in libro vitæ: sed qui non est scriptus in libro vitæ sive magnus sit, sive pusillus, mittendus est in stagnum ignis; ergo &c. Min. prob. ex illo Apoc. 20. v. 12. *Vidi mortuos magnos, & pusillos ...... & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Et v. 15. *& qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

XXXVI. Respondeo, neg. min. Nec obest textus Apocalypsis, qui loquitur de solis adultis. Nam ibi dicitur: *& judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.* Et infra: *& judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum*. Nec obest, quòd ibi dicat Joannes, *magnos, & pusillos* esse judicatos. Nam ibi *pusillos* intelligit, non ætate, aut staturâ, sed dignitate, & gradu; quasi dicat: nobiles, & ignobiles, plebejos, rusticos, liberos, servos, omnes esse judicandos secundùm opera ipsorum.

XXXVII. Tertium motivum est. Præfati parvuli manent filii iræ Dei, ac Dæmonis potestati relicti; ergo tradendi sunt Dæmonibus torquendi.

XXXVIII. Respondeo, neg. conf. Dæmon enim minister iræ Dei non exercet suam potestatem, nisi quantùm Deus vult iram suam manifestare.

re. Vult autem Deus in parvulos manifestare iram suam, non infligendo pœnam sensibilem, sed excludendo eos in perpetuum à visione sui, eo ferè modo, quo David 2. *Reg.* 14. *v.* 24. Absalon in pœnam à conspectu suo rejecit: *Faciem meam non videat*. Quæ tamen adeo gravis Absalon visa est, ut potiùs mori optaverit, quàm tali pœna mulctari, ut habetur ibidem *vers.* 32. Similiter Reges humani à suo Palatio nobiles excludendo, suam in eos indignationem sæpe manifestant. Adeòque etiam parvuli non emundati à culpa originali decedentes, etsi nullâ pœnâ sensus afficiantur, dici possunt *filii iræ*, & Dæmonis potestati relicti, per hoc, quòd in æternum à facie, & visione Dei excludantur. Unde D. Bernardus Serm. 69. in Cant. *Væ etiam* (inquit) *quamvis mitius, quibusdam filiis iræ, qui nati in ira, non expectaverunt renasci in gratia. Nempè mortui, in quo & nati, iræ filii permanebunt. Ira dixerim, non furoris: quia ut piissimè creditur, & humanissimè gemitur, mitissima sunt pœna totum, quo addicti sunt, aliunde trahentium*. Si verò nedum pœnâ damni, sed & sensus plecterentur parvuli, essent filii nedum iræ, sed & furoris, nec pœna eorum esset mitissima.

XXXIX. Quartum motivum ducunt ex auctoritatibus SS. PP præsertim Augustini, quem jactant suæ opinionis Patronum. Primò. Ex *Serm.* 294. *olim* 14. *de Verb. Apost. c.* 3. ubi allatâ sententiâ Christi Judicis alios Regno, alios igni æterno addicentis, alios in dextera, alios in sinistra constituentis: *Hâc* (inquit) *Regnum nominat, hâc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, & mortuis judicabitur: alii erunt ad dextram, alii ad sinistram. Non novi aliud ... si ergo dextra erit, & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus: ecce in dextra Regnum Cælorum est*, Percipite (*inquit*) Regnum. *Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra?* Ite in ignem æternum. *In dextra ad Regnum, utique æternum; in sinistra in ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra; ergo qui non in Regno, procul dubio in igne æterno*. Et infra: *Ecce exposuit tibi, quid sit Regnum, & quid sit ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in Regno, fatearis futurum in igne æterno. Regnum enim Cælorum est vita æterna* = Rursùs *lib.* 1. *de Pecc. merit. & remiss. c.* 28. postquàm ait: *sicut per unum omnes in condemnationem, sic per unum omnes ad justificationem*, statim subjungit: *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sunt cum Christo in Regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait:* Qui mecum non est, adversùm me est &c. Inde pergit ostendens, quòd non baptizatus, si non est cum Christo, adversùs Christum est. Omitto alia loca, quæ ex S. Doctore congerunt Adversarii, quia in idem redeunt.

XL. Sancto Augustino adjungunt S. Fulgentium, qui *lib. de Fide ad Petrum c.* 27. inter fidei regulas, quas proponit: *Firmissimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in utero matris vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive jam de matribus nati, sine Sacramento sancti Baptismatis .... de hoc seculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos. Quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt*. Utrâque ergo pœnâ sensus, & damni puniendi sunt parvuli, sicut adulti; cùm eodem modo de utrisque Fulgentius loquatur.

XLI. Addunt S. Gregorium *l. 9. Moral. c. 16.* modò 21. dicentem: *Perpetua tormenta percipiunt & qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* Quod prius confessi fuerant Episcopi in Sardinia exules *Epist. Synodicâ* his verbis: *De parvulis verò indubitanter tenenda Catholica regula veritatis: Quia parvulus, qui baptizatur, gratuitâ Dei bonitate salvatur: qui verò sine Baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur.*

XLII. Hæc non leve probabilitatis pondus contrariæ sententiæ adjiciunt: quibus tamen probabiliter respondetur. Et in primis quoad S. Augustinum præ oculis habendum est, eum citatis locis agere contra Pelagianos, qui negantes peccatum originale, asserebant parvulos sine Christi Baptismate decedentes non habituros quidem partem in Regno Cœlorum cum Christo, habituros tamen vitam æternam alibi. Unde ponebant eos in statu, seu loco quodam medio inter eos, qui cum Christo sunt in æternum regnaturi, & eos, qui damnandi sunt. Hunc locum, seu statum medium chimericum esse, conatur ostendere Augustinus: quia in extremo Judicio omnes vel in dextra erunt, vel in sinistra; qui in dextra, percipient Regnum cum Christo; qui in sinistra, damnationem subibunt cum Diabolo. Quare cùm parvuli non baptizati etiam secundùm Pelagianos non essent percepturi Regnum æternum cum Christo, quia eidem non incorporati per Baptismum; sequitur necessariò, eos damnandos fore. Unde ait: *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.* Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo.

XLIII. Ex quibus apertè colligo, Augustinum unicè fuisse sollicitum tollere locum medium inter Regnum Cœlorum, & damnationem, in quo Pelagiani collocabant parvulos non baptizatos; minùs autem sollicitum fuisse de qualitate damnationis, & pœnarum, quibus addicantur: & quamvis utatur nomine *ignis æterni*, illud usurpasse, ut designaret genus pœnæ, non speciem, ut superiùs adnotavimus ex D. Thoma. Imò citato sermone de verbis Apost. *cap. 7.* propositis sibi hac de re objectionibus, ait: *Ego istam quæstionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco.* Quod apertè ostendit etiam verbis §. præcedente relatis, tùm ex *Epist. 28.* modò *166. ad Hieron. c. 6.* tùm *lib. 5. contra Jul. c. 11.* ubi non audet asserere, quòd non baptizatis parvulis melius esset non fuisse, sed solùm eos *in damnatione omnium levissima futuros.* Quòd si pœnam quoque sensus paterentur, non esset damnatio omnium levissima; nec timeret dicere, quòd appetibilius eis esset nunquam fuisse (sicut appetibile est à damnatis saltem per accidens) quatenus non esse foret illis alleviativum cruciatus, & pœnæ, ut docet D. Tho. in *Supplem. 3. p. q. 98. a. 3.* Quare estò constanter neget, pro infantibus dari locum medium, attamen l. 3. de Lib. arbit. c. 23. *Potest* (inquit) *dari sententia Judicis media inter præmium, & supplicium.* Uno verbo, parvulos non baptizatos damnari contra Pelagianos statuit Augustinus: quâ autem damnationis specie, liberum relinquit.

XLIV. Ad alias PP. auctoritates eodem modo respondeo, eos nomine *ignis, supplicii, tormenti* sumere genus pœnæ, non speciem. Quod de Sancto Fulgentio maximè dici debet. Nam quòd de pœna parvulorum decedentium sine Baptismo docet, proponit ut dogma fidei: *Firmissimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites.* Sed nullus, credo, audebit asserere, ad fidem spectare, quòd præfati parvuli cruciandi in æternum sint tormento ignis, sed solùm quòd in damnatione sint, & visione Dei in æternum privati; ergo &c. Nec aliud intendunt Gregorius, & Episcopi in Sardinia exules.

XLV. Quintum motivum est. Parvuli

vuli in hac vita puniuntur pœnâ sensus, quod ostendunt morbi, dolores, mors, quibus, aliisque miseriis obnoxii sunt parvuli; ergo eâdem punientur in alia vita, aliàs melioris conditionis essent post mortem, quàm ante mortem.

XLVI. Retorqueri potest in Adversarios. Nam parvuli etiam baptizati in hac vita puniuntur pœnâ sensus, nempè morbis, doloribus &c. ergo ne in altera vita eisdem pœnis subjicientur? Respondeo ergo ex D. Th. in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. ad 3. *Quòd non est eadem ratio de pęna sensibili ante mortem, & post mortem: quia ante mortem pęna sensibilis consequitur virtutem natura agentis, sive sit pęna sensibilis interior, ut febris, vel aliquid hujusmodi, sive etiam sensibilis pęna exterior, ut ustio, sive aliquid hujusmodi. Sed post mortem nihil aget virtute natura, sed secundùm justitia divina ordinem tantùm, sive in animam separatam, in quam constat, quòd ignis naturaliter agere non potest, sive etiam in corpus post resurrectionem; quia tunc omnis actio naturalis cessabit, cessante motu primi mobilis, qui est causa omnis motus, & alterationis corporalis.* Hæc D. Tho. Cùm ergo non constet, Deum ordinasse in altera vita pœnas sensibiles pro solo originali peccato, ideò &c. Nec tamen sequitur, eos fore melioris conditionis in altera vita. Nam melius est sustinere miserias cum spe videndi Deum, quàm illarum expertem esse cum desperatione videndi Deum.

XLVII. Sextum motivum. Adamus peccando non solùm pœnam damni, sed etiam sensus incurrit: at omnem illam pœnam, quam ipse peccando meruit, transfundit in Posteros, & peccatum in Posteris ejusdem speciei moraliter est cum peccato Adami; ergo parvuli cum originali migrantes utrique pœnæ sunt obnoxii.

XLVIII. Respondeo, neg. min. cum D. Tho. *q. 5. de Malo a. 2. ad* 4. dicente: *In uno peccato primi Parentis omnes peccaverunt, ut Apostolus dicit Roman. 7. Sed ad illud unum peccatum non omnes eodem modo se habent. Pertinet enim illud peccatum ad Adam per propriam voluntatem, & est ejus actuale peccatum: & ideo ei pro hujusmodi peccato pœna actualis debebatur. Sed ad alios pertinet per originem, & non per actualem voluntatem: & ideò aliis pro hujusmodi peccato non debetur pœna sensus.*

Hinc estò concedamus, parvulos non baptizatos damnari ad eundem Inferni locum, in quo cum Dæmonibus alii Damnati cruciantur igne; non tamen infertur, eos illo igne cruciari. Quia ut ait D. Tho. ibidem ad 5. *In statu futura vita ignis, & alia hujusmodi activa non agunt in animas, aut in corpora hominum secundùm necessitatem natura, sed magis secundùm ordinem divina justitia; quia ille status est recipiendi pro meritis. Unde cùm divina justitia non exigat, quòd pueris, qui cum solo originali peccato decedunt, pęna sensus debeatur, nihil ab hujusmodi activis tales patientur.*

XLIX. Septimum motivum est. Christus passus est pœnam sensus: sed Christus passus est principaliter pro peccato originali; ergo huic debetur pœna sensus.

L. Respondeo, Christum assumsisse pœnam sensus, non quia debitam peccato originali, aliàs debuisset etiam privari visione beatifica; sed quia voluit satisfacere, tàm pro originali, quàm pro actuali Adami, & Hevæ, & omnium Posterorum.

LI. Octavum. Qui migrat è vivis cum originali peccato, graviori pœnâ puniri debet, quàm qui in statu puræ naturæ positus in eo obiret: sed hic incurreret pœnam damni, æternâ enim fælicitate privaretur; ergo ille præter pœnam damni ulteriori pœnâ, nempe sensus, plecti deberet.

LII. Respondeo, neg. quòd carentia visionis Dei in eo, qui moreretur in statu puræ naturæ, esset pœna, & pri-

privatio: cùm enim ad finem supernaturalem non esset à Deo ordinatus, quòd ad illum non perveniret, non esset illi pœnale; sicut non est pœnale Rustico, quòd non perveniat ad Regnum temporale. At homini in præsenti statu ad finem supernaturalem elevato, & ordinato pœnale est, quòd ab adeptione ejus excludatur; sicut homini ad Regnum ordinato pœnale fieret, si ob demeritum ab eo excluderetur.

LIII. Nonum motivum. Si aliquis decedat cum peccato originali, & veniali simul, patietur perpetuò pœnam sensus: sed pœna perpetua non debetur peccato veniali; ergo debetur peccato originali.

Confirm. Peccatum veniale levius est originali, quia cum gratia cohabitat: sed veniali debetur pœna sensus; ergo multò magis originali.

LIV. Respondeo ex D. Thoma q. 5. de Malo a. 2. ad 8. *Quòd hæc positio non videtur multis esse possibilis, quòd aliquis decedat cum peccato originali, & veniali tantùm. Quia defectus ætatis quamdiu excusat à peccato mortali, multò magis excusat à peccato veniali propter defectum usus rationis. Postquàm verò usum rationis habent, tenentur salutis suæ curam agere. Quòd si fecerint, jam absque peccato originali erunt gratiâ superveniente: si autem non fecerint, talis omissio est eis peccatum mortale. Si tamen esset possibile, quòd aliquis cum peccato originali, & veniali decederet, dico, quòd puniretur pœnâ sensus æternâ. Æternitas enim pœnæ .... concomitatur carentiam gratiæ, ex qua provenit æternitas culpæ. Et inde est, quòd peccatum veniale in eo, qui recedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æternâ pœnâ punitur propter gratiæ carentiam. Et similis ratio esset, si quis decederet cum originali, & veniali peccato.*

LV. Ad confirm. dicit idem S. Thomas *in 2. dist. 33. qu. 2. a. 1. ad 2.* quòd *inter omnia peccata minimum est originale, eo quòd minimum habet de voluntario; non enim est voluntarium voluntate illius personæ, sed voluntate principii naturæ tantùm. Peccatum autem actuale, & etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus, in quo est: & ideo minor pœna debetur originali, quàm veniali. Nec obstat, quòd originale non compatitur secum gratiam; privatio enim gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ, nisi inquantùm ex voluntate est. Unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa.* Quòd autem pœnâ perpetuâ originale mulctetur, hoc est ex perpetua carentia gratiæ, ratione cujus si peccatum veniale sine gratia in aliquo esset, perpetuam pœnam haberet.

§. V.

An Pueri non Baptizati afficiantur aliquo dolore, vel tristitiâ ob carentiam Visionis Dei?

LVI. PRæfatos Parvulos summo dolore, ac tristitiâ tabescere ob privationem visionis Dei sentiunt omnes, qui eos volunt pœnâ sensus torqueri, de quibus supra. Quibus accedit Bellarminus. Contrarium tamen sustinent S. Thomas *in 2. dist. 33. qu. 2. a. 2.* & *qu. 5. de Malo art. 3.* S. Bonaventura, Scotus, & alii.

LVII. Dico ergo tertiò. Pueri sine Baptismo decedentes nullo afficientur dolore, aut tristitiâ ob amissam beatitudinem. Prob. primò. Parvulis sine Baptismo migrantibus subtrahitur exterior pœna sensus, ut superiùs ostendere conati sumus; ergo multò magis eis subtrahitur interior afflictio, *quæ est multò magis pœnalis, & magis opponitur mitissimæ pœnæ, quam Augustinus eis tribuit.* Ita D. Thomas q. 5. *de Malo a.* 3. citato. Rursùs S. Augustinus laudatus *lib. 5. contra Julianum*, postquàm statuit, parvulos illos *in damnatione omnium levissimâ futuros*, quæ qualis, & quanta erit, non audet dicere, subdit: *non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm*

quàm ut ibi essent, potiùs expediret. Atqui si interiori mæstitiâ, & dolore ex amissa beatitudine continuò tabescerent, gravissimâ pœnâ angerentur, ac melius esset illis non esse, quàm ibi, & ita esse; cùm teste Chrysostomo *Homil.* 24. *in Matth.* dolor, quem damnati sentiunt ob amissam beatitudinem, major est dolore sensibili ab igne Inferni causato; ergo &c.

LVIII. Prob. secundò. Nemo dolet de amissione boni, cujus vel non habet cognitionem, vel si habet, ea est valdè imperfecta, & confusa: sed pueri sine Baptismo decedentes, vel non habent cognitionem beatitudinis, quæ in visione Dei consistit; cùm enim sit supernaturalis, haberi non potest nisi per fidem, quam hìc nec habuerunt in actu, nec Sacramentum fidei susceperunt: vel si habent, eam habent quatenus haberi potest per naturam, nempè, ut confusam in ratione communi beatitudinis, videlicet: *Sciunt se propter beatitudinem creatos, & quòd beatitudo consistit in adoptione perfecti boni: sed quòd illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria, quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem*: hoc enim ait Paulus 1. Cor. 2. v. 9. 10. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit... Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Quæ quidem revelatio ad fidem pertinet*; ergo &c. Ita discurrit S. Tho. *q.* 5. *de Malo a.* 3.

LIX Probatur aliâ ratione ejusdem *in* 2. *dist.* 33. *q.* 2. *a.* 2. ubi admisso, quòd præfati parvuli vitâ æternâ se privatos esse cognoscant, & causam, quare ab ea exclusi sint; adhuc tamen nullum ex hoc concipere dolorem, ostendit hoc ratiocinio. Nemo affligitur ex hoc, *quòd caret eo, quod suam proportionem excedit, si sit recta rationis, sed tantùm ex hoc, quòd caret eo, ad quod aliquo modo proportionatus fuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, quòd non potest volare, sicut avis; vel quia non est Rex, vel Imperator, cum sibi non sit debitum: affligeretur autem, si privaretur eo, ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit:* sed pueri decedentes sine Baptismo nunquam fuerunt proportionati, & apti ad habendam gloriam æternam; ergo ex eo, quòd eâ careant, non dolent.

Min. probat D. Tho. sic: *Omnis homo usum liberi arbitrii habens proportionatus est ad vitam æternam consequendam, quia potest se ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebitur: & ideo si ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis, quia amittunt illud, quod suum esse possibile fuit*: sed pueri sine Baptismo morientes nullam proportionem habuerunt ad gloriam; nec enim eis debebatur ex principiis naturæ, cùm omnem facultatem naturæ excedat; nec ex Sacramento fidei gratiam infundente, quod non susceperunt; nec ex proprio actu, quo possent se præparare ad gratiam, quia actus proprios nec habuerunt, nec habere potuerunt; ergo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinæ.

Nec refert, si dicas, quòd fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam, estò non per actionem suam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari; sicut & multi pueri ejusdem conditionis baptizati vitam æternam consecuti sunt = Nam (inquit S. Th.) *Hoc est superexcedentis gratiæ, ut aliquis sine actu proprio præmietur. Unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quàm in sapientibus hoc, quòd eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæ sunt.*

LX. Sententia igitur justi Judicis super pueros non baptizatos est quasi media inter sententiam super electos, & damnatos, ut ex S. Augustino supra observavimus. Nam cum Beatis commune habent, quòd carent omni afflictione tam exteriori, quàm interiori, sicut illi: cùm Damnatis verò in hoc, quòd privantur visione Dei, & lucis corporalis, sicque in illis justitia

ſtitia aliquâ miſericordiâ temperatur. Nam ſicut in Beatis potiſſimùm manifeſtatur miſericordia, in Damnatis verò adultis potiſſimè claret juſtitia; ſic in damnatis pueris manifeſtatur juſtitia, & ſimul aliquomodo etiam miſericordia. Ita diſcurrit S. Bonaventura in 2. *diſt.* 33. *q.* 2.

LXI. Sed contra dices primò. Tales pueri habuerunt proportionem cum gloria ſaltem in Adamo, in quo eorum voluntates continebantur: ſed hoc ſufficit, ut de ejùs jactura doleant; ſicut ſi quis ob delictum patris patrimonio privetur, non minus dolet, quàm ſi propriâ culpâ privaretur, & tamen tunc patrimonium in illius poteſtate non fuit, ſicut nec culpa; ergo amiſſio boni, quamvis non ſit in ſubjecti poteſtate, dolorem rationabilem excitat.

Confirmatur. Sicut pueri baptizati ſe habent ad meritum Chriſti, ita non baptizati ſe habent ad demeritum Adæ: ſed pueri baptizati gaudent propter meritum Chriſti; ergo non baptizati dolent propter demeritum Adæ.

LXII. Reſpondeo, diſt. maj. tanquam cum aliquo ſibi indebito, conc. maj. Sibi debito, nego maj. & min. Ut ergo pueri non baptizati dolere poſſent de amiſſione gloriæ per culpam Adæ, debuiſſet gloria eſſe illis debita; ſicut juſtè dolet filius de patrimonio per culpam patris amiſſo, quia illi debebatur. Ita D. Tho. in 2. diſt. 33. qu. 2. a. 2. ad 3. *Ad habendum proprium patrimonium, vel membra corporis ſui quilibet eſt ordinatus: & ideo non eſt mirum, ſi dolet aliquis de earum amiſſione ſive pro culpa ſua, ſive alienâ eis privetur.* Eſto autem norint, ad eam ſe fuiſſe in Adamo ordinatos, & ejus culpâ illam amiſiſſe, cùm tamen hoc ipſis fuiſſe inevitabile cognoſcant, & nullum in ſeipſis ordinem ad eam experti ſint, de ejus amiſſione non dolent. Nam (ut ait D. Tho. in 2. diſt. 33. loco citato in argum. Sed contra) *Ratio recta non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit, ut vitaretur; propter quod Seneca probat, quòd perturbatio in ſapientem non cadit: ſed in pueris eſt ratio recta nullo actuali peccato obliquata; ergo non turbabuntur de hoc, quòd talem pœnam ſuſtinent, quam vitare nullo modo potuerunt.*

LXIII. Ad confirm. reſpondet D.Th. in 2. citato loco ad 4 & q. 5. de Malo a. 3. ad 2. *Quòd ſicut Apoſtolus dicit Rom. 5. Majus eſt donum Chriſti, quàm peccatum Adæ. Et ideo non oportet, ſi pueri baptizati gaudent propter meritum Chriſti, quòd non baptizati doleant propter peccatum Adæ.*

LXIV. Dices ſecundò. Sicut non poteſt homo non amare ſummum bonum clarè viſum, ita non poteſt non dolere de ejus amiſſione; præſertim cùm ex privatione beatitudinis ſequatur naturaliter triſtitia: & talis privatio parvulis ſit in pœnam.

LXV. Reſpondetur primò, diſt. ant. non poteſt non dolere, ſi illam amiſerit ex voluntate propria, & potuerit non amittere, co. ant. ſi ex voluntate aliena, & inevitabiliter amiſerit, nego ant. ut enim ex D. Tho. ſupra cit. *in 2. diſt. 33. a. 2. in Arg. ſed contra* dicebamus: *Ratio recta non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit, ut vitaretur.* Cùm ergo in poteſtate puerorum non fuerit, ut illa privatio vitaretur, ex ea non ſequitur in eis triſtitia.

LXVI. Reſpondeo ſecundò cum eodem S. Tho. *q.* 5. *de Malo a.* 3. *ad* 1. aſſumtum eſſe verum, quando qui privatur viſione Dei habet de ea diſtinctam cognitionem. Porrò *animæ puerorum in peccato originali decedentium cognoſcunt quidem beatitudinem in generali ſecundùm communem rationem, non autem in ſpeciali: & ideo de ejus amiſſione non dolent.* Addo, quòd ut docet idem S. Doct. ibi ad 4. *Pueri in originali decedentes ſunt quidem ſeparati à Deo perpetuò quantùm ad amiſſionem gloriæ, quam ignorant, non tamen quantùm ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoſcunt.* Et in

2. diſt.

2. dist. 33. q. 2. a. 2. *Immò* (inquit) *magis gaudebunt de hoc, quòd participabunt multum de divina bonitate, & perfectionibus naturalibus*.

Nec obest, quòd præfata privatio sit pœna. Nam, ut ait semper laudatus S. Præceptor qu. 5. de Malo a. 3. ad 3. *Pœna non semper respondet actuali voluntati, puta cum aliquis absens infamatur, aut etiam bonis suis spoliatur se ignorante. Sed oportet, quòd pœna semper sit vel contra actualem voluntatem, vel etiam habitualem, vel saltem contra inclinationem naturalem*. Privatio autem gloriæ est ad summum contra habitualem eorum voluntatem. *Sicut cum alicui ignoranti subtrahitur aliquod bonum, de quo doleret, si sciret*. Ut docet S. Tho. *q. 1. de Malo a.* 4.

LXVII. Neque hinc inferas sequi, quòd nec adulti, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, & sic mortui sunt, desiderio gloriæ cœlestis teneantur, aut eo frustrato crucientur. Nam in adultis ignorantia, & jactura beatitudinis, si eam patiuntur, non fuit inevitabilis, & sine culpa propriæ voluntatis, quà vel in primo usus rationis instanti, vel in vitæ decursu auxilia gratiæ, quæ nulli desunt, respuerunt; quod in parvulis ante usum rationis decedentibus non contingit.

§. VI.

De statu Infantium prædictorum post universale Judicium.

LXVIII. EOs post universale Judicium quâdam naturali beatitudine fruituros sensit Catharinus noster. Alii hujus terræ incolas futuros, & habituros præclaram notitiam, nedum totius Universi, sed etiam rerum spiritualium, imò ipsius Dei auctoris naturalis, cujus erunt perpetui laudatores, & amatores. Attamen

LXIX. Verius existimo primò. Parvulos in originali mortuos, post diem Judicii nullâ beatitudine naturali fore donandos. Beatitudo enim naturalis, quæ importat conversionem ad Deum auctorem naturalem, non est compatibilis cum aversione à Deo auctore supernaturali, ut communis fert Theologorum sententia: at pueri illi semper manebunt in peccato originali, & proinde efficaciter aversi habitualiter à Deo auctore supernaturali; ergo aversi quoque manebunt à Deo auctore naturali. Non negaverim tamen eis quamdam dilectionem naturalem Dei, prout est illis naturale essendi principium, quæ cum aversione à Deo auctore supernaturali stare potest, utpote nec amicabilis, nec efficax, nec perfecta. Quare superiùs cum D. Th. 1. *p. q.* 60. *a.* 5. ostendimus, eam esse quoque in Dæmonibus, etsi à Deo ut ultimo fine naturali, & supernaturali aversi sint: & hoc indicat D.Th. *in 2. dist.* 33. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 5. dum ait, quòd *Quamvis pueri non baptizati sint separati à Deo quantùm ad istam conjunctionem, quæ est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati: imò sibi conjunguntur per participationem naturalium bonorum: & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione*, naturali scilicet, & inefficaci, quâ effectus diligit esse sui principii, quo habet esse, & conservari, non electivâ, & efficaci.

LXX. Neque sequitur, quòd si naturali beatitudine privarentur, tristitiam conciperent, cùm eam ut sibi possibilem cognoscant. = Nego enim sequelam. Nam estò illam ut sibi possibilem cognoscant, non tamen cognoscunt, se fuisse ad illam ordinatos; cùm homini non sit ab intrinseco debita, sed ex gratuita Dei voluntate pendeat. Nemo autem, si rectæ rationis sit, tristatur de carentia alicujus perfectionis sibi indebitæ, ut supra cum D. Thoma ostendimus.

LXXI. Neque dicas. Deus in resurrectione, non obstante culpâ originali, concedet infantibus plura dona gratuita, ut immortalitatem, impassibilitatem, quantitatem, quam habituri

bituri fuissent, si ad adultam ætatem pervenissent; cur ergo eis non concedet naturalem beatitudinem? = Nam discrimen est, quia dona illa non sunt cum peccato originali, & aversione habituali à Deo auctore supernaturali incompossibilia; cum qua tamen incompossibilis est beatitudo naturalis, seu conversio ad Deum auctorem naturalem, ut diximus.

LXXII. Existimo secundò verius, præfatos parvulos post universalem resurrectionem non fore hujus terræ incolas, sed in eodem loco, ubi priùs, videlicet in Inferno, seu velis Lymbo, mansuros. Hoc enim magis congruit menti S. August. *Serm.* 14. *de verbis Apost.* citato, & *lib.* 1. *de Peccat. meritis c.* 28. negantis contra Pelagianos locum medium. Et Concilii Florentini asserentis, dictorum parvulorum animas *mox in Infernum descendere*: nulla autem ratio est, cur dicatur post diem judicii inde liberandas esse. Tùm quia Ecclesiast. 11.v.3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Quibus secundùm Hieronymũ, & alios, indicatur, homines in eo statu, ad quem finaliter destinati sunt, perpetuò mansuros. Eo vel maximè, quòd Judicium universale non erit diversum à Judicio particulari, sed confirmativum, & manifestativum illius.

LXXIII. Præterea: Post universalis Judicii diem omnia elementa suum situm naturalem possidebunt, ut ignis futurus sit supra aerem, aer supra aquas, aquæ autem supra terram, eo modo quo in Mundi initio fuerunt: quamvis postea congregatæ fuerint in locum unum, ut terra congrua esset generationi animalium, & plantarum, quæ post diem judicii cessabunt. Quomodo ergo infantes præfati possent esse hujus terræ habitatores, nisi diceremus, eos instar piscium in aquis nataturos?

LXXIV. Accedit, quòd si post universale Judicium dicti infantes beatitudine naturali donarentur, & in hoc Mundo velut in terrestri Paradiso collocarentur; transirent de non beatis in beatos beatitudine naturali, de captivis in liberos, & forent melioris conditionis, quia peccaverunt in Adamo, quàm si essent in puris naturalibus conditi: unde commodum ex peccato reportarent.

LXXV. Manebunt ergo post universale Judicium infantes prænominati resumtis corporibus in eodem loco, ad quem antea missi fuerunt. Nec inde tamen, sicut nec ante, tristitiam, aut mærorem concipient; quia ibi non erunt tanquam alligati, & detenti ab igne, vel aliquo contrario impediente, ne Deum videant, sicut detinentur Dæmones, & alii Damnati; sed unicè à Deo denegante ipsis concursum ad exeundum ob defectum gratiæ, sine qua incapaces sunt divinæ visionis; Quæ est Doctrina Sancti Thomæ *q.* 26. *de Verit. a.* 1. *ad* 11. dicentis: *In pueris propter defectum gratiæ est sola carentia divinæ visionis sine aliquo contrario impediente activè: sed Damnati in Inferno non solùm privantur divinâ visione propter defectum gratiæ, sed etiam impediuntur quasi per contrarium, ex hoc, quòd circa pœnas corporales occupantur*.

LXXVI. Ex quo fit, quòd ex tali detentione nullam patiantur pœnam sensus, quia illam non apprehendunt, ut sibi disconvenientem, & nocivam; ac subinde nec ex illa tristantur, aut ei reluctant. Unde D. Tho. q. 26. de Verit. a. 1. mox citato ad 5. *Affligens primum* (inquit) *est ipse ignis corporalis detinens animam per modum prædictum; sed hoc tristitiam animæ non ingereret, nisi hoc esset ab anima apprehensum. Unde proximum affligens est ignis ipse detinens apprehensus*. Cum igitur locus ille, vel ignis, ut sibi contrarius, & disconveniens à pueris illis non apprehendatur, deest illis proxima causa tristitiæ.

LXXVII. Hæc probabiliter locuti sumus. Cùm enim Scriptura nihil de statu

ſtatu puerorum poſt extremam diem nobis revelaverit, divinari quidem poſſumus, ſed nihil certi definire. Quare æquum eſt, ut de hoc, & de toto tractatu de peccato originali, in quo abundè immorati ſumus, ſilentium imponamus.

QUÆSTIO XI.

De Statu Naturæ Puræ.

HActenus egimus de ſtatibus, in quibus homo de facto fuit; nimirùm ſtatu innocentiæ, in quo Adam conditus à Deo fuit, & ſtatu lapſus, in quem decidit per peccatum, & in quem omnes Poſteros ſecum traxit. Nunc de alio ſtatu, in quo homo reverâ non fuit, imaginamur tamen potuiſſe à Deo condi, quem vocamus ſtatum naturæ puræ, ſermonem inſtituemus. Primò, quærentes: an iſte ſtatus poſſibilis ſit? Secundò: quænam homini in iſto ſtatu convenirent?

DUBIUM I.

An Status Naturæ Puræ ſit poſſibilis?

§. I.

Quædam ſcitu neceſſaria exponuntur.

I. STatus naturæ puræ, prout hìc accipitur, duo dicit, unum poſitivum, alterum negativum. Poſitivum eſt, quòd in eo ſtatu humana natura habeat quidquid eſt ei connaturale, ſeu debitum ex eſſentiæ ſuæ principiis, puta omnes proprietates, habilitates, & facultates naturales expeditas, & paratam Providentiam in omnibus præfatis ei auxiliantem. Negativum verò eſt, quòd in eo ſtatu natura nihil habeat indebitum, ſive quod ei non ſit aptum in eſſe intra ipſum naturæ ordinem, ſive bonum ſit, ſive malum; hoc eſt, ut neque gratiæ donis, vel aliis beneficiis ad finem ſupernaturalem conducentibus illuſtretur; neque ullo peccato maxime originali ſit infecta, nec pœnis, ut propter ipſum inflictis, ſubjiciatur. Dixi *ut propter peccatum originale inflictis*; quia etſò, ut dicemus, in eo ſtatu ſubjiceretur infirmitatibus, tùm corporis, tùm animi; hoc ideò eſſet, non in pœnam, ſed quia ex conditione naturæ naturaliter fluunt. Unico verbo. Statum naturæ puræ dicimus medium inter ſtatum originalis juſtitiæ, in quo homo primus conditus fuit, & ſtatum peccati, in quem lapſus eſt. Medium dixi per negationem extremorum, quòd nec ſanctitatem includat, quæ dat habenti jus ad vitam æternam; nec peccatum, quo ab ea excludatur ob reatum damnationis.

II. Porrò quia dona gratuita, ſeu indebita, ſunt duplicis generis: quædam enim perficiunt hominem in ordine ad finem ordinis naturalis, & operationes naturales, ut eſſet donum integritatis, conſiſtens præcipuè in perfecta ſubjectione appetitus rationi, & perfectâ interioris hominis concordiâ, ſine qua homo eſt quaſi regnum in ſeipſo diviſum: quædam verò dantur homini ad eum perficiendum in ordine ad finem ſupernaturalem, & operationes ipſi proportionatas, ut dona gratiæ ſtrictè ſumta; proptèrea nomine ſtatus naturæ puræ intelligimus hìc ſtatum excludentem omnia gratuita ſive in ordine ſupernaturali, ſive etiam in ordine naturali; & ſumimus naturam præcisè ſecundùm ea, quæ ex principiis ſuis ſibi debentur; hic enim eſt ſtatus naturæ puræ ſtrictè ſumtæ, cùm alius ſit potiùs ſtatus naturæ integræ.

III. In hoc ſtatu hominem, imò nec Angelum, unquam fuiſſe exploratum eſt; Deus enim creaturas rationales, quas hactenus condidit, ad finem, & ordinem ſupernaturalem elevavit: Angelis cum natura gratiam ſanctificantem largitus fuit: *ſimul eis, & condens naturam, & largiens gratiam,*

tiam, ut ait S. August. *lib. 22. de Civit. Dei c. 9.* primis quoque Parentibus simul cum natura gratiam adoptionis concessit, ut superiùs ostendimus, & indicavit Tridentinum *Sess. 5. Can. 1.* dicens: Adam *Sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*. Solùm ergo difficultas, & controversia est: an status puræ naturæ possibilis sit, non solùm attentâ Dei absolutâ potentiâ (hoc enim nullus negat, cùm potuerit absolutè Deus creare hominem omni gratiâ, & ordine ad supernaturalia destitutum) sed etiam de potentia ordinaria, & operante juxta naturalem rerum creatarum inclinationem.

IV. Lutherus *in cap. 3. Genesis*, negativam partem tuetur, dùm ait, quòd natura Adæ ita erat, *diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tàm naturalia fuere in Adamo, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiant.* Et infra: *Porrò* (inquit) *hæc probant originalem justitiam fuisse de natura hominis: eâ tamen per peccatum amissâ, manifestum est, naturalia non mansisse integra, ut Scholastici delirant.* Veriùs dixisset, *ut Lutherus delirat*.

V. Sententiam negativam in aperto posuit Jansenius tribus libris integris, quos *de statu naturæ puræ* inscripsit. Contendit ergo primò, non potuisse homines peccati originalis expertes creari à Deo sine gratia sanctificante, quæ est (inquit) ipsa caritas Dei super omnia; alioquin natura rationalis mala, stulta, distorta, & perversa crearetur à Deo, quod sapit errorem Manichæorum asserentium, Deum esse auctorem alicujus naturæ malæ. In hoc tanquam uno ex doctrinæ suæ capitibus adeo immobiliter sistit Jansenius; ut contrarium dicat fuisse unum ex præcipuis erroribus Pelagii ab Augustino profligatum; ac plerosque Scholasticæ defensores in hoc, sicut in aliis, ab Augustino recessisse, & filum humanæ rationis potiùs, quàm Ecclesiasticæ traditionis tenere. Contendit secundò, felicem illum statum, in quo Adam creatus fuit, connaturalem illi fuisse; ut aliter creari nequiverit, nec subjici morti, aut aliis miseriis, sive corporis, sive animi.

VI. Eandem sequuntur Gandavensis *Quolibet. 6. q. 11.* Et Estius *in 2. dist. 26.* qui tamen dissentiunt; quòd primus asserit, non solùm integritatis donum, nempe subjectionem virium inferiorum rationi, & membrorum corporis animæ, sed etiam immortalitatem pertinere ad naturam hominis in sua puritate: ita ut sine illis homo peccati originalis expers creari à Deo non potuerit. Alter verò docet quidem, donum integritatis esse donum naturale, & homini competens in puris naturalibus; sed fatetur, immortalitatem primo homini concessam, ei fuisse indebitam; & potuisse à Deo creari hominem purum à peccato, obnoxium tamen morti, ac morbis, & doloribus corporalibus.

VII. Sententia tamen affirmativa communis est in Scholis Catholicis, adeò ut opposita evaserit suspecta. Bancel noster mediâ viâ incedit, & distinguit inter impossibilitatem absolutam, seu physicam, seu servato naturæ ordine, & exigentiâ; & impossibilitatem ex suppositione, moralem, & attento ordine divinæ sapientiæ, & providentiæ: & dicit, physicè, & absolutè loquendo possibile quidem fuisse, hominem sine dono integritatis, tàm in animo, quàm in corpore à Deo creari, sicut fuit possibile creari sine manibus, & pedibus: moraliter tamen, & attento ordine divinæ providentiæ, quæ omnia in sua natura perfecta, & integra, & cum perfectionibus sibi debitis creare voluit, multò magis id voluisse homini, ut cum omni integritate suæ naturæ convenienti crearetur, credendus est: ideoque statum puræ naturæ esse (ait) absolutè possibilem, ex suppositione tamen, & moraliter impossibilem.

§. II.

§. II.

Communis Sententia præfertur.

VIII. Dico primò. Potuit Deus primum hominem, & totum genus humanum creare in ftatu naturæ puræ; hoc eft abfque omni ordine ad gratiam, ad gloriam, & beatitudinem fupernaturalem, & quodcumque auxilium illius ordinis. Hanc veritatem agnovit D. Thomas Q. 4. de Malo a. 1. ad 14. ubi ait: *Carentia divinæ visionis dupliciter competit alicui. Uno modo fic, quòd non habeat in fe, unde poffit ad divinam vifionem pervenire. Et fic carentia divinæ vifionis competeret ei, qui in folis naturalibus effet etiam abfque peccato. Sic enim carentia divinæ vifionis non eft pœna, fed defectus confequens omnem naturam creatam; quia nulla creatura ex fuis naturalibus poteft pervenire ad vifionem divinam. Alio modo poteft alicui competere carentia divinæ vifionis hoc modo, ut habeat in fe aliquid ex quo debeatur ei, quòd careat vifione divina. Et fic carentia divinæ vifionis eft pœna & originalis, & actualis peccati.* Ex quibus fic difcurro: potuit Deus, etiam nullo præcedente peccato, condere naturam hominis cum carentia illius perfectionis, quæ naturæ non eft debita, feu ad quam natura ex fuis principiis nullum dicit ordinem, feu exigentiam: fed ad vifionem Dei natura hominis nullam dicit exigentiam, feu ordinem, imò carentia talis vifionis eft *defectus confequens omnem naturam creatam*; ergo ficut condidit hominem cum ordine ad illam, ita potuiffet illum condere cum carentia talis ordinis.

IX. Hinc meritò S. Pius V. anno 1567. in Bulla data Romæ (quam poftea Gregorius XIII. & Urbanus VIII. confirmarunt) Kalendis Octobris damnavit propofitiones feptuaginta fex Michaelis Baii Decani Lovanienfis, inter quas fequentes, videlicet: *Humanæ naturæ fublimatio, & exaltatio in confortium divinæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda eft, non fupernaturalis.* Quæ erat vigefima prima. Per confortium autem divinæ naturæ non aliud intelligebat Bajus, quàm quòd habetur per gratiam fanctificantem, ut colligitur ex propofitione 42. Idem continent propofitiones 24. & 27. & clariùs propofitio 75. quâ dicit: *Falfa eft Doctorum fententia, primum hominem potuiffe à Deo creari, & inftitui fine juftitia naturali*; nomine juftitiæ naturalis intelligens eam, in qua conditus eft primus homo, nempè peccati expers, & gratiâ fanctificante exornatus. Quod expreffit hâc aliâ propofitione pariter damnatâ, quæ eft 53. *Deus non potuiffet ab initio talem creare hominem, qualis nunc nafcitur.* Cùm ergo propofitiones damnatæ fint falfæ, & contradictoriæ fint veræ, fequitur, verum effe, quòd fublimatio ad confortium divinæ naturæ per gratiam non fit naturalis, fed fupernaturalis; & quòd potuerit à Deo creari homo fine juftitia, & qualis nunc nafcitur, omnibus fcilicet donis fupernaturalibus, & gratuitis fpoliatus.

X. Premitur his Janfenius, hæret, ac velut anguis torquetur *lib. 3. de Statu naturæ puræ cap. 22.* Dicit ergo, cenfuram hanc, fi in rigore fumatur, contrariam effe novem illis partim doctiffimis, partim Sanctiffimis Pontificibus Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Sixto, Cæleftino, Leoni, Gelafio, Hormifdæ, Joanni II. à quibus D. Auguftini doctrina laudata, & ut doctrina Ecclefiæ Catholicæ contra hærefim Pelagianam propofita fuit. Quid autem in doctrina Auguftini frequentius, quàm totam miferiarum, & privationum feriem, quibus nunc fcatet homo, in peccatum refundere; ac hæc omnia homini etiam non peccanti tribuere, nil aliud effe, quàm Deum facere, vel injuftum, & mali auctorem; vel impotentem? Quare con-

concludit: Ne Pontificia Sedes contra seipsam pugnet, & ne dicatur, Ecclesiam variasse fidem, convenienter dicendum, quòd cùm propositiones Baii non eàdem omnes, sed diversis censuris proscriptæ sint; præcitatæ damnatæ non fuerint, tanquam falsæ, sed solùm ut pacis inimicæ, quia contrariæ doctrinæ, quæ in Recentiorum Scholis versabatur; nihil tamen contra earum veritatem determinando. Ita citato loco obloquitur Jansenius.

XI. Sed contra Primò. Unde probat Jansenius, doctrinam de impossibilitate status naturæ puræ, & de justitia connaturali naturæ humanæ, quæ condemnatur in Bajo, approbatam fuisse ab antiquis novem Pontificibus doctrinæ S. Augustini laudatoribus? Certè hoc nec in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, nec in Conciliis Milevitano, & Arausicano II. nec in Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ invenitur. Damnatur quidem Pelagius asserens hominem mortalem factum; itaut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ; sed hoc damnatur etiam ab Ecclesia in præsens, quia de facto ita fuit. At quòd Deus in alia Providentia potuisset hominem ita condere, ut non peccati merito, sed naturæ necessitate moreretur, quod negat Bajus, & Pontifex Pius V. damnavit, nec veteres Pontifices, nec Concilia damnarunt; de hoc enim controversia non erat.

XII. Secundò. Quâ fronte Jansenius sic committit inter se veterum Pontificum sententias cum Recentioribus; ut dicat, sic tenendam esse auctoritatem Recentiorum, ut non lædatur auctoritas Veterum, quasi non sit æqualis in utrisque, & invariabilis doctrina?

XIII. Tertiò. Planè indignum, ac temerarium est, quòd vir privatus suo sensu, & arbitrio applicet partem leniorem censuræ huic, vel illi propositioni: sic enim aperitur via satis ampla ad eludendas censuras cujuscumque propositionis. Eò vel maximè, quòd cùm Pontifices unicè pacis studio, & non decernendo procedunt, sic de una propositione, vel sententiâ disputare vetant, ut oppositam se proinde non damnare declarent; quod multis exemplis ostendere facile est. Cùm ergo præfati Pontifices prænominatas Baii propositiones ita damnent, ut absolutè eas defendere omnibus, & singulis interdicant, signum est, eas tanquam falsas, & erroneas proscribi.

XIV. Quartò. Ut admittit Jansenius, aliquæ ex Bajanis propositionibus in præfata Bulla damnantur ut erroneæ, & hæreticæ; ergo multò magis tali censurâ notantur præfatæ supra relatæ, quæ sunt aliarum ibi damnatarum velut fundamentum.

XV. Melius ergo, & tutius fuisset, si Jansenius, qui se Augustini discipulum esse adeò gloriatur, potiùs quàm hærere inter definitionem Summorum Pontificum, & auctoritatem unius particularis Doctoris, Augustinum ipsum imitatus fuisset. Si enim S. Doctor *lib. contra Epist. fundamenti cap.* 5. non est veritus dicere: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*. Et *Serm.* 2. *de Verb. Apostoli* modò *Serm.* 131. auditis Romani Pontificis in causa Pelagianorum rescriptis, dixit: *Causa finita est*. Potiori jure dicere debuisset Jansenius: *Augustino non crederem, nisi me Ecclesia Catholica, & Supremi illius Rectoris commoveret auctoritas:* & audito ejusdem rescripto contra Bajum, repetere: *Inde* (Româ) *rescripta venerunt. Causa finita est*. Alioquin si liceat Augustino, aut etiam Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ, & Pontificum Definitiones posthabere, vel saltem post istas adhuc dubitare, nulla causa, nullus error finietur. Cuicumque hæretico licebit de Ecclesiæ doctrina censuram ferre, & se excusare ab ea suscipienda,

da, quòd Augustino, Patribus, & Sacræ Scripturæ contraria sibi videatur.

XVI. Verùm ut appareat, quàm inaniter de Augustino glorietur Jansenius, ostendam, S. Pii definitionem Augustini doctrinæ esse conformem. Primò. Quia S. Doctor *lib. 2. aliàs 3. contra Maximin. c. 15.* probans, Filium Dei, si non est ejusdem substantiæ cum Patre, non esse Filium naturâ, sed gratiâ, ponit exemplum in homine, dicens: *Homo nempe ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius, ejusdemque substantiæ, non est verus filius; & ideo fit gratiâ filius, quia non est naturâ*. Si ergo filiatio adoptiva Dei, quæ est per gratiam sanctificantem, convenit homini *non naturâ*, sed gratiâ; ergo non est illi connaturalis, sed indebita, & gratiosè concessa; ergo sine illa potuit homo creari.

XVII. Secundò. Angeli nunquam peccato originali fuerunt infecti: & tamen juxta doctrinam Augustini potuerunt creari sine gratia; ergo multò magis homo, etiam præciso peccato. Min. prob. tùm ex *Lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.* ubi quamvis dicat, Angelos simul cum natura accepisse gratiam, naturam tamen dicit fuisse à Deo conditam, gratiam verò donum naturæ ex largitate datum: *Creavit* (inquit) *simul eis & condens naturam, & largiens gratiam*. Eo autem, quòd donum ex largitate est, non ex natura, vel naturæ debitum est, poterat Angelus absolutè carere. Deinde dicit, quòd qui ceciderunt, minorem acceperunt divini amoris gratiam; ergo amor Dei in Angelis donum fuit, quod ex Largitoris voluntate magis, vel minùs collatum fuit; igitur non connaturalis, aut naturæ debitus. Præterea ibidem dicit: Ad Angelos tunc pertinuisse, quod jam de hominibus dicitur, quòd *Caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis*. Sentit ergo caritatem, tàm Angelis, quàm hominibus dono Spiritus Sancti, non debito naturæ conferri.

Rursùs, *lib. 13. Confess. cap. 2. 3. & 4.* in Angelorum creatione duplicem Dei actionem distinguit: unam, quam vocat *inchoationem rei spiritualis*, quâ naturam quidem accepit, sed quæ saltem tenebrosa fluitaret similis abysso. Alteram, *quâ ab eo illuminata lux fieret*, nempè per gratiam, subjungens: *Sed sicut non te promeruerat, ut esset talis vita, quæ illuminari posset; ita nec cùm jam esset, promeruit te, ut illuminaretur.... ut & quodcumque vivit, & quòd beatè vivit, non deberet nisi gratiæ tuæ &c.* Sicut ergo in Dei arbitrio fuit, Angelos in nihilo relinquere improductos; ita & productos, denegato lumine gratiæ, in naturalibus tenebris informes sinere; quia nec promeruerunt, ut essent, nec cùm jam essent, promeruerunt, ut gratiæ lumine perfunderentur.

XVIII. Probatur ratione Theologicâ. Id est homini ex sua natura, seu connaturaliter debitum, quod vel ex naturæ principiis oritur, vel ad illud habendum naturâ ordinatur: sed gratia ex natura hominis, ejusque principiis non oritur, ut suppono apud omnes certum, nec ex se ad gratiam connaturaliter ordinatur, cùm gratiam respiciat, ut quid totum naturæ ordinem excedens, nec ad eam comparetur secundùm potentiam naturalem, sed solùm secundùm potentiam obedientialem; ergo &c. Aliàs homini ex sua natura deberetur & filiatio Dei, & hæreditas gloriæ.

XIX. Confirmatur. Si gratia, & caritas essent connaturaliter debitæ homini innocenti, seu nullo peccato infecto, ita ut non posset à Deo creari sine illis, potentiâ saltem servante naturæ debitum, sequeretur, gratiam, & caritatem primis Parentibus in creatione infusam, esse gratiam, & non esse gratiam: esse gratiam, ut supponitur: non esse autem; quia repugnat esse gratiam, & esse debitam, ut ipsum gratiæ nomen, & notio significat.

XX.

XX. Respondet Jansenius, gratiæ repugnare quidem debitum ortum ex jure, seu opere creaturæ, non tamen debitum, seu connaturalitatem decentiæ, congruentiæ, & æquitatis. Nihil enim connaturalius, & æquitatem decentius innocenti imagini cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quàm gratia. Unde quamvis Deus eam ipsi negans non faceret contra jus justitiæ, quod sit in creatura; faceret tamen contra sapientiam suam, quam non secus ac justitiam præterire non potest. Additque, quòd sicut Scholastici dicunt, gratiam sufficientem esse gratiam absolutè, & nihilominus debitam esse creaturæ rationali, etiam in hoc statu lapsus, nec posse ei denegari à Deo, alioquin impossibilia juberet Deus: ita dici potest, gratiam habitualem fuisse debitam homini innocenti, & tamen gratiam verè fuisse.

XXI. Sed contra. Nam primò Jansenius supponit, naturam humanam ex se ordinari ad Dei visionem, ut ad finem sibi connaturalem; imò nihil esse ei connaturalius: quod licet ipse doceat, tùm *lib. 1. de Statu puræ naturæ c. 15.* tùm *lib. 2. c. 2. & 3.* tamen falsum est. Secundò. Quia sibi contradicit, dum ait, visionem Dei esse finem naturalem hominis, & adhuc non esse nisi viribus supernaturalibus ab eo acquisibilem. Si enim finis naturalis est, ad quem ex sua natura homo ordinatur; connaturales ei saltem innocenti, atque omnis peccati experti erunt vires, quibus eam possit adipisci; eritque debita non solùm debito orto ex congruitate, & sapientiâ Dei, sed ipso jure fundato in natura ab intrinseco exigente perduci ad suum finem, & requirente media ad illius assecutionem necessaria. Hoc autem tanquam Pelagianum errorem rejecerunt Concilia, & Patres volentes, gratiam, aliaque dona supernaturalia, non solùm excedere opera creaturæ rationalis, quia scilicet illius opere acquiri non potest (alioquin etiam liberum arbitrium, & facultates naturales, quas non facimus, sed cum natura accipimus, essent gratia propriissimè dicta, quod tamen contra Pelagium negabant) sed quia est donum naturæ superadditum superans omne illius debitum, & exigentiam.

XXII. Exemplum autem, quod affert de gratia sufficiente non est ad rem. Non enim ideo dicimus, gratiam sufficientem esse aliquomodo naturæ etiam lapsæ debitam, quia eam absolutè exigat, & ad eam ex se ordinetur: sed dicimus, esse debitam solùm ex gratuita suppositione, quòd Deus naturam ad ordinem supernaturalem creaverit, & ad finem supernaturalem ordinaverit, ei præcipiendo, ut ad illum tendat; hâc enim suppositione factâ, quæ omnino gratuita, & libera Deo est, quis non videt, fieri debita creaturæ auxilia, & media, quibus ad illum finem possit tendere, ne dicatur, Deum velle impossibilia? At in Adversariorum sententia, gratia ponitur debita naturæ innocenti absolutè, & ipsa elevatio ad finem supernaturalem ita statuitur ei conveniens, ut ab eo Deus abstinere non possit, nisi in pœnam peccati; & consequenter nec illam creare sine gratia, aliisque auxiliis ad ejus assecutionem necessariis.

§. III.

Assertio secunda de Dono Integritatis.

XXIII. Dico secundò. Potuit Deus etiam ut providens singulis secundùm suam naturam, & præcisâ quacumque culpâ, condere hominem in statu naturæ puræ, idest absque dono integritatis, & immortalitatis, sive cum inclinatione rebelli partis sensitivæ adversùs rationem, & cum necessitate moriendi. Hæc est mens S. Thomæ, quam expressit in 2. *dist. 31. q. 1. a. 2. ad* 3. his verbis: *Poterat Deus à principio, quando homi-*

hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret; ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur: non tamen iste defectus in eo rationem culpæ, & pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. Similiter dico, quòd in illo, qui ex digito generaretur, tales defectus essent, si principiis suæ naturæ relinqueretur, nisi Dominus gratis hoc sibi vellet conferre, quod primo homini contulit.

XXIV. Nec obstat, quòd 4. *Contrag. cap. 52.* dicat, quòd hujusmodi defectus *quamvis naturales homini videantur, absolutè considerando naturam humanam ex parte ejus, quod est in ea inferius; tamen considerando divinam providentiam ... satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus esse pœnales* = Non obstat, inquam. Nam ibi S. Doctor loquitur de eo, quod de facto contigit, ac de præsenti Providentia, quâ Deus hominem cum justitia originali etiam integritate naturali voluit exornare; unde infert, quòd defectus, qui modò sunt, pœnales sint, & ex eis argui potest peccati originalis existentia. Non verò loquitur in alia Providentia, & alio rerum ordine, quo naturam humanam cum suis præcisè intrinsecis absque ullo dono condidisset, uti loquitur in loco ex 2. *sent.* allato.

XXV. Nostram sententiam probavit S. Pius V. dùm in prælaudata Constitutione sequentes Baii propositiones damnavit, nempe 21. *Integritas primi hominis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* 75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et 76. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.*

XXVI. Accedat auctoritas S. Augustini, cui adeò fidit Jansenius. Primò enim gratiam magnam vocat, quòd Adam innocens non sentiret motus, & pudorem libidinis lib. 4. contra Julian. cap. 16. *Gratia quippe* (inquit) *Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratiâ non habebat in nudo corpore, quòd puderet, spoliatus gratiâ sensit, quod operire deberet.* Si magna gratia fuit, quòd Adam ante peccatum bestialem libidinem non haberet; ergo talis defectus carentia naturæ ejus erat indebita; ergo cum tali vitio creari potuit etiam ante peccatum. Gratiam quoque fuisse in Adamo, non naturam, corporis immortalitatem fatetur *l. 6. de Genes. ad litt. c. 25.* dicens, posse non mori, in quo immortalitas primi hominis sita erat, *ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ..... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris.* = Ne autem dicat Jansenius, Adamum dici immortalem beneficio Creatoris eo modo, quo Angeli immortales gratiâ Conditoris dicuntur in Conc. Constantinopol. VI. *Act.* 11. qui tamen naturâ immortales sunt = Advertere debet, S. Augustinum ibi distinguere inter *non posse mori*, & *posse non mori*. Primo autem modo immortales dicit esse Angelos, idest naturâ, *sicut quasdam naturas immortales creavit Deus:* secundo autem modo homo, quia ex constitutione naturæ poterat mori, beneficio Creatoris poterat non mori sumendo de ligno vitæ.

XXVII. Ignorantiam quoque, & difficultatem posse esse homini naturales, supponit *lib. 3. de Lib. arb. c. 20.* ubi contra Manichæos postquam ostendit, ignorantiam, & difficultatem, quas habet anima, contrahi ex peccato originis, addit, quòd etiamsi Deus animas cum tali ignorantia, & difficultate in corpus misisset; non ideò culpandus esset, quia dedisset ei liberam voluntatem petendi, & conandi,

nandi, ac petenti, & conanti ignorantiam, & difficultatem ablaturus fuisset. Quibus totum evertit Jansenii fundamentum, quo nititur ostendere, culpandum fore Deum, si puram naturam cum talibus defectibus nullo prævio peccato condidisset = Nè autem dicat Jansenius, hæc Augustinum scripsisse, dum ageret contra Manichæos nondum exortâ hæresi Pelagianâ; adeat libros Retractationum, ibique *lib. 1. cap. 9.* inveniet à S. Doctore confirmatam præfatam Doctrinam his verbis: *Quamvis ignorantia, & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro* (de Lib. arbitr.) *disputavimus*. Et *lib. de Dono perseverantia cap.* 11 repetens, quæ *in lib. 3. de Lib. arbitrio*, & *lib. 1. Retract.* dixerat, ait: *Etiamsi verum esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, & difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse natura; vincerentur tamen Manichai, qui volunt duas, boni scilicet, & mali, coæternas esse naturas*.

XXVIII. Ex his omnibus conficitur ratio. Integritas naturæ, & immortalitas, seu exemtio à rebellione appetitus, à morbis corporis, & à morte non est homini naturaliter debita; ergo potuit sine illa creari, non solùm de potentia absoluta, sed etiam de potentia per sapientiam ordinatâ; nam sapiens Providentia Dei solùm tenetur rebus providere de iis, quæ naturaliter sunt debita, non de iis, quæ naturaliter sunt indebita. Antecedens sic ostenditur. Nulli naturæ connaturaliter debetur remedium, seu exemtio à defectu, qui est ipsi connaturalis, sicut naturæ corruptibili non debetur naturaliter exemtio à corruptibilitate; sed integritatis donum, nempe perfecta subjectio appetitus ad rationem, & immortalitatis, sunt remedium, seu exemtio à defectibus, qui homini sunt naturales; ergo &c.

XXIX. Min. pro prima parte probatur. Quod naturaliter componitur ex partibus contrariis, pugnam habet in se connaturalem: sed homo naturaliter componitur ex partibus contrariis, rationali scilicet, & sensitivâ, & consequenter duplici inclinatione, unâ ad bonum honestum, & rationi consonum, alterâ ad bonum sensibile, & delectabile, quod interdum bono rationis contrarium est, & rationis legibus prohibetur, unde febricitans appetit, & sitit frigidum, non obstante, quòd ratio sæpè contrarium suadeat; ex quo oritur interior conflictus, & pugna inter has duas inclinationes; ergo exemtio à tali pugna est exemtio à defectu, qui est homini connaturalis.

XXX. Pro secunda etiam parte eodem discursu probatur. Homo enim naturaliter componitur in corpore ex contrariis qualitatibus, & affectionibus continuam in eo alterationem, & pugnam causantibus, quâ tandem ad interitum, & mortem tendit; ergo exemtio à morte est exemtio à defectu connaturaliter debito. Antecedens probatur tùm ex D. Augustino *lib. 9. de Civit. Dei cap. 13.* dicente: *Homo medium quiddam est, sed inter pecora, & Angelos; ut quia pecus est animal irrationale, atque mortale, Angelus autem rationale, & immortale, medius homo esset inferior Angelis, superior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem cum Angelis, animal rationale mortale*. Cùm ergo mortalitas sit connaturalis pecoribus, & immortalitas Angelis, homini mortalitas connaturalis erit.

Tùm ex D. Tho. in 2. dist. 19. q. 1. a. 4. *Immortalitas illa, & impassibilitas, quam homo habuit in primo statu, non inerat sibi ex suis principiis natura..... sed ex beneficio Conditoris. Unde naturalis propriè dici non potest, nisi fortè naturale dicatur omne illud, quod natura incipiens accepit*. Et 1. p. q. 97. a. 1. *Non enim* (inquit) *corpus ejus* (Adæ) *erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exi-*

sten-

stentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter divinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare. quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset. Quod repetit ibi *ad* 3.

Accedit, quòd si immortalitas homini connaturalis esset, sicut & integritas, in eo mansissent etiam post peccatum; sicut omnia ad naturam, sive ex principiis naturæ fluentia in eo manserunt. Hâc ratione utitur Divus Thomas 1. *p. q.* 95. *a.* 1. dicens: *Manifestum est autem, quòd illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset; cùm etiam in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint*. Quod repetit *in* 2. *dist.* 19. *q.* 1. *a.* 4. *in Arg. sed contra*

DUBIUM II.

Examinantur Fundamenta Jansenii.

§. I.

Quoad Dona Gratiæ, & Gloriæ.

I. UT occurratur variis SS.PP. dictis, qui asseruisse visi sunt, dona integritatis, & gratiæ sanctificantis fuisse naturalia primis Parentibus; ut Cœlestini *Epist. ad Episcopos Galliæ cap.* 1. *aliàs* 4. dicentis: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse*; & aliorum, maximè Augustini, dicentium. Adam amisisse posse naturæ, & possibilitatem naturalem; observandum est, naturale dici non solùm id, quod homo naturaliter exigit, sed id etiam, quod cum naturæ conditione accepit, sive debitum sit, sive ex dono Conditoris, sive ex alia causa proveniens, etsi indebitum, & præter naturam sit. In hoc sensu dicit Paulus Ephes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ*. Non quia hoc à naturâ, vel naturæ debitum sit; sed quia cum natura iræ filiationem contrahimus. Unde D. August. Serm. 14. de Verb. Apost. nunc Serm. 294. c. 14. *Non accusamus* (inquit) *naturam. Naturæ Auctor Deus est. A' Deo bona est instituta natura; sed per malam voluntatem à serpente vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpa, nobis propagatis factum est jam natura*. Et hoc etiam Jansenius ipse confitetur, dum *lib. de Gratia primi hominis*, ait: *Peculiaris est Augustini, ac Discipulorum ejus phrasis, adeòque Concilii Arausicani, quod penè totum ex verbis ejus, totum verò omnino ex ejus doctrina contextum est; ut sub libertate naturali, & possibilitate naturali, ipsâque naturâ totum istud comprehendatur, quod naturæ in ipsa prima conditione collatum est, etiam ipsa rectitudo voluntatis, quâ sine vitio, & culpa adhærebat Deo*. His igitus observatis

II. Primum fundamentum petit Jansenius *l.* 1. *de Statu naturæ puræ c.* 3. ex ordine creaturæ rationalis ad Deum, ut ultimum finem sic. Non potest natura rationalis innocens, & nullius peccati rea à Deo creari incapax assequendæ veræ beatitudinis: sed homo creatus in natura pura, & donis supernaturalibus gratiæ, & caritatis destitutus, esset incapax veræ beatitudinis; ergo in eo statu creari non posset. Major est certa apud S. August. qui *lib.* 13. *de Trin. c.* 8. Omnes beati esse *volunt* (inquit) *ut veritas clamat, ut natura compellit, cui summè bonus, & immutabiliter beatus Creator indidit hoc*; & in Enchirid. cap. 105. *Beati esse sic volumus, ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsùs velle possimus*.

III. Minorem verò probat primò. Nullus homo potest esse verè beatus, nisi sincero amore Deo ultimo suo fini, & summo bono adhæreat, ut sæpe docet Augustinus, & præcipuè *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 1. & *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 8. cùm enim anima rationalis sit imago Dei, nonnisi in Dei possessione quiescere potest; ergo homo creatus in pura natura esset incapax

pax veræ beatitudinis = Neque salvat distinguere duplicem Dei amorem, naturalem, & supernaturalem. Talis distinctio, inquit Jansenius, est humana pronunciatio à Philosophis adinventa, cujus nec in Sacris Litteris, nec Conciliis, nec PP. est invenire vestigium.

Secundò, probat min. Quia, inquit, non potest homo esse verè beatus, nisi fruatur clarâ visione Dei: sed hâc careret homo in statu naturæ puræ; ergo &c.

IV. Respondeo, dist. maj. Incapax assequendæ veræ beatitudinis sibi debitæ ex principiis suæ naturæ, conc. maj. sibi indebitæ, & ad quam ex gratuita Dei bonitate assumitur, nego maj. & similiter, dist. min. nego conseq. Fateor, hominem nullius peccati reum non posse à Deo creari absque ordine ad beatitudinem aliquam, vel finem ultimum. Sed illa beatitudo, ille finis duplex esse potest: nimirùm naturalis, consistens præcipuè in adhæsione Deo per cognitionem, & amorem viribus naturæ possibilem, seu in suavi contemplatione Dei, ut auctoris naturæ, abstractivâ quidem, sed hausta ex creaturis eum maximè repræsentantibus, quales sunt creaturæ spirituales: quæ contemplatio pareret amorem naturalem Dei, & virtutum moralium desiderium, quarum naturaliter homo capax est, & quibus ea bona posset assequi, quæ naturale animæ, & corporis desiderium explerent. Altera est beatitudo supernaturalis consistens in clara Dei visione, & gaudio, seu amore beatifico. In hypothesi autem, quòd homo in puris naturalibus conditus esset, ad priorem quidem finem, & beatitudinem suisset ordinatus, quia connaturalis est, & debita; non tamen ad secundam homini ex suis principiis prorsus indebitam. Quòd enim ad istam quoque fuerit ordinatus, seu veriùs elevatus, eximiæ fuit gratiæ, & liberalitatis divinæ agentis supra totam naturæ exigentiam. Ideò Regius Vates *Psal.* 83. *v.* 12. eam non naturæ, sed gratiæ tribuit: *Gratiam (inquit) & gloriam dabit Dominus*, & Paulus *Rom.* 6. *v.* 23. ait: *Gratia autem Dei, vita æterna*.

V. Quòd verò hanc distinctionem amoris, seu dilectionis Dei in naturalem, & supernaturalem Jansenius rejiciat ceu Philosophorum inventum, parum me movet. Cum enim duplex sit Dei cognitio, una naturalis hausta per discursum ex creaturis, altera supernaturalis habita per fidem: cur sicut ista parit amorem supernaturalem Dei, illa amorem naturalem non excitabit, cùm amor sequatur cognitionem boni? Scriptura quoque id docet. *Rom.* 1. *v.* 2. dicit, quòd Gentes, quia cùm ex creaturis cognovissent Deum, non sicut Deum coluerunt, sunt inexcusabiles; ergo datur Religio, & cultus naturalis Dei; ergo & naturalis ejusdem amor: non enim colitur ille, nisi amando, inquit August. *Epist.* 120. modò 140. *ad Honoratum cap.* 18. Rursus *Rom.* 2. *v.* 14. dicit Paulus, quòd, *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt... ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Sed summum opus legis est, Deum esse diligendum; ergo dilectio Dei scripta est in cordibus hominum; ergo est dilectio Dei naturalis. Deinde Concilium Arausicanum II. *Can.* 25. & Tridentinum *Sess.* 6. *Can.* 3. statuunt, neminem diligere posse Deum, sicut oportet ad salutem, sine prævenientis Spiritus Sancti gratiâ. Cur autem hæc limitatio poneretur, si nullus alius esset possibilis amor, nisi supernaturalis, & ad salutem conducens?

VI. Meritò igitur confixæ fuerunt à S. Pio V. in sæpè laudatâ Constitutione sequentes Baii propositiones, nimirùm: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur, ut glorificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum Sacris*

nis litteris, & plurimis Veterum testimoniis excogitata. Quæ est num. 34. Et ista, quæ est num. 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumtionis humanæ cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus*. Ne autem dicatur, eas prohiberi, non quia falsas, sed quia censurâ notant oppositas propositiones; advertatur ista pariter damnata, quæ nullam continet censuram, & est 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur*. Igitur præter amorem Dei supernaturalem, qui in cordibus nostris diffunditur per Spiritum Sanctum, datur alius amor, qui non est vitiosa cupiditas, sed amor naturalis Dei.

VII. Hujus autem duplicis amoris rationem docet D. Tho. *in Cap.* 13. 1. *ad Cor. Lect.* 4. dicens: *Amor est quadam vis unitiva; & omnis amor in unione quadam consistit. Unde & secundùm diversas uniones diversæ species amicitiæ à Philosopho distinguuntur. Nos autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo. Una est quantùm ad bona naturæ, quæ hîc participamus ab ipso. Alia quantùm ad beatitudinem, in quantùm nos hîc sumus participes per gratiam supernæ felicitatis, secundùm quòd hîc est possibile: speramus enim, ad consecutionem illius æternæ beatitudinis pervenire, & fieri cives Cœlestis Jerusalem. Et secundùm primam communicationem ad Deum est amicitia naturalis, secundùm quam unumquodque secundùm quòd est, Deum ut causam primam, & summum bonum appetit, & desiderat, & finem suum. Secundùm verò communicationem secundam, est amor caritatis, quâ solùm creatura intellectualis Deum diligit*.

VIII. Instat tamen. Nulla potest esse vera beatitudo extra visionem claram Dei; ergo vel non datur beatitudo naturalis, vel ista in visione clara Dei consistit. Antecedens probatur primò. Nulla datur vera beatitudo, nisi quæ satiat omne desiderium hominis, sed hoc in sola Dei visione satiatur; ergo &c. Min. probatur. Qui videt effectum, non satiatur, nisi videat causam. Probatur secundò. Omnis vera beatitudo hæc requirit, nempè, quòd beatus nec possit offendi, nec falli, nec mori, & securus sit de perseverantia sui status beatifici; unde S. August. l. 14. de Civit. Dei c. 25. *Ipse* (inquit) *justus non vivit, ut vult, nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit, eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit, nec plenè, atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit*. Nullam autem ex his conditionibus haberet beatitudo posita in homine, qui esset in statu puræ naturæ.

IX. Instat secundò. Visio beatifica est naturaliter debita creaturæ rationali, utpote finis ejus ultimus; ergo naturaliter eam homo appetit, nec eam illi denegare potest Deus absque ejus prævia culpa. Quare D. Aug. *l.* 1. *contra duas Epist. Pelagian. c.* 22. & *l.* 2. *contra Julian. c.* 3. reprehendit Pelagianos, quòd dicerent, infantes nasci sine peccato originali, & adhuc morientes sine Baptismo excluderent à Regno Cœlorum. Et *Serm.* 14. *de Verb. Apost.* nunc *Serm.* 294. *c.* 6. sic Pelagium increpat: *Quare patrimonium Regni Cœlorum abripis innocenti? .. Quæ est ista justitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec suam, nec de parente tractam?* Qui discursus non valeret, nisi Regnum Cœlorum esset naturaliter debitum homini nullâ maculato culpâ.

X. Respondeo, negando absolutè ant applicatum homini in statu puræ naturæ, & ad claram Dei visionem non ordinato. Ad primam autem prob. dico, quòd beatitudo illa naturalis satiaret omne desiderium rationabile conveniens homini in illo statu. Dato

to autem, quòd visis Dei effectibus nasceretur in eo aliquod desiderium videndi Deum, hoc esset ad summum conditionatum, nempè si ei apparet possibile, quod animi quietem non interturbat; eo modo, quo in rustico nasci potest desiderium evadendi Imperatorem, quod animi tranquillitati non obest, cum ei non appareat possibile: non tamen absolutum, & efficax, cùm ei non appareret possibilis finis, nec media, quibus ad eum posset pervenire. Solum autem desiderium absolutum, & efficax, si non impleatur, parit anxietatem.

Ad secundam, ant. probat. dico, illas conditiones spectare beatitudinem non temporalem, hujus vitæ, & naturalem tantùm, sed æternam, alterius vitæ, & supernaturalem, à qua omnes exulant anxietates. Fatentur enim ipsimet Adversarii, duplicem distingui posse beatitudinem, unam imperfectam, in qua fuisse, dicunt cum Augustino *lib. 14. de Civit. Dei c. 26.* Adamum, antequam peccaret. Et l. 11. c. 12. *Quis* (inquit) *primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine, quàm diuturna, vel utrum æterna esset, incertos?* Alteram perfectam, inamissibilem, & æternam, de qua securus fuisset, si non peccasset. Cur ergo similiter nobis in casu nostro non licebit asserere, hominem in statu puræ naturæ conditum habiturum beatitudinem in ordine naturali inchoatam, & imperfectam in præsenti vita; alteram in eodem ordine perfectam, & æternam in altera vita, si legem naturalem, auxiliis illius ordinis adjutus, servasset?

XI. Qualis autem futura esset homini in statu puræ naturæ beatitudo post hanc vitam, incertum omnino est. Inprimis inverisimile non judico, hominem in statu puræ naturæ conditum potuisse processu temporis absque ullo suo merito, ex mera liberalitate, & gratiâ ad ordinem supernaturalem elevari, & transferri; ut mediis supernaturalibus instructus posset beatitudinem supernalem sibi procurare. In hoc enim nullam video repugnantiam. Dato autem, quòd Deus hominem in statu puræ naturæ conditum, in eo statu usque ad mortem relinquere vellet; nihil certi definire possumus de circumstantiis, quæ comitarentur beatitudinem ejus post hanc vitam illam. Ettò enim certum sit, eam non fore locandam in clara, sed solùm abstractivâ Dei notitiâ: de modo tamen, quo id contingeret, ambigitur. Quidam enim putant, quòd in eo statu non esset futura corporum resurrectio; sed homines, qui benè operati essent in via, futuri essent beati solum in anima. Alii futuram resurrectionem corporum existimant, & homines beatos futuros, non solum quoad animam, sed & quoad corpus. Alii dicunt, quòd quando justus ad debitum statum virtutis pervenisset, Deus ipsum in corpore, & anima rapuisset, sicut de Henoch, & Elia legitur, & vivum transtulisset in locum à se determinatum; ubi eum conservasset in æternum, ut nunquam gustaret mortem. Sed hæc. & alia divinando potiùs dicuntur. Quid enim futurum esset in eo statu, Deus novit.

XII. Ad secundam instantiam, nego ant. Neque Augustinus contrarium sentit: loquitur enim, non de homine in statu puræ naturæ relicto, sed de eo in præsenti statu; in quo supponitur jam elevatus, & ordinatus ad finem supernaturalem, qui est possessio Dei clarè visi in Regno Cœlorum. Suppositâ autem tali ordinatione non potest Deus justè in executione hominem ab ea rejicere, nisi in pœnam alicuius culpæ. Et propterea benè reprehendens Pelagianos, qui ex una parte infantes sinè culpâ originali, & suâ asserebant; & ex alia ab ingressu in Regnum Cœlorum arcebant, dicit: *Quæ est ista justitia? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam &c.?* Non autem loquitur in hypothesi, de qua agimus, in

qua

qua supponimus, nullum hominum ad beatitudinem supernaturalem fuisse ordinatum; tunc enim homini fuisset prorsus indebita.

XIII. Secundum Jansenii fundamentum est. Creatura rationalis institui à Deo non potest, nisi cum voluntate ordinatâ ad Creatorem amandum amore casto, & propter seipsum: sed amor iste absque beneficio gratiæ haberi non potest, ut passim docet S. August. ergo &c.

Si respondeatur, dist. maj. quin ordinetur ad Creatorem amandum amore, vel naturali, vel supernaturali, co. maj. amore tantùm supernaturali, qui sit perfecta caritas, nego maj. Quæ distinctio patet ex dictis

XIV. Contra urget. Amor, ut sit castus, debet amare Deum propter Deum, & non propter aliud, quo scilicet unicè Deum quærit; *Nam* (inquit de Israelitis August. in Psalm. 77. num. 20.) *qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant*: sed talis amor castus, qui sit propter Deum, non potest haberi sine verâ, & propriè dictâ gratiâ Dei, & quin sit supernaturalis, ut idem Augustinus passim docet; ergo &c.

XV. Quod confirmat. Nam præcipuus Pelagii error fuit, quòd assereret, aliquem purum, & castum Dei amorem haberi posse naturæ viribus. Quare inter ipsum, & Catholicos gravis fuit concertatio, de qua ait D. August. l. de Gratia, & lib. arb. cap. 18. *Unde est in hominibus caritas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*. Et *lib. de Natura, & Gratia cap. 2.* dicit, eos, qui nihil de Christo audiverunt, quique solum credere possunt in Deum sui auctorem, & rectè vivendo eius implere voluntatem, neque hoc facere posse absque gratiæ Dei beneficio. *Quod si* (inquit) *fieri potest, aut potuit, hoc & ego dico, quod de lege dicit Apostolus; ergo Christus gratis mortuus est*. Quod & Gentiles Philosophi agnoverunt, nempe amorem, quo Deus naturali lumine cognitus, diligendus est, non posse hominibus inesse absque Dei gratia, & beneficio, ut testatur Sanctus Augustinus *l. 4. contra Julian. c. 3.*

XVI. Respondeo, dist. maj. propter Deum & non propter aliud tanquam finem cujus gratiâ, co. maj. & non propter aliud velut excitans ad Dei amorem, nego maj. Amor castus requirit quidem, ut ametur Deus propter se; ita ut ipse sit finis, ad quem nos, & omnia nostra referamus: non excludit tamen, ut ad Deum sic amandum, & colendum moveamur, & excitemur à bonis, & beneficiis in nos collatis. Scriptura enim sæpiùs hortatur nos ad Deum amandum, & colendum ob eximia ipsius erga nos beneficia: Scriptura autem certè nos non hortatur ad amorem vitiosum, & impurum.

Sanctus autèm Augustinus loquitur de iis, qui potiorem rationem beneficiorum habebant, quàm Dei; unde dicit: *Non utique Deum, sed illa quærebant*, Deum quodammodo postponentes beneficiis, & ita affecti, ut si beneficia non conferret, Deum non amarent: unde concludit S. Doctor: *Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur*. Et infra num. 21. *Rectum itaque cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum .... In corde autem non recta* (generatio prava) *cum Deo, ubi ea potiùs diligebat, propter quæ Dei adjutorium requirebat*.

XVII. Ad confirm. dico, errorem Pelagii non fuisse, quòd assereret naturæ viribus elici posse amorem Dei auctoris naturæ super omnia; sed quòd assereret, solis naturæ viribus sine gratiâ haberi posse amorem Dei etiam auctoris supernaturalis, & talem, qualem oportet esse ad justificationem. Et contra hunc errorem dimicabat pro Catholicis Augustinus. Addo, quòd dato, in præsenti statu naturæ vitiatæ non posse solis naturæ viribus, Deus etiam

etiam ut auctor naturæ super omnia efficaciter diligi, ut probabiliter docent Nostri in Tractatu de necessitate Gratiæ; non est tamen, cur in statu puræ naturæ hoc denegetur. Sanctus autem Augustinus in citatis locis apertè loquitur de fide, & aliis operibus ad finem supernaturalem tendentibus; ad quæ certè gratiæ beneficium necessarium est, ne dicatur, quòd Christus gratis mortuus sit. Gentiles autem Philosophi voluerunt quidem amorem Dei, & sapientiæ haberi non posse absque Dei beneficio; non quidem ordinis supernaturalis, nam de hoc (fatentibus ipsis Adversariis) nullam habuerunt cognitionem; sed ordinis naturalis, quod esset effectus illius Providentiæ, quæ limites ordinis naturalis non transcendit. Et hoc quoque dicimus de amore Dei in statu puræ naturæ, qui haberi non posset absque speciali beneficio, sed intra limites ordinis naturalis se continente.

XVIII. Tertium fundamentum est. Homo non potest creari in illo statu, in quo adjunctam habeat impotentiam acquirendi rectitudinem, justitiam, & opera virtutum exercendi: sed talis esset status hominis in pura natura; cùm teste Augustino, quidquam veræ rectitudinis, justitiæ, & virtutis sine gratia sanctificante haberi non possit, ut docet *l. 1. Retract. c. 9.* ergo &c.

XIX. Respondeo, neg. min. ut enim in Tract. de necessitate Gratiæ ostenditur, plures homines, etiam in statu naturæ lapsæ, extra statum gratiæ sanctificantis, imò & fidei, opera virtutis exercent laude digna. Et hoc fatetur Augustinus ipse *l. de Spiritu, & littera c. 27.* dum ait: infidelibus, *quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus.* Et rationem assignans: quia (inquit) *Non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm creantur, impressum est.* Si ergo hoc in statu naturæ corruptæ contingit; quantò magis in statu puræ naturæ nullo peccato vitiatæ contingere posset. Imò *l. 4. contra Julian. c. 3.* permittit ei dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ, dummodo fateatur, ea esse sterilia ad vitam æternam promerendam. Quare dùm alibi dicit, nullam esse veram virtutem sine gratiâ, loquitur non absolutè, sed comparatè ad veram, ac æternam felicitatem, contrapositè ad id, quod asserebant Pelagiani, volentes, virtutes viribus naturæ sine gratiâ veras esse virtutes, & ad vitam æternam aliquomodo viam parare. Unde idem August. laudato loco dicit, quòd Philosophi, qui definierunt virtutem, quòd sit *Animi habitus naturæ modo, & rationi consentaneus, verum dixerunt. Sed quid sit consentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt.*

XX. Porrò sine gratiâ, & fide dari posse virtutem aliquam, quæ ex objecto, fine, & circumstantiis habeat rationem veræ virtutis, dicere tenemur; ne incidamus in errorem Baii, cujus inter propositiones damnatas 25. est: *Omnia opera Infidelium sunt peccata.* Et 26. *Philosophorum virtutes sunt vitia.* Quarum oppositum demonstrat S. Tho. 2. 2. *q.* 10 *a.* 4. dicens: *Manifestum est, quòd infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, operari possunt. Unde non oportet, quòd in omni suo opere peccent: sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quòd non refert ad finem infidelitatis.* Idem docet in *c. 14. ad Rom. L. ct. 3. in fine.* Multò ergo magis homo in statu puræ naturæ, estò non

non posset facere actus bonos bonitate supernaturali, & meritorios vitæ æternæ; posset facere actus naturales moraliter bonos, & meritorios præmii naturalis

§. II.

Fundamenta contra Concupiscentiam rebellem in statu Puræ Naturæ.

XXI. Diximus, Deum potuisse creare hominem in statu naturæ puræ absque dono integritatis, idest cum rebellione appetitus ad rationem, cum ignorantiâ, & cum defectibus corporis, nempe morbis, morte, qui tunc essent defectus naturam consequentes, non tamen pœna, ut modò sunt.

XXII. Primò igitur opponunt, non potuisse hominem in pura natura condi cum appetitu rebelli. Nullum vitium est homini naturale: sed rebellio appetitus contra rationem est quoddam vitium; ergo non convenit homini naturaliter, nec in statu puræ naturæ posset reperiri.

XXIII Respondeo, neg. min. Concupiscentia enim, seu vis rebellativa partis inferioris contra rationem absolutè vitium naturæ non est, nec esset in statu puræ naturæ; sed est, & esset defectus, seu naturalis imperfectio, consequens ex principiis naturæ, quia compositæ ex partibus naturaliter discordibus, vel ad discordiam pronis. Sicut enim ex eo, quòd aliquid sit naturaliter constans materiâ, & formâ separabilibus, sequitur, illud esse corruptibile; & ex quo homo ex nihilo est, sequitur, esse peccabile, sive defectibile, à quo defectu Deus neminem liberat, nisi in statu beatitudinis: ita ex quo homo sit compositus ex contrariis appetitibus, sequitur naturaliter pugna unius contra alium. Quare S. August. *l. 5. contra Julian. cap. 7.* consentit Juliano dicenti, libidinem esse naturalem: *Quod autem nunc agitur, naturalem esse libidinem, & ego dico ... cùm igitur libidinem, & naturalem esse, & vinci posse, ambo dicamus; utrum bonum vincamus, an malum; ipsa inter nos vertitur quæstio.* Et S. Chrysost. homil. 19. ad populum Antioch. *Nisi* (inquit) *consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturale, ut malè concupiscere, jam est voluntatis.*

XXIV. Opponunt secundò. Concupiscentia non est à Deo, sed à peccato, ut passim docet Augustinus in libris contra Julianum, & de Nuptiis, & concupiscentia. Quod expressit etiam S. Joannes *Epist. 1. c. 2. v. 16.* dum de concupiscentia ait: *Quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Et S. Jacobus *cap. 1.* postquam dixit, quòd Deus neminem tentat, subdit v. 14. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia suâ.* Atqui si concupiscentia esset naturalis, & naturæ puræ conveniens, esset à Deo, à quo est ipsa natura; ergo &c.

XXV. Respondeo dist. Maj. concupiscentia, ut dicit inordinatam cupiditatem boni delectabilis contrarii rationi, non est à Deo, conc. maj. ut dicit vim appetitivam boni sensibilis naturæ convenientis, non est à Deo, nego maj. Concupiscentia sumi potest dupliciter. Primò, ut vulgò usurpatur, pro inordinata cupiditate boni delectabilis contrarii rationi; & hoc modo à Deo non est, sed à peccato: in quo sensu eam sumunt sancti Augustinus, Joannes, & Jacobus laudati. Secundò pro potentia, vel actu appetendi tantùm sensibilia; quo pacto nil aliud est, quàm potentia, vel actus appetitivæ facultatis appetendi ea, quæ naturæ conveniunt, vel necessaria sunt: & hoc modo naturam consequitur, & à Deo auctore naturæ causatur.

Nec obest, quòd possit erumpere in actus inordinatos, & turpes: sicut vita, sensus, & intellectus naturales perfectiones sunt à Deo nobis concreatæ,

tæ, & pariter voluntas; quamvis voluntas possit ad malum, & intellectus ad falsum declinare, sensus circa sensibilia deludi, & vita per mortem desinere: ita potentia appetendi sensibilia erit potentia naturalis à Deo procedens; etsi in motus vitiosos, Deo, ac rationi rebelles erumpere possit. Hoc enim modo defectus naturæ est ad potentiam peccandi spectans: & præter intentionem Creatoris, ex sola conditione materię proveniens. Sicut rubigo, quam gladius ferreus contrahit, provenit ex sola conditione materiæ ferri, non verò à fabro ferrario, licèt ipse gladium fecerit. Exemplum, sicut & doctrina est, S. Thomæ 1. 2. *q.* 85. *a.* 6.

XXVI. Opponunt tertiò. Motus concupiscentiæ pudorem ingerunt etiam impudentibus; unde membra, in quibus vigent, & opus, quod illis agitur, tegere student: sed in puris naturalibus nihil esset pudendum, quia natura est opus Dei; faceret autem injuriam Deo, qui de ejus opere erubesceret. *Quod enim* (inquit) S. August. l. 2. de Nupt. & Concup. c. 9.) *potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere? Et quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine; cùm omnes opifices quanto possunt labore, & industriâ id agant, ne de suis operibus erubescant?* ergo &c.

XXVII. Respondeo, neg. min. Puduisset enim libidinis, & operis, quod eâ perficitur, hominem etiam in statu puræ naturæ; quia pudendum est, quòd animus vincatur à corpore, & quòd appetitus rationem, cui parere debet, absorbeat, & secum trahat. In cæteris motibus, ut iracundiæ, non membra trahunt voluntatem, aut movent; sed membra, puta manus, aut pedes à voluntate moventur: at in motibus libidinis contrarium evenit: libido enim suo nutu genitales corporis partes ita movet, & mancipat, *ut moveri non valeant, si ipsa defuerit, aut nisi ipsa vel ultrò, vel excitata surrexerit. Hoc est, quod pudet, hoc est quod intuentium oculos erubescendo devitat: magisque fert homo spectantium multitudinem, quando injustè irascitur homini, quàm vel unius adspectum & quando justè miscetur uxori.* Ita S. August. *l.* 14. *de Civit. Dei c.* 10. Hoc in statu puræ naturæ contigisset. Quòd enim in statu innocentiæ hoc non evenisset, non fuisset conditione naturæ, sed dono gratiæ originalis, quâ natura pura caruisset, ut docet Aug. citatus. Unde quando dicit, pudorem esse peccati appendicem, loquitur de concupiscentia, quæ modò est in homine, tanquam pœna ex peccato inflicta. Propterea citato l. 2. de Nupt. c. 9. subdit: *Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Illa est pœna peccati, illa plaga, vestigiumque peccati &c.*

Neque sequitur, quòd si homines in statu puræ naturæ puduisset motuum libidinis, puduisset operis Dei. Ut enim superiùs dicebamus, motus inordinati libidinis non essent opus Dei, sed defectus conditionem materiæ sequens, & à Deo in natura relictus; quem impedire quidem potuit, sed ut Provisor universalis non debuit. Et ideò dum puderet illorum motuum in illo statu, non puderet operis Dei, sed defectus naturam consequentis. Sicut dum pudet militem gestare gladium rubiginosum, non pudet operis artificis, sed pudet gladii ex tali materiâ, nempe ferreâ, confecti. Benè autem inferebat Augustinus, quòd si puderet libidinis, puderet operis Dei; quia cùm Julianus (contra quem agebat) poneret, libidinem esse bonam, & adeò bonam, ut Deus illam primis Parentibus concesserit tanquam munus terreni Paradisi felicitate dignum; optimè sequebatur, ipsum inferre injuriam Deo, dum de Dei dono erubesceret.

XXVIII. Opponunt quartò. Rebellio carnis contra rationem est contra naturam hominis; ergo in statu puræ natu-

naturæ ei non conveniret. Antecedens probatur primò. Quia pars inferior naturaliter subest rationi: unde S. August. *l. 2. contra Julian. c. 8.* approbat Ambrosii dictum: *Princeps, & domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet, & regere*. Et D. Tho. 1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. *Quia* (inquit) *in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, intantùm concupiscere est homini naturale, inquantùm est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam; & talis est concupiscentia originalis peccati.*

Secundò. Cùm enim appetitus sensitivus in homine sit affinis rationi, eique conjungatur, ut inferior superiori; naturale debet esse ei inclinare in bonum sensibile cum subordinatione ad rationem.

XXIX. Respondeo cum D. Tho. *1. p. q. 81. a. 3. ad 2.* quòd pars inferior naturaliter subest rationi, ut eam gubernanti, non quidem despotico, sed politico, & regali principatu: *Est quidem* (inquit) *in animali contemplari & despoticum principatum, & politicum. Anima quidem corpori dominatur despotico principatu; intellectus autem appetitui politico, & regali. Dicitur enim despoticus principatus, quo aliquis principatur servis, qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio præcipientis, quia nihil sui habent. Principatus autem politicus, & regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis; qui etsi subdantur regimini præsidentis, tamen habent aliquid proprium, ex quo possunt reniti præcipientis imperio. Sic igitur anima dominatur corpori despotico principatu; quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animæ, sed statim ad appetitum animæ movetur manus, & pes, & quodlibet membrum, quod natum est moveri voluntario motu. Intellectus autem, seu ratio dicitur principari irascibili, & concupiscibili politico principatu; quia appetitus sensibilis habet aliquid proprium, unde potest reniti imperio rationis.* Sicut ergo civis potest non obedire Principi, quando bonum publicum, quod ei præcipitur, adversatur bono proprio; quæ potentia estò non sit perfectio, sed potiùs defectus libertatis in cive; est tamen naturalis, sicut cuilibet creaturæ naturalis est potentia ad deficiendum: ita similiter appetitus sensitivus poterit non obtemperare rationi, quando accidit, quòd bonum rationis adversetur bono sensibili, quod ei ab imaginativa, & sensu fortiùs proponitur; quæ tamen potentia, seu veriùs, defectus est appetitui congenitus, nisi per gratiam tollatur; quod in statu puræ naturæ non contingeret.

XXX. Eodem modo exponitur dictum S. Ambrosii à S. Augustino laudatum, quòd nempè anima sit Princeps, & domina carnis principatu politico, non despotico: nam si eam domare debet, signum est, quòd ejus imperio potest reniti.

XXXI. Ad auctoritatem S. Thomæ communiter respondent Nostrates, sensum D. Thomæ esse, quòd concupiscentia, quæ transcendit limites rationis, sit contra naturam hominis secundùm quòd in conditione primi hominis fuit à Deo instituta cum donis integritatis, & justitiæ originalis; non verò contra naturam secundùm se, qualis institui potuit, scilicet cum iis præcisè etiam defectibus, quæ naturaliter illi conveniunt. Estò enim naturaliter regi petat à ratione; deficere tamen potest à tali regimine, si appetitus magis ab imaginativa, & sensu moveatur.

Ad id. quod additur, dico. appetitum sensitivum in homine naturaliter sic conjungi rationi, ut superiori, ut etiam naturaliter possit ab ea deficere; maximè quando contra inclinationem ad bonum rationis reclamat inclinatio contraria ad bonum sensibile.

XXXII. Sed instabis contra dicta. Non est congruus ordo naturæ, ut pars

pars inferior rebellet contra superiorem, eique dominetur: sed hoc contingeret in statu naturæ puræ, si in eo rebellio concupiscentiæ contra rationem admitteretur; ergo &c. Min. prob. cum enim fine gratiâ concupiscentiæ motus vincere voluntas non possit, & gratia in statu puræ naturæ non adesset; sub dominatu concupiscentiæ captiva teneretur voluntas, & careret libertate inde evadendi, & assurgendi ad amorem boni, quo quid absurdius? ergo &c.

XXXIII. Respondeo ad ma. non esse quidem congruum naturæ ordinem, ut pars inferior dominetur superiori, quasi id ordo naturæ postulet; postulat enim potiùs, ut superior contineat inferiorem, eique dominetur. Verùm cùm in natura non tantæ sint vires, ut possit eam continere, ne aliquando rebellet; ideo naturæ ordini non repugnat, sed consentaneum est, ut patiatur hunc defectum, & hanc pugnam in se experiatur. Neque tamen sequitur, in naturâ omni gratiâ supernaturali destitutâ partem superiorem non posse inferiorem vincere, & sub dominatu istius necessariò fore: adesset enim in voluntate naturalis potestas appetitum inferiorem cohibendi. Si enim adest nunc in natura corruptâ vis cohibendi motus parvos, & tentationes leves vincendi; magis deberet esse in natura pura nullo peccato vitiatâ. Quoad tentationes verò graves adesset auxilium speciale Dei, ordinis quidem naturalis, sed sufficiens ad peccata vitanda, quæ solùm contra Deum Auctorem naturæ in eo statu contingere possent.

XXXIV. Opponunt quintò. Si in statu puræ naturæ fuisset rebellio membrorum, & turpitudo libidinis, recta ratio dissuasisset Matrimonium in eo statu, & perpetuam continentiam suasisset: sed hoc videtur absurdum, ergo &c. Major prob. Nam recta ratio suadet, ut mens rationalis nullo pacto sub libidine deprimatur. Min. etiam prob. Nam si in eo statu recta ratio dissuasisset Matrimonium, dissuasisset opus maximè naturale, & incitasset ad illud, quod est humanæ propagationi contrarium; & sic recta ratio cum naturæ conservatione pugnasset.

XXXV. Respondeo, neg. ma. sicut enim in statu naturæ lapsæ, in quo magis fervet libido, recta ratio suadet Matrimonium tanquam licitum; ita & in statu naturæ puræ. Quare sicut recta ratio non contrariatur usui ciborum, quia necessaria ad conservationem individui, sed solùm ei præscribit modum, ut scilicet modo debito moderatè fiat: ita nec contrariatur usui Matrimonii necessario ad conservationem speciei, sed solùm imponit modum, ut scilicet fiat debito modo, & ordine ad finem generationis humanæ. Uide S. Thomam 2. 2. q. 153. a. 2. Nec refert, quòd in actu conjugali ratio deprimatur, & absorbeatur. Nam ut docet D. Tho. ibi ad 2. *Non est virtuti contrarium, si rationis actus aliquando intermittatur aliquo, quod secundùm rationem fit; alioquin quod aliquis se somno tradit, esset contra virtutem.*

§. III.

Fundamenta contra Ignorantiam, & Mortem in statu Naturæ Puræ.

XXXVI. Opponunt primò, in statu naturæ puræ non fore ignorantiam, sic. Non videtur divinæ æquitati, & justitiæ congruum, quòd creatura innocens habeat id, quod solùm pœna peccati est: sed habere rationem ita ligatam, & in tàm profundâ mersam ignorantiâ, qualis est in parvulis, pœna peccati est; ergo naturæ puræ omnis peccati experti æquum non esset, ignorantiâ laborare. Min. prob. ex S. Aug. *lib. 5. contra Julian. c. 4.* ubi ex parvulorum insipientiâ probans peccatum ori-

originale: *Quis* (inquit) *non quotidie probet, testibus rebus humanis, parvulum priùs nihil sapere, deinde crescendo vana sapere? &c.* Deinde ad Pelagianos conversus subdit: *Quemadmodum priùs proferat insipientia, quàm sapientia fructum videtis, & radicis ejus vitium videre non vultis; aut videtis, quod pejus est, & negatis.*

XXXVII. Respondeo, minorem esse veram de ignorantia, quæ de facto est, & supposito lapsu hominis ab innocentiæ statu; in quo etiam à pueris exulasset ignorantia saltem eorum, quæ ipsorum statui convenientia fuissent, ut superiùs dictum est: & de hac ignorantia, quam modò pueri experiuntur, loquitur Augustinus. Non autem esse veram de ignorantia, quæ fuisset in statu puræ naturæ; hæc enim esset defectus ex principiis naturæ consequens: cùm enim illi non sint ab initio connaturales rerum species, sicut Angelis, sed debeat illas acquirere paulatim beneficio sensuum, quorum organa in parva ætate non sunt disposita, oporteret, quòd priùs ignorantiâ laboraret natura, quàm perveniret ad scientiam: quod in adultis quoque contingere posset. Neque disconveniens esset, quòd ratio, maximè in pueris, aliquo tempore ligata maneret. Nam sicut modò in hominibus etiam justis tertiâ, vel quartâ vitæ parte ligatur, sepultaque manet ratio, & omnis scientiæ usus tempore obdormitionis; nec etiam repugnaret, quòd Deus infantium animas in statu naturæ puræ aliquamdiù somno veluti torpescere pateretur; unde paulatim evigilantes in lucem intelligentiæ prodirent. Disertè hoc ostendit S. August. *lib. 3. de Lib. arb. c. 22.* ubi concludit: *Si enim arboris novellum, & rude virgultum nullo modo rectè sterile dicimus, quamvis aliquot æstates sine fructibus trajiciat; donec opportuno tempore expromat feracitatem suam: cur non auctor animæ debitâ pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, ut studendo, ac proficiendo ad frugem sapientiæ, justitiæque perveniat?*

XXXVIII. Opponit secundò Jansenius, hominem in puris naturalibus conditum non fore obnoxium morti, aliisque corporis miseriis. Primò. Nam S. Augustinus in libris contra Pelagianos probat peccatum originale ex eo, quòd pueri peccati actualis expertes subjiciantur morti, morbis, doloribus, aliisque miseriis corporis; qui discursus nihil valeret, si homo in statu puræ naturæ, in quo non esset originale peccatum, eisdem miseriis foret obnoxius.

Secundò. Justum non est, hominem talibus malis affligi, nisi ea peccando promeruerit: sed homo in pura natura careret peccato originis; ergo &c. Majorem probare conatur variis S. Augustini textibus, & maximè *lib. 3. de Lib. arbitr. c. 9.* dicentis: *Si enim peccatis earum detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo, atque administratio universitatis.*

Tertiò. Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit.* Et v. 16. *Impii autem manibus, & verbis accersierunt illam.* Et ad Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors.* At si mors esset homini naturalis, eique in statu puræ naturæ conveniens, jam Deus fecisset mortem, non eam homo accersivisset peccando, neque per peccatum introisset in Mundum; ergo &c.

XXXIX. Respondetur, neg. assumptum. Ad primam prob. dico, S. Augustinum, cæterosque Patres, qui contra Pelagianos dimicarunt, optimè concludere peccatum originale ex illis miseriis, quibus infantes ab ipso suæ conceptionis exordio obnoxii sunt. Loquuntur enim de facto, & juxta traditionem fidei, & Sac. Scripturæ, quibus constat, primum hominem integritatis, immortalitatis, ac exemtionis à doloribus beneficio fuisse à Deo donatum, promissione factâ transferendi in ejus Posteros hæc dona, si ipse non peccaret. Quare cùm De-

us infidelis non sit, nec injustus, rectè ex illis miseriis, quibus totum genus humanum affligitur, colligunt, Adam peccasse, ejusque peccatum occasionem Deo fuisse, hominem illis privilegiis spoliandi. Ideoque pœnæ factæ fuerunt homini corporis afflictiones, quæ in statu puræ naturæ defectus naturales fuissent.

XL. Ad secundum dico, justum quidem non esse hominem talibus malis affligi, nisi ea peccando promeruit, si purè pœnalia sint; non verò si etiam sint defectus consequentes naturam. Duplicis enim generis sunt mala, quibus corpus affligi potest. Alia præternaturalia, ut pœna damnationis, & combustionis æternæ: alia quæ sunt defectus conditionem naturæ sequentes, ut morbi, dolores, mors &c. Priora quidem à Deo peccatorum vindice infliguntur: posteriora verò quamvis de facto etiam pœnalia sint, in quo sensu loquitur Augustinus, absolutè tamen sunt defectus, qui spectatâ naturæ conditione contingerent. Cùmque Deus ex ordinata sua providentia non teneatur actionem causarum naturalium impedire, ut corporeæ naturæ ex sua conditione defectibiles non deficiant: ideò si hominem condidisset, eum in suis naturalibus relinquendo, morti, aliisque miseriis subditum reliquisset.

XLI. Ad tertium dico, Sac. Scripturam loqui de facto, & de morte, cui modò subjicimur. Deus enim hominem mortalem non fecit: unde Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, idest immortalem: homo autem peccando, mortem, à qua Deus illum liberaverat suæ gratiæ dono, sibi accersivit. Unde dicto *cap.* 2. *v.* 24. additur: *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*, & Paulus ait: *Per peccatum mors*. Ideoque in præsenti statu mors occidit præter intentionem Dei. Non autem Scriptura loquitur de homine, nec de morte in statu puræ naturæ. Videatur D. Thomas 1. 2. *q.* 85. *a.* 6. ubi ostendit, quomodo mors sit homini naturalis ex parte materiæ, & quomodo facta sit pœnalis. Quod etiam demonstrat ad Rom. *cap.* 5. *lect.* 3. ubi: *Dicendum est autem* (inquit) *quòd natura humana dupliciter potest considerari. Uno modo secundùm principia intrinseca, & sic mors est ei naturalis. Unde Seneca dicit in Libro de Remediis fortuitorum, quòd mors naturæ est hominis, non pœna. Alio modo potest considerari natura hominis secundùm quod per divinam Providentiam fuit ei per justitiam originalem provisum. Quæ quidem justitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis esset sub Deo, & inferiores vires essent sub mente, & corpus sub anima, & omnia exteriora sub homine: ita scilicet, quòd quamdiu mens hominis Deo subderetur, vires inferiores subderentur rationi, & corpus animæ indeficienter ab ea vitam reciperet, & exteriora hominis, ut scilicet omnia servirent, & nullum ex eis nocumentum sentiret. Hoc autem Providentia divina disposuit propter dignitatem animæ rationalis, quæ cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus. Sed quia corpus, quod est ex contrariis compositum, oportebat esse organum sensus, & tale corpus secundùm naturam suam incorruptibile esse non potest, supplevit potentia divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter: sicut faber, si posset, daret ferro, ex quo cultellum fabricat, virtutem, ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo postquam mens hominis per peccatum à Deo est aversa, amisit virtutem continendi inferiores vires, & etiam corpus, & exteriora: & sic incurrit mortem naturalem à causis intrinsecis, & violentam ab exterioribus nocumentis*. Hæc D. Thomas benè notanda, & quæ claudunt totam hanc Quæstionem de statu naturæ puræ.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

De Angelis comparatè ad Homines.

AD integram hominis notitiam pertinet ipsum quoque considerare relatè ad Angelos, quorum ministerio, & custodiâ, ut videbimus, gubernatur. Quare à Prima Secundæ D. Thomæ, ad quam, ut ageremus de peccato Originali, divertimus, ad Primam Partem ejusdem regredimur. In ea enim *qu.* 108. Angelorum Hierarchias enumerat. à quæst. autem 111. usque ad 114. de Angelis comparatè ad homines sermonem facit. Sequentes ergo S. Præceptorem ea, quæ ad Tyronum notitiam necessaria judicabimus, brevi calamo percurremus.

DUBIUM I.

Quot sint Hierarchiæ, & Ordines Angelorum?

§. I.

Prioris partis Resolutio.

I. Hierarchia est Græcum nomen compositum ex *hieros*, idest *sacer*, & *arche*, idest *principatus*: unde idem est ac sacer Principatus. Quare Dionysius Areopagita de Ecclesiæ Militantis Principatu loquens, Episcopum vocat *Hierarcham*, idest sacrum Principem.

II. Porrò *in nomine Principatus* (inquit D.Tho. 1. p. q. 108. a. 1.) *duo intelliguntur, scilicet ipse Princeps, & multitudo ordinata sub Principe. Quia igitur unus est Deus Princeps non solùm omnium Angelorum, sed etiam hominum, & totius creaturæ: ideo non solùm omnium Angelorum, sed etiam totius rationalis creaturæ, quæ sacrorum particeps esse potest, una est Hierarchia. Secundùm quòd Augustinus dicit in* 12. *de* Civit. Dei (cap. 1.) *duas esse Civitates, unam in Angelis bonis, & hominibus; alteram in malis. Sed si consideretur Principatus ex parte multitudinis ordinatæ sub Principe, sic unus Principatus dicitur, secundùm quòd multitudo uno, & eodem modo potest gubernationem Principis recipere. Quæ verò non possunt secundùm eumdem modum gubernari à Principe, ad diversos Principatus pertinent: sicut sub uno Rege sunt diversæ Civitates, quæ diversis reguntur legibus, ac ministris.* Ita D. Thomas. Ex quibus concludit, quòd cum homines alio modo percipiant divinas illuminationes, quàm Angeli; nam Angeli percipiunt illas in intelligibili puritate, homines verò eas percipiunt sub sensibilium similitudinibus: ideo oportet distingui humanam Hierarchiam ab angelica. Quod in dubium venit, est, an quoque in Angelis diversæ Hierarchiæ sint distinguendæ.

III. Dico. In Angelis tres Hierarchiæ distinguuntur. Ita S. Tho. loco laudato. Et probat. Tot in Angelis sunt Hierarchiæ, quot modis Angeli Dei summi Principis regimen per illuminationem recipiunt in ordine ad rationes rerum cognoscendas: sed hoc tribus modis contingit; ergo &c. Min. probatur. Angeli cognoscere possunt rationes rerum, vel ut procedunt à primo principio universali, quod est Deus: & iste modus constituit primam, & supremam Hierarchiam Angelorum, quæ rationes rerum, ut immediatè à Deo sunt, contemplatur, & quasi in vestibulis Dei collocatur, ut dicit Dionysius *cap.* 7. *Cœlestis Hierarch.* Vel rationes rerum cognoscunt, ut dependent ab universalibus causis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur; & iste modus constituit secundam Hierarchiam. Vel rationes rerum cognoscunt, ut procedunt à propriis causis, & ut singulis rebus applicantur; & hic modus constituit infimam, & tertiam Hierarchiam; ergo tribus modis distinguuntur Hierarchiæ ex parte multitudinis subjectæ.

IV. Addit tamen S. Doct. errare eos, qui

qui ponunt in divinis Personis Hierarchiam, quam vocant supercœlestem. In divinis enim Personis est quidem ordo naturæ, sed non Hierarchiæ, quæ dicit multitudinem ordinatam sub uno Principe. Tum quia ordo Hierarchiæ dicit alios purgari, illuminari, perfici; alios autem purgare, illuminare, perficere. Quod absit, ut in divinis Personis ponamus.

V. Ratio D. Thomæ præfata explicatur ab Innocentio V. in 2. *dist.* 9. *quæst. unicâ a.* 3. Sicut potest quis mentem sapientis Regis in regimine videre tripliciter; vel inspiciendo ejus voluntatem, quæ movet omnia; vel inspiciendo leges generales, & consuetudines totius Regni; vel denique inspiciendo leges speciales, & consuetudines specialium locorum, quibus regit specialia loca: Ita Angelus tripliciter recipit illuminationes de effectibus Dei. Primò intuendo illos in ipsa causa universalissima, scilicet in voluntate divina: secundò in causis secundis universalibus: tertiò in causis specialibus. Primum pertinet ad primam Hierarchiam, secundum ad secundam, tertium ad tertiam. Nam qui de prima sunt, solùm circa Deum occupantur, propterea Assistentes dicti. Qui verò de media, operantur circa regimen generale. Qui autem de tertia, operantur circa regimen speciale aliquarum partium, vel personarum Universi, sicut in Regno temporali. Quidam occupantur circa officium personæ Regis, quidam circa regimen generale Regni, quidam circa regimen specialium locorum.

VI. Adverto cum D. Thoma citato *ad* 2. me hìc non loqui de cognitione beatifica Angelorum, sed de cognitione, & illuminatione, quam habent extra Verbum. Nam *quantùm ad cognitionem ipsius Dei, quem omnes uno modo, scilicet per essentiam, vident, non distinguuntur in Angelis Hierarchiæ, sed quantùm ad rationes rerum creatarum.* In hominibus autem non distinguuntur Hierarchiæ; quia, ut ait ibidem ad 3. *Omnes homines sunt unius speciei, & unus modus intelligendi est eis connaturalis: non sic autem est in Angelis.*

§. II.

Resolutio secundæ partis.

VII. Statuto numero Hierarchiarum in Angelis, superest numerum etiam Ordinum assignare. In hoc autem differunt Hierarchia, & Ordo, quòd Hierarchia in Angelis dicit gradum, unde Hierarchia non multiplicatur, nisi multiplicentur gradus. Ordo autem dicit ordinationem plurium sub eodem gradu.

VIII. Quare suppono primò cum D. Thoma citato *art.* 2. in una Hierarchia plures esse Ordines Angelorum. Cùm enim una Hierarchia sit unus Principatus, idest una multitudo ordinata uno modo sub Principis gubernatione; non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi Ordines non essent. Hæc autem diversitas Ordinum secundùm diversa officia, & ritus consideratur. Sicut enim in una Civitate sunt diversi Ordines secundùm diversos actus: nam alius est Ordo judicantium, alius pugnantium, alius laborantium in agris, & sic de aliis: qui tamen Ordines in una Civitate quamvis diversi sint, omnes ad tres possunt reduci; quælibet enim multitudo perfecta habet principium, medium, & finem. Unde & in Civitatibus triplex hic Ordo invenitur. Quidam enim sunt supremi, ut Optimates; quidam sunt infimi, ut vilis populus; quidam sunt medii, ut populus honorabilis. Sic igitur in qualibet Angelica Hierarchia Ordines distinguuntur secundùm diversos actus, & officia; & hi ad tres reducuntur, scilicet ad summum, medium, & infimum. Ita iisdem fere verbis Angelicus Præceptor.

IX.

IX. Suppono secundò cum eodem ibi *art.* 3. in uno Ordine esse plures Angelos. Sicut enim in una Civitate plures sunt in ordine Optimatum, plures in ordine Civium, plures etiam in ordine plebejorum: ita etiam in Ordine Angelorum. Quia verò solùm imperfectè Angelos cognoscimus, nec eorum actus, & officia distinctè scrutari possumus; solùm nobis licet dicere, in quolibet Ordine plures esse Angelos, diversos actus, & officia intra illum Ordinem habentes multò magis, quàm quælibet stella, etsi nos lateat. Nunc ad resolutionem

X. Dico. Novem sunt Angelorum Ordines, seu Chori. Ita S. Doct. *a.* 5. Hi autem sunt: *Seraphim*, *Cherubim*, *Throni*, *Dominationes*, *Virtutes*, *Potestates*, *Principatus*, *Archangeli*, *Angeli*. Horum tres primi componunt primam Hierarchiam; tres secundi mediam; tres postremi ultimam. Ex Scriptura probat D. Thomas art. citato *in Arg. sed contra* sic: *Sed contra est auctoritas Scripturæ, quæ sic eos nominat. Nomen enim Seraphim ponitur Isaia 6. Nomen Cherubim Ezech. 1. Nomen Thronorum Colos. 1. Dominationes autem, & Virtutes, & Potestates, & Principatus Ephes. 1. Nomen autem Archangeli ponitur in Canonica Judæ. Nomen autem Angelorum in pluribus Scripturæ locis*. Hoc idem docent SS. Patres, inter quos fusè Gregorius *Homil.* 34. *in Evang.* exponens cujuslibet Ordinis proprietates, ut infra. Damascenus *l.* 2. *de Fide cap.* 3. & alii.

XI. Prima ergo Hierarchia, quæ semper Deo assistit, in tres Ordines distinguitur juxta triplicem ordinem, quo Deum respiciunt, nempe in Seraphim, Cherubim, & Thronos. Primi, quia Deo intimiùs conjunguntur per ardentissimum amorem, Seraphim dicuntur à verbo hebraico *Seraph*, quod latinè accendere dicitur. Unde D. Greg. laudato loco: *Illi* (inquit) *quia ita Deo conjuncti sunt, ut inter illos, & Deum nulli alii Spiritus intersint, tantò magis ardent, quantò hinc viciniùs vident. Quorum profectò flamma amor est; quia quò subtiliùs claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eò validiùs in ejus amore flammescunt*. Hinc ait D. Th. laudato loco ad 5. *Nomen Seraphim non imponitur tantùm à caritate, sed à caritatis excessu*... Unde Dionys. c. 7. Cœlest. Hierar. *Exponit nomen Seraphim secundùm proprietates ignis, in quo est excessus caliditatis. In igne autem tria possumus considerare. Primò quidem motum, qui est sursum, & qui est continuus; per quod significat, quòd indeclinabiliter moventur in Deum. Secundò verò virtutem activam ejus, quæ est calidum. Quòd quidem non simpliciter invenitur in igne, sed cum quadam acuitate, quia est maximè penetrativus in agendo, & pertingit usque ad minima, & iterum cum quodam superexcedente fervore. Et per hoc significatur actio hujusmodi Angelorum, quam in subditos potenter exercent, eos in sublimem fervorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertiò consideratur in igne claritas ejus. Et hoc significat, quòd hujusmodi Angeli in seipsis habent inextinguibilem lucem, & quòd alios perfectè illuminant*.

XII. Cherubim (inquit D. Tho. citatus ad 5.) nomen *imponitur à quodam excessu scientiæ, unde interpretatur plenitudo scientiæ. Quod Dionysius* (cap. 7. Cœl. Hier.) *exponit quantùm ad quatuor. Primò quidem quantùm ad perfectam Dei visionem. Secundò quantùm ad plenam susceptionem divini luminis. Tertiò quantùm ad hoc, quòd in ipso Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum à Deo derivatam. Quartò quantùm ad hoc, quòd ipsi pleni existentes hujusmodi cognitione, eam copiosè in alios effundunt*.

XIII. Throni dicuntur, quia Deum ita respiciunt, ut peculiariter in eis sedentem, & in eis illuminationibus suis ultimatè conquiescentem.. Ideoque Throni dicuntur, quasi sedes Dei *per convenientiam ad materiales sedes* (inquit D. Tho. ad 6.) *in quibus est quatuor considerare. Primò quidem*

dem situm, quia super terram sedes elevantur: & sic ipsi Angeli, qui Throni dicuntur, elevantur usque ad hoc, quòd in Deo immediatè rationes rerum cognoscant. Secundò in materialibus sedibus consideratur firmitas, quia in ipsis aliquis firmiter sedet; hic autem est è converso: nam ipsi Angeli firmantur per Deum. Tertiò, quia sedes suscipit sedentem, & in ea deferri potest. Sic & ipsi Angeli suscipiunt Deum in seipsis, & eum quodammodo ad inferiores ferunt. Quartò ex figura; quia sedes ex una parte est aperta ad suscipiendum sedentem: ita & isti Angeli sunt per promtitudinem aperti ad suscipiendum Deum, & famulandum ipsi. Et his tribus Ordinibus concluditur prima Hierarchia Angelorum.

XIV. Secundam verò Hierarchiam, quæ rebus creatis præest, & ad quam spectat generalis dispositio rerum agendarum constituunt *Dominationes*, sic dictæ; quia quodam superioritatis excessu distribuunt aliis ea, quæ sunt agenda. Dominorum enim *est præcipere de agendis* (inquit D. Tho. laudato loco ad 3) *& ideò Gregorius dicit homil. 34. in Evang. quòd quædam Angelorum agmina, pro eo, quòd eis cætera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur.*

XV. Sequitur Ordo *Virtutum*. Hæ jam incipiunt generalia opera exequi: unde important excessum quemdam fortitudinis. *Quare Dionysius dicit 8. cap. Cœlestis Hierarch. quòd nomen Virtutum significat quamdam virilem, & inconcussam fortitudinem: primò ad omnes operationes divinas eis convenientes: secundò ad suscipiendum divina. Et ita significat, quòd sine aliquo timore aggrediuntur divina, quæ ad eos pertinent.* Ita apud D. Tho. citato loco *ad 1.* & proinde signa, & prodigia patrare virtute divinâ eis maximè convenit, ut ait D. Tho. & Greg. *Hom. 34. in Evang.*

XVI. Succedunt tertiò *Potestates*. Harum character est inconcussum divinæ Providentiæ ordinem servare, adversas Potestates arcendo, vel repellendo, ne illum turbent: ideoque harum officium maximè est Dæmones coercere. Hinc Gregorius Homil. 34. in Evang. *Potestates* (inquit) *vocantur hi, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt; ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrænantur, ne cerda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt.* Et his tribus secunda Hierarchia continetur.

XVII. Tertiam, & ultimam Hierarchiam constituunt *Principatus, Archangeli, & Angeli*. Ad istam pertinet executioni mandare, & applicare causis particularibus ordinem divinæ Providentiæ. *Principatus* ergo teste D. Tho. allato ad 4. *dicuntur ex eo, quòd principantur omnibus Cœlestibus virtutibus divinas visiones explentibus.* Et D. Gregorio Homil. 34. in Evang. *Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum quæque sunt agenda, disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur.* Inter Principatus verò, & Dominationes hoc interest, ex D. Tho. *ad* 3. quòd Dominationum est imperare, Domini enim est præcipere de agendis; sicut & Potestatum est ordinare, quæ à subditis sunt exequenda, removendo maximè impedimenta. Principatuum verò est esse primos in executione, seu alios ducere ad executionem. Illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos existentes, Principes propriè vocantur.

XVIII. Archangeli inter Principatus, & Angelos medii ex D. Thom. *ad* 4. sic dicuntur, quasi Principes Angeli; quia respectu Angelorum sunt Principes, respectu Principatuum sunt Angeli; quia soli Ordini Angelorum principantur, quasi magna nunciantes. Unde Gregorius Homil. 34. in Evang. *Hi autem* (inquit) *qui minima nunciant, Angeli; qui verò summa annunciant, Archangeli vocantur.* Ex quo infert, ad annunciandum Ma-

riæ

riæ summum Incarnationis Sacramentum non Angelum, sed Archangelum mitti debuisse.

XIX. Angeli demum, qui in infimo Ordine collocantur, communi nomine Angeli dicuntur; quia ad communia, & minima ministeria delegantur. Ex his cuilibet homini particulari, ut dicemus, unus deputatur ad custodiam. Quamvis publicarum Personarum, ut Pontificum, Imperatorum, Regum curæ, non Angelos, sed Archangelos, imò & Principatus deputari putet D. Bernardus *lib. 5. de Consider. cap. 4.* dicens: *Putemus Angelos dici ... qui singuli singulis hominibus dati creduntur ... Putemus his praeesse Archangelos, qui consilii mysteriorum divinorum nonnisi ob praecipuas, & maximas causas mittuntur.* Principatus verò, ait enim, *Putemus Principatus his quoque praelatos, quorum moderamine, & sapientiâ omnis in terris Principatus constituitur*, regitur &c. Hisce ergo tribus Ordinibus tertia, & infima angelica Hierarchia completur.

XX. Contra dicta objicies primò. Caritas, scientia, & cæteræ dotes, quibus distinximus Seraphim à Cherubim, & cæteros Angelorum Ordines, sunt communes omnibus; ergo malè inde sumsimus distinctionem.

XXI. Respondeo, nos Seraphim à caritate, Cherubim à scientia, & alios ab aliis dotibus secernere, non quomodocumque, sed ab excessu. Unde ab excessu caritatis dicimus Seraphim, ab excessu scientiæ vocamus Cherubim, & sic de aliis, ut dictum est. Unde benè subsistit distinctio.

XXII. Objicies secundò. Scientia in Patria nobilior est caritate, unde in scientia collocamus beatitudinem; ergo malè Seraphim à caritate dictos præferimus Cherubim à scientia nuncupatis.

XXIII. Respondet D. Tho. hâc q. 108. a. 6. ad 3. *Quòd ... cognitio est, secundùm quòd cognitum est in cognoscente; amor autem secundùm quòd amans unitur rei amatae. Superiora autem nobiliori modo sunt in seipsis, quàm in inferioribus: inferiora verò nobiliorè modo sunt in superioribus, quàm in seipsis. Et ideo inferiorum quidem cognitio praeminet dilectioni: superiorum autem dilectio, & praecipuè Dei, praeminet cognitioni.* Dici etiam potest, quòd Seraphim præferuntur Cherubim; quia considerantur secundùm statum huius viæ, ubi amor scientiæ præfertur. Quòd si considerentur respectu ad statum Patriæ, in quo scientia amorem præcellit, Cherubim præferuntur Seraphim, & in hoc sensu respexit Cherubim D. Greg. *Homil. 34. in Evang.* dum illos supra Seraphim extulit.

XXIV. Quæres primò: an hi Ordines remansuri sint post diem Judicii?

Respondeo cum D. Tho. q. 108. citatâ a. 7. *Quòd in Ordinibus Angelorum duo possunt considerari, scilicet distinctio graduum, & executio officiorum. Distinctio autem graduum est in Angelis secundùm differentiam gratiae, & naturae.... Et utraque differentia semper in Angelis remanebit. Non enim naturarum differentia ab eis auferri possent, nisi eis corruptis. Differentia etiam gloriae erit in eis semper secundùm differentiam meriti praecedentis. Executio autem officiorum angelicorum aliquo modo remanebit post diem Judicii, & aliquo modo cessabit. Cessabit quidem secundùm quòd eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem* (& in hoc sensu dicit Paulus 1. *ad Cor.* 15. quòd Christus evacuabit omnem Principatum, & Potestatem, cum tradiderit regnum Deo, & Patri) *Remanebit autem secundùm quòd convenit in ultimae finis consecutione; sicut etiam alia sunt officia militarium ordinum, in pugna, & in triumpho.* Hæc S. Doct. qui *ad* 3. addit, quòd *illi qui jam salutem erunt consecuti, aliquam illustrationem habebunt per Angelorum officia.*

XXV. Quæres secundò, an in malis Angelis diversitas Ordinum remanserit?

Respondeo cum D. Thom. 1. p. q. 109.

109. a. 1. Quòd si Ordo attendatur secundùm perfectionem gloriæ, *sic Dæmones neque sunt in Ordinibus angelicis, neque unquam fuerunt. Si autem considerentur quantùm ad id, quod est gratia imperfecta, sic Dæmones fuerunt quidem in ordinibus Angelorum; sed ab eis ceciderunt, secundùm id, quod supra posuimus, omnes Angelos in gratia creatos fuisse. Si autem considerentur quantùm ad id, quod est natura, sic adhuc sunt in Ordinibus, quia data naturalia non amiserunt.* Hæc D. Thomas.

XXVI. Ex his infertur, in Dæmonibus esse prælationem unius supra alterum. Ita D. Thom. relatus *a.* 2. Cùm enim Dæmonum quidam naturali ordine sub aliis constituantur; sequitur, quòd actiones eorum sub actionibus superiorum sint: sicut quia inferiora corpora naturali ordine sunt infra corpora Cœlestia, actiones, & motus eorum subduntur actionibus, & motibus Cœlestium corporum. Et hoc est, quod rationem prælationis facit, ut scilicet actio subditi subdatur actioni Prælati.

XXVII. In Dæmonibus tamen non ėst illuminatio propriè; quia hęc *est manifestatio veritatis, secundùm quòd habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum.* Perversitas autem Dæmonum hoc habet, quòd unus alium non intendit ordinare ad Deum, sed magis ab Ordine divino abducere. Unde in illis est solùm manifestatio veritatis per modum locutionis, secundùm quòd unus alteri suum conceptum manifestat. Ita ex D. Thom. ibi *art.* 3.

XXVIII. In bonis Angelis prælationem esse super malos docet S. D. ibi *a.* 4. Cùm enim creaturæ, quò magis Deo appropinquant, habeant influentiam super alias, & boni Angeli Deo appropinquent, à quo mali recesserunt; ideo boni Angeli super malos prælationem habent, & hi per eos reguntur. Et licèt aliquis ex bonis inferior sit malis ordine naturæ; adhuc tamen præest Dæmonibus, quamvis ordine naturæ superioribus: *Quia virtus divina justitia, cui inhærent boni Angeli, potior est, quàm virtus naturalis angelorum.* Ita ibi *ad* 3.

DUBIUM II.

De Actione Angelorum in Homines.

§. I.

An Angelus agere possit in Intellectum, & Voluntatem Hominis?

I. Dico primò. Angelus agere potest in intellectum hominis, illuminando ipsum. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 111. *a.* 1. Quia cùm divinæ *Providentia ordo habeat, ut actionibus superiorum inferiora subdantur... sicut inferiores Angeli illuminantur per superiores; ita homines, qui sunt Angelis inferiores, per eos illuminantur.* Aliter autem Angeli illuminant inferiores Angelos, aliter homines. Nam inferiorem Angelum illuminat superior secũdùm quòd veritatem intelligibilem universalem, quam in se habet, dividit secundùm capacitatem inferioris Angeli, ut supra diximus, agentes de illuminatione angelorum. Hominem autem, qui veritatem intelligibilem nudam capere non potest, nisi phantasmatibus sensibilibus involvatur, illuminat proponendo ei veritatem intelligibilem sub sensibilibus similitudinibus.

II. Quamvis autem homo non sentiat, se illuminari ab Angelo, experitur tamen rem sibi fieri manifestam, quod sufficit. Nam ut docet S. Doctor ibi *ad* 3. illuminatio sumi potest, vel *ex parte rei intellecta: & sic quicumque intelligit, vel illuminatur, cognoscit se intelligere, vel illuminari; quia cognoscit, rem sibi esse manifestam. Alio modo ex parte principii: & sic non quicumque intelligit aliquam veritatem, cognoscit, quid sit intellectus, qui est principium intellectualis operationis. Et similiter non quicumque illuminatur ab* Ange-

Angelo, cognoscit se ab Angelo illuminari.

III. Dico secundò. Angelus non potest interiùs agere in voluntatem hominis immediatè, sed solùm exteriùs suadendo. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 111. *a.* 2. & *q.* 106. *a.* 2. ubi idem asserit in ordine ad voluntatem alterius Angeli; & utrobique docet, voluntatem posse immutari dupliciter. Uno modo ab interiori: & sic cùm motus voluntatis non sit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam; solius Dei est, sic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non est nisi à Deo; ita inclinatio voluntaria non est nisi à Deo, qui causat voluntatem. Alio modo movetur voluntas ab exteriori: & hoc in Angelo est quidem uno modo tantùm, scilicet à bono apprehenso per intellectum, sicut appetibile movet appetitum, & ille, qui demonstrat objectum, puta, qui demonstrat, aliquid esse bonum. Et hoc modo Angelus movere potest voluntatem hominis. Quia tamen nihil sufficienter movet voluntatem, nisi solus Deus clarè visus, quia est, & proponitur ut undequaque bonus; ideo solùs Deus clarè visus movet sufficienter, & efficaciter voluntatem: Angelus verò proponens quodcumque objectum inclinare quidem potest per modum suadentis, eam tamen efficaciter movere non potest.

IV. Quia tamen in homine sunt passiones appetitus inferioris; ideo alio modo potest Angelus movere voluntatem hominis, concitando hujusmodi passiones, eamque ad iram, vel concupiscentiam inclinare; non tamen ex necessitate: quia voluntas semper manet libera ad consentiendum, sive resistendum passioni. Ita D. Thomas citatis locis iisdem ferè verbis.

V. Ex quo sequitur, ut docet idem S. Doct. *q.* 111. *a.* 2. citato *ad* 2. quòd Dæmones non possunt immittere cogitationes, interiùs eas causando; cùm usus cogitativæ virtutis subjaceat voluntati: potest tamen incitare ad cogitandum, vel ad appetendum cogitata, per modum persuadentis, vel passionem concitantis.

VI. Dices. Voluntas potest interiùs movere appetitum, quia superior est appetitu: sed voluntas Angeli superior est voluntate hominis; ergo eam potest interiùs movere.

VII. Respondeo cum D. Thom. 1. *p. q.* 106. *a.* 2. *ad* 3. quòd ideo voluntas movere potest appetitum sensitivum, quia pertinet ad eandem naturam animæ; & quia inferior appetitus est virtus in organo corporali: voluntas autem Angeli non pertinet ad eandem naturam hominis, nec voluntas hominis est virtus in organo corporali.

§. II.

De Actione Angeli in Imaginativam, & Sensus Hominis.

VIII. Dico primò. Angelus sive bonus, sive malus potest agere in imaginativam hominis, immutando ipsam. Ita D. Thomas citatâ *q.* 111. *a.* 3. & sic probat. Cùm natura corporalis obediat Angelo ad motum localem, potest Angelus virtute suæ naturæ causare ea, quæ ex motu locali aliquorum corporum causari possunt: sed apparitiones imaginariæ causantur in nobis interdum ex locali mutatione corporalium spirituum, & humorum; ergo &c. Min. probat ex Aristotele *lib. de Somn. & vigil. c.* 3. *&* 4. qui assignans causam apparitionis somniorum, dicit: *Quòd cùm animal dormit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt motus; idest impressiones relictæ ex sensibilibus motionibus, quæ in spiritibus sensualibus conservantur, & movent principium sensitivum: ita quòd fit quædam apparitio, ac si tunc principium sensitivum à rebus exterioribus mutaretur. Et tanta potest*

esse commotio spirituum, & humorum, quòd hujusmodi apparitiones etiam vigilantibus fiant; sicut patet in phreneticis, & aliis hujusmodi. Sicut igitur hoc fit per naturalem commotionem humorum, & quandoque etiam per voluntatem hominis, qui voluntariè imaginatur, quod priùs senserat: ita etiam hoc potest fieri virtute Angeli boni, vel mali; quandoque quidem cum alienatione à corporeis sensibus; quandoque autem absque tali alienatione.

IX. At inquies. Illa commotio phantasiæ facit apparere res, quæ non sunt, ac si essent, in quo est deceptio; ergo saltem Angeli boni, qui non possunt decipere, phantasiam non commovent.

X. Respondeo cum D. Thom. *a.* 3. citato *ad* 4. vel nullam esse deceptionem; vel si est, eam non esse ex parte Angeli commoventis, sed ex defectu ejus, cui talia apparent. *Angelus* enim (inquit D. Thom.) *causans aliquam imaginariam visionem, quandoque quidem simul intellectum illuminat, ut cognoscat quid per hujusmodi similitudines significetur: & tunc nulla est deceptio. Quandoque verò per operationem Angeli solummodo similitudines rerum apparent in imaginatione: Nec tamen causatur tunc deceptio ab Angelo, sed ex defectu intellectus ejus, cui talia apparent: sicut nec Christus fuit causa deceptionis in hoc, quòd multa turbis in parabolis proposuit, quæ non exposuit eis.*

XI. Hinc colligo, Angelos etiam malos virtute sui naturalis acuminis nosse quid homines imaginativà, vel cogitativà volvant. Quare D. August. *lib.* 2. *contra Academicos cap.* 6. & 7. refert de quodam Mago nomine Albicerio, qui certò divinabatur ea, quæ homines cogitarent. Unde interrogatus à quodam: dic mihi, quid in præsens animo volvam? *Virgilii versum cum cogitare respondit. Cùmque ille obstupefactus negare non posset, perrexit quærere, quinam versus esset? Nec Albicerius, qui Grammatici scholam vix transiens vidisset aliquando, versum ipsum securus, & garrulus canere dubitavit.* Quod non aliter, nisi ope Dæmonis imaginativam, & cogitativam hominis penetrantis fieri potuisse, Augustinus ipse fatetur.

XII. Dico secundò. Angelus sive bonus, sive malus agere potest in sensus exteriores hominis, eosque immutare. Ita S. Tho. citato loco *art.* 4. Angeli enim, qui Sodomam subverterunt, percusserunt Sodomitas cæcitate, ut ostium domus invenire non possent; ut dicitur *Gen.* 19. & simile legitur 4. *Regum* 6. de Syris, quos Elisæus duxit in Samariam.

Probat etiam S. Doct. hoc discursu. Sensus immutatur dupliciter. *Uno modo ab exteriori, sicut cùm immutatur à sensibili. Alio modo ab interiori: videmus enim, quòd perturbatis spiritibus, & humoribus immutatur sensus. Lingua enim infirmi, quia plena est cholerico humore, omnia sentit ut amara; & simile est de aliis sensibus. Utroque autem modo Angelus potest immutare sensum hominum suâ naturali virtute. Potest enim Angelus opponere exteriùs sensui sensibile aliquod, vel à natura formatum; vel aliquod de novo formando, sicut facit, dum corpus assumit.... Similiter potest etiam interiùs commovere spiritus, & humores, ut supra dictum est, ex quibus sensus diversimodè immutentur.* Estò autem Angelus suâ virtute non possit facere aliquid præter ordinem totius creaturæ; potest tamen facere aliquid præter ordinem naturæ particularis, cum tali ordini non subdatur: & sic potest sensum particulari modo interiùs immutare, quamvis secundùm cursum communem non immutetur, nisi à sensibili. Ita D. Tho. ibi *ad* 3.

DU-

DUBIUM III.

De Missione Angelorum ad Homines.

§. I.

Ostenditur Angelos mitti.

I. De hoc agit D. Thom. 1. *par. quæst.* 112. ubi *art.* 1. resolvit, aliquos Angelos à Deo mitti in ministerium hominum, & probat. Quia ille mitti dicitur ab alio, qui aliquo modo ab alio procedit, ut incipiat esse, ubi priùs non erat, vel ubi priùs erat per alium modum: Filius enim, aut Spiritus Sanctus mitti dicitur, quia à Patre procedens per originem, incipit esse novo modo, idest per gratiam, aut naturam assumtam, ubi priùs erat per Deitatis præsentiam: sed Angeli per quamdam processionem à Deo, nempè per imperium, incipiunt esse, ubi priùs non erant. Cum Angelus ibi sit, ubi agit, ut supra ostensum est; & virtus Angeli, quia limitata, & particularis, non attingat totum Universum simul, sed sic attingat unum, ut non attingat aliud, fit, ut ita sit hìc, ubi virtus ejus applicatur, quòd non alibi; & ubi incipit operari, ibi incipiat esse; & si ex Dei imperio hoc fiat, illuc dicatur mitti, & consequenter in ministerium: nam actio, quæ ex alterius imperio fit, ministerialis est, quia ordinatur ad finem mittentis. Tota hæc est Doctrina S. Thomæ laudato loco.

II. Hæc est doctrina fidei. Nam Exod. 33. *v.* 2. ait Deus Moysi: *Mittam præcursorem tui Angelum*. Tobiæ 12. v. 20. Raphael dixit Tobiæ: *Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit*. Matth. 13. v. 41. *Mittet filius hominis Angelos suos*, & Lucæ 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*.

III. Supponendum tamen censeo, quòd sicut missio divinarum Personarum alia est visibilis, ut missio Verbi ad naturam humanam; alia invisibilis, ut missio Spiritus Sancti in animam justi per gratiam: ita missio Angelorum alia est visibilis, quâ mittuntur ad aliquod exterius ministerium in his inferioribus exercendum: alia invisibilis, quâ ex Dei mandato superiores illuminant inferiores. Ita D. Tho. 1. *par. qu.* 112. *art.* 2. *ad* 1.

Insuper ad ministerium exterius Angelus mitti potest, vel immediatè, nempè ad exercendum per seipsum aliquod opus: vel mediatè solùm, nimirum ad movendum alios per imperium, ex speciali ordinatione divinâ, ad aliquod opus immediatè exercendum.

Denique suppono, omnes Angelos mitti missione visibili, aut invisibili, mediatâ, vel immediatâ; quia vel exercent exterius ministerium, vel alios movent ad illud exercendum: denique omnes superiores illuminant inferiores. Difficultas est, an omnes mittantur missione visibili immediatè? De quo sit

§. II.

An omnes Angeli ex quolibet Ordine immediatè mittantur Missione visibili?

IV. Variæ circa hoc sunt sententiæ. Scotus, Durandus, Molina, Valentia, & alii censent, omnes Angelos immediatè mitti missione visibili; inferiores quidem regulariter, superiores verò extraordinariè, & ex speciali Dei dispensatione. Becanus verò *Tom.* 1. *Opusculorum opusc.* 14. *de Offic. Angel. cap.* 2. censet, ex omnibus Ordinibus regulariter ad nos Angelos mitti. S. Thomas autem cum SS. Dionysio, & Gregorio hìc *q.* 112. *art.* 2. & 4. docet, Angelos primæ Hierarchiæ, qui & Assistentes dicuntur, nempe Seraphim, Cherubim, & Thronos, & primum Ordinem secundæ Hierarchiæ, qui est Dominationum, nunquam ad nos mitti ad exterio-

teriora ministeria immediatè saltem; quamvis dici possent mitti mediatè, quatenus alios movent ad illa exercenda. Cum quo

V. Dico. Nec de lege ordinariâ, nec extraordinariâ Angeli quatuor priorum Ordinum, Seraphim, Cherubim, Throni, & Dominationes ad exteriora ministeria exercenda mittuntur, sed solùm Angeli Ordinum inferiorum, scilicet Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, & Angeli. Prior pars probatur ratione D. Tho. hìc a. 4. *Angeli illorum Ordinum ad exterius ministerium* (saltem regulariter) *mittuntur, ex quorum nominibus aliqua executio datur intelligi*: sed in nominibus quatuor priorum Ordinum nulla intelligitur executio; ergo &c. Min. prob. Nec enim ardor caritatis, qui exprimitur nomine Seraphim, nec plenitudo scientiæ, quam exprimit nomen Seraphim, nec quies mentis, seu sedes Dei, quæ intelligitur nomine Throni, nec imperium, quod Dominationis exprimit nomen, indicant aliquod ministerium exterius, benè autem nomina sequentium Ordinum. Nam ad Virtutes pertinet dare potestatem ordinatam aliis exequendi; ad Potestates arcere adversa; ad Principatus inter operantes principes, seu priores existere, ut ait Gregorius *Homil.* 34. *in Evang.* ad Arcangelos nunciare magna, & ad Angelos parva; ergo &c.

VI. Probatur secundò. Ordines angelici dividuntur in Ordines Ministrantium, & Assistentium; ergo sicut qui sunt de Ordine Ministrantium non assistunt: ita qui sunt de Ordine Assistentium non ministrant; aliàs inepta foret præfata divisio. *Angeli* (inquit S. Thom. hìc a. 3.) *introducuntur assistentes, & ministrantes, ad similitudinem eorum, qui alicui Regi famulantur, quorum aliqui semper ei assistunt, & ejus præcepta immediatè audiunt; alii verò sunt, ad quos præcepta regalia per Assistentes nunciantur, sicut illi, qui administrationi civitatum præficiuntur; & hi dicuntur ministrantes, sed non assistentes.*

VII. Addit tamen D. Thomas, quòd cùm omnes Angeli beati essentiam divinam videant, *quantùm ad hoc omnes, etiam qui ministrant, assistere dicuntur*. Sed cùm non omnes secreta divinorum mysteriorum in ipsa claritate divinæ essentiæ percipere possint, sed soli superiores, per quos inferioribus denunciantur; secundùm hoc soli superiores primæ Hierarchiæ, cujus solius proprium est immediatè à Deo illuminari, assistere dicuntur.

VIII. Secunda verò pars probatur ex Doctrina S. Thom. hìc *a.* 2. Ordo communis divinæ Providentiæ est, quòd superiora principentur, & inferiora solùm ministrent, ut in Angelis, & in toto Universo apparet: sed nulla videtur ratio in casu, cur ab ordine dispensetur; ergo &c. Min. prob. Ideo iste ordo in naturalibus aliquando dispensatur, quia sic exigit altior ordo, nempe gratiæ, vel fidei confirmatio: sed ordo Missionis angelicæ, cùm spectet ad ordinem gratiæ, non habet altiorem ordinem; ergo &c. = Deinde nihil est ita magnum, quod per inferiores Angelos exerceri non possit. Quid enim majus, quàm Incarnationis annunciatio, quod tamen per Archangelum, qui est in inferiori ordine, fuit annunciatum?

IX. Sed contra opponitur primò illud ad Hæbræos *c.* 1. *v.* 14. ubi de Angelis Paulus dicit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, &c.*?

X. Respondet D. Thom. hìc *a.* 2. *ad* 1. omnes Angelos esse in ministerium missos missione, vel visibili, & externâ, vel invisibili, & internâ. Secundùm primam non omnes mittuntur, quia est circa exteriora corporalia, benè tamen secundùm primam, quæ est circa intellectuales effectus. *Vel aliter dicendum* (inquit S. Doctor ibi) *quòd Apostolus inducit illud ad probandum, quòd Christus sit major Angelis, per quos data est lex; ut sic ostendat*

dat excellentiam novæ legis ad veterem. Unde non oportet, quòd intelligatur, nisi de Angelis ministerii, per quos data est lex. Vel dicendum, omnes quidem esse administratorios Spiritus; sed alios exercendo exterius ministerium, alios movendo, & deferendo divina mandata pro executione.

XI. Opponitur secundò. Isaiæ *6. v. 6. 7.* dicitur: *Et volavit ad me unus de Seraphim .... & tetigit os meum:* quibus ostenditur, à Seraphim purgata fuisse labia Prophetæ; ergo Seraphim mittuntur ad ministerium exterius, & quidem immediatè.

XII. Respondet D. Thomas hoc art. 2. ad 2. neg. consequentiam. Nam *secundùm Dionysium ille Angelus, qui missus est ad purgandum labia Prophetæ, fuit de inferioribus Angelis: sed dictus est Seraphim, idest incendens æquivocè, propter hoc, quòd venerat ad incendendum labia Prophetæ.*

Vel dicendum, quòd superiores Angeli communicant propria dona, à quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis. Sic igitur unus de Seraphim dictus est, purgasse incendio labia Prophetæ: non quia hoc ipse immediatè fecerit; sed quia inferior Angelus virtute ejus hoc fecerit. Sicut Papa dicitur absolvere aliquem, etiamsi per alium officium absolutionis impendat. Nec obest; quòd dicatur. *Volavit ad me unus de Seraphim.* Potest enim intelligi, quòd volaverit, non per se, sed per alium. Sicut accedere dicitur *Matth.* 8. Centurio ad Christum; qui tamen Lucæ 7. de seipso dicit, quòd non judicavit se dignum venire ad eum: sed accessisse dicitur, quia ipse miserat eos, qui accedebant. Et hunc esse consuetum morem loquendi etiam in Scripturis, docet August. *lib. 2. de Consensu Evangelistarum c.* 20. Eò vel magis, quia ibi Propheta historicè non narrat, quæ facta sunt, sed quæ in visione imaginaria sibi fuerant repræsentata; nec dicit: *Ad me missus est*, sed *Volavit ad me*; quod benè potuit per alium à Seraphim missum fieri.

XIII. Utramque hanc responsionem probat S. Gregorius *Homil.* 34. *in Evangelia*, ait quippe: *Qui enim, ut peccata locutionis incendat, de altari Angelus carbonem portat, Seraphim vocatur, quod incendium dicitur. Huic autem sensui, & illud creditur non inconvenienter opitulari, quod per Danielem dicitur* (7. v. 10.) Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. *Aliud namque est ministrare, aliud assistere: quia hi administrant Deo, qui & ad nos nuntiando exeunt: assistunt verò, qui sic contemplatione intimâ perfruuntur, ut ad explenda foràs opera minimè mittantur.*

Sed quia in quibusdam Scripturæ locis, quædam per Cherubim, quædam verò per Seraphim agi didicimus; utrum per se hæc faciant, an per subjecta agmina agantur, quæ sicut dicitur, in eo, quòd à majoribus veniunt, majorum vocabula sortiuntur; nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus. Hoc tamen certissimè scimus, quia ad explendum de supernis ministerium, alii Spiritus alios mittunt: Zacharia scilicet Propheta testante, qui ait: Ecce Angelus, qui loquebatur ad me, egrediebatur: & ecce alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem. *Dum enim Angelus ad Angelum dicit*, Curre, & loquere, *Dubium non est, quia alius alium mittit. Minora verò sunt, quæ mittuntur, maiora, quæ mittunt &c.* Ubi dùm asserit, certum esse maioris Ordinis Angelum mittere inferiorem; probabile relinquit (licèt affirmare nolit) id, quod Seraphim Isaias tribuit, per alium Angelum ejus jussu factum fuisse.

XIV. Eodem modo respondetur ad id, quod dicitur Gen. 3. v. 24. quòd Deus *collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim*. Non enim ille fuit secundi Ordinis primæ Hierarchiæ unus (illud namque ministerium claudendi viam

viam ligni vitæ adeo excellens non erat, ut ei deputandus foret ex primis Ordinibus Angelus) sed magis fuit ex infima Hierarchia; dictus propterea Cherubim, quia destinatus custos Paradisi, in quo erat lignum Scientiæ; & vindex peccati Adæ, qui inordinato scientiæ amore peccavit. Vel ut ait Pererius in Genes. l. 6. disp. de Cherubim q. 6. *Angeli, quibus custodia Paradisi assignata est, ritè nominati sunt Cherubim ex abundantia scientiæ; ut ex eo intelligeretur, vigilantissimum, & sapientissimum Paradisi custodem esse à Deo positum, quem scilicet nemo aut dolis fallens, aut viribus vincens, in Paradisum intrare posset.*

XV. Opponitur tertiò. Raphael, qui ad Tobiam missus est cap. 12. v. 15. *Ego* (inquit) *sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Astare autem, & assistere proprium est eorum, qui sunt supremi.

XVI. Respondeo primò, quòd usu Scripturæ nomen *septem* non semper designat determinatum numerum, sed sæpè ingentem multitudinem. Secundò, ly *astamus*, non semper strictì, accipitur pro Angelis, qui solùm astant, sed latè pro iis etiam, qui astant Deo parati ad ministrandum: ex quo colligitur, Raphaelem esse unum ex septem, quibus à Deo graviora negotia committuntur. Unde explicans suum officium, v. 12. *Ego* (inquit) *obtuli orationem tuam Domino*, quod non est supremæ munus Hierarchiæ, sed infimæ.

XVII. Opponitur quartò. Gabriel (teste D. Bernardo *Homil. 1. super Missus est*) tantæ est excellentiæ inter Angelos, ut ipse solus dignus inventus fuerit, cui Deus mysterium Incarnationis confideret nunciandum; ergo fuit de supremis, & tamen missus.

XVIII. Respondeo, neg. conf. Non enim Gabriel est de suprema Hierarchia, nec Ordine supremo, sed est de supremis eorum, qui mittuntur: nec aliud intendit D. Bernardus. Cujus signum est, quòd Gabriel sæpiùs mittitur, ut constat *Daniel.* 8. & 9. quod non contingeret, si inter absolutè supremos esset.

XIX. Opponitur quintò. *Michael* (inquit Daniel. 10. v. 13.) *unus de Principibus primis venit in adjutorium meum*; ergo Michael est unus de Angelis primis, & tamen dicitur missus.

XX. Respondeo, Michaelem dici unum de principibus primis, non quòd sit Angelus supremi Ordinis, & Hierarchiæ; est enim Archangelus, idest secundi Ordinis tertiæ Hierarchiæ: sed quia Archangeli dicuntur Principes Angelorum. Unde D. Tho. 1. p. q. 108. a. 5. ad 4. *Archangeli* (inquit) *dicuntur quasi Principes Angeli, quia respectu Angelorum sunt Principes.* Rursùs *q.* 113. *a.* 3. *de Archangelis*, ait: quòd *dicuntur Principes Angelorum. Unde & Michael, quem Archangelum dicimus, unus de Principibus dicitur Dan.* 10. & Hieronymus *in c.* 10. *Daniel.* ait: *Principes autem primos, Archangelos intelligimus.* Potest etiam dici, Michaelem esse de ordine Principatuum, superiorem Gabriele, qui est summus in Ordine Archangelorum ex D. Tho. 3. *p. q.* 30. *a.* 2. *ad* 4. Et ratio est. Quia *Dan.* 8. teste D. Hieron. Michael imperat Gabrieli dicens: *Gabriel fac intelligere istam visionem.* Qui autem imperat, superior est.

XXI. Sed inquies, Michael est, qui Luciferum, & Angelos ejus debellavit: sed Lucifer, ut diximus Tomo præcedente cum D. Tho. fuit unus de absolutè supremis; ergo & Michael.

XXII. Respondeo, neg. consequ. Imò sicut Deus peccatum superbiæ Luciferi, quamvis spiritus, punit per infimam creaturam, nempe ignem corporalem: ita superbiam ejus confundere, & prostrare voluit per Michaelem, & Angelos, quamvis Ordinis longè inferioris. Probabiliter tamen aliqui volunt, Michaelem, qui pugnavit contra Diabolum, fuisse supremum inter omnes, & diversum ab eo, qui tanquam Dux belli modò contra Dæmones colitur ab Ecclesia.

Vide

Vide Sylvium in 1. *par. qu.* 112. *ad art.* 3.

XXIII. Opponitur sextò. *Matth.* 25. omnes Angeli dicuntur venturi cum Christo ad Judicium, ministerii scilicet causâ. Insuper verisimile est, Christo & nascenti, & Cœlos ascendenti omnes accurrisse ad famulatum; ergo &c.

XXIV. Respondetur, neg. consequentiam. Nam S. Thomas non negat, omnes Angelos mitti ad famulandum Deo; sed ad nuntiandum aliquid hominibus; vel ad aliquod simile ministerium circa corporalia exhibendum.

XXV. Opponitur septimò. Non debet indignum videri, si etiam superiores Angeli mittantur, cùm & ille, qui Creator est omnium, missus à Patre ad hæc inferiora descenderit.

XXVI. Respondeo primò. Hìc non quæri, an foret, vel non foret indignum superiores Angelos mitti; sed an de facto fiat, vel non fiat. Secundò. Nec est simile de Filio divino, qui de facto missus fuit à Patre: missus enim fuit, non ad ministrandum hominibus, sed ad homines redimendos, qualis esse non poterat ullus, qui non esset Deus: Angeli autem superiores mitterentur ad ministrandum, quòd per inferiores æquè impleri potest. Unde D. Bonaventura *in* 2. *dist.* 10. ait: Missio aut est ad redimendum, aut est ad ministrandum. Prima est tantæ dignitatis, quòd nulli alii potest competere, nisi soli Deo: secunda verò non est tantæ dignitatis, quòd competat agmini supremo.

DUBIUM IV.

De Custodia Angelorum erga Homines.

§. I.

Angelos Mundo visibili præsidere.

I. Aliquos certos Angelos toti terrarum Orbi præesse, & per eos visibilem hunc Mundum gubernari, docuit D. Tho. hìc *q.* 110. *a.* 1. Nam potestas inferior gubernatur, & regitur per superiorem, & forma particularis per universalem. Sic inferiores Angeli, qui habent formas minus universales, reguntur per superiores, & potestas Ballivi regitur à potestate Regis: sed virtus cujuslibet corporis, imò totius Mundi corporalis, est inferior, & minùs universalis, quàm virtus angelica, quia virtus spiritualis; cùm illa determinetur per materiam, hæc autem absoluta sit, & per se subsistens; ergo &c.

II. Probat etiam S. Doct. 3. *Contra gentes c.* 78. hoc discursu. Ad Providentiam divinam pertinet, ut ordo servetur in rebus: sed congruus ordo est, ut per suprema descendatur ad infima, & sicut supremæ creaturæ sunt à Deo, & gubernantur ab ipso; ita inferiores creaturæ sint sub superioribus, & regantur ab ipsis; ergo cùm inter omnes creaturas intellectuales angelicæ sint supremæ, exigit divinæ Providentiæ ratio, ut &c. Eò vel maximè, quòd cùm ad Providentiam requiratur, non solùm executio, quæ fit per operativam, sed & dispositio ordinis, quæ fit per cognoscitivam virtutem, sicut ad regendam navem, nedum requiritur vis operativa remigantium, sed vis ordinativa nautæ eam dirigentis: & utraque hæc virtus in creaturis rationalibus adsit, in aliis verò adsit sola virtus operativa, fit, ut per creaturas rationales omnes aliæ creaturæ sub divina Providentia regantur.

III. Hoc adeò certum est, ait S. Th. *qu.* 110. citatâ, ut non solùm à Sanctis Doctoribus ponatur, *sed etiam ab omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt*. Unde Trismegistus in Pymandro *cap.* 1. Angelos Mundi hujus gubernatores appellat; & *cap.* 8. ait, quòd Deus creavit septem opifices circa septem circulos: hi sunt Mundi hujus gubernatores. Quam opinionem de septem Angelis amplexus quoque est Clemens Alex. *lib.* 6. *Stromat. ad finem*, dicens: *Septem quidam sunt, quorum est maxima potentia primogeniti Angelorum principes*. Et hoc quadam inductione conatur ostendere. Primò. Quia septem sunt Planetæ, quorum influxu hæc inferiora gubernantur. Secundò. Ursæ constant ex septem stellis, quarum auspiciis, & agricultura exercetur, & navigatio dirigitur. Tertiò. Luna septimo die mutat figuram. Quartò. Vetus lyra habuit septem tonos. Quintò. In nostra facie septem sunt instrumenta sensuum, duo oculorum, duo narium, duo aurium, & septimum oris. Sextò. Septem sunt mutationes ætatum. In morbis dies septimus est criticus.

IV. Numerus septenarius Angelorum Mundum gubernantium fundamentum habet ex Scriptura. Tob. 12. v. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum*. Zachar. 3. v. 9. *Super lapidem unum septem oculi sunt*. Et c. 4. v. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram*. Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*. Hoc idem dicitur *Apoc. c.* 3. *v.* 1. *cap.* 5. *v.* 6. *cap.* 8. *v.* 2. *cap.* 15. *v.* 1. *& v.* 17. Sed quia meritò dubitari potest, an per illos septem Spiritus intelligantur septem Angeli, an verò potiùs septem dona Spiritus Sancti: & an numerus septenarius sumatur definitè pro septem tantùm Angelis, an verò indefinitè pro magna copia, & multitudine, ut esse usum in Scripturis superiùs diximus: idcircò

V. Quidquid sit de numero septenario, Mundum per Angelos regi docent SS. Patres. S. Augustinus lib. 83. quæst. q. 79. *Unaquaque* (inquit) *res visibilis in hoc Mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam. sicut aliquot locis divina Scriptura testatur*. Loca verò esse possunt *Daniel.* 9. *&* 10. ubi Angelorum cura de Israelitis, & Persis describitur. *Apoc.* 7. ubi Angeli quidam dicuntur tenere ventos terræ, ne flarent, neque super terram, neque super Mare, neque super ullam arborem *Apoc.* 14. Sermo est de Angelo habente potestatem super ignem. Et *c.* 16. de Angelo aquarum. S. Gregorius *l.* 9. *Mor. c.* 17. *olim* 14. ait: *Per hoc, quòd dicitur*: Sub quo curvantur, qui portant Orbem, *possunt & angelicæ virtutes intelligi. Ipsæ etenim Orbem portant, quæ regendi Mundi curas administrant*. Et l. 4. Dialog. c. 6. *In hoc quoque* (inquit) *Mundo visibili nihil, nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando, vel implendo ea, quæ ratione subsistunt, & vivificat, & movet invisibilia: ita ipsa quoque invisibilia implendo movent, atque vivificant carnalia corpora, quæ videntur*. Hoc idem docet Nazianzenus carmine 6.

VI. Hinc probabile valde fit, quod ex eodem Gregorio *Homil.* 34. *in Evang.* refert D. Thom. 1. *p. qu.* 113. *a.* 2. Cuilibet rerum materialium generi, imò & speciei proprium, ac determinatum Angelum præfici; ut enim supra notavimus ex Apocal. connumerantur Angeli potestatem habentes supra ignem, & supra aquas.

Quare admittendi non sunt, qui à speciebus viventium imperfectorum, seu quæ ex putri generantur, angelicam præsidentiam removent. Cum enim, teste D. Thom. relato, custodia Angelorum sit quædam executio divinæ Providentiæ circa res, quæ perpetuò manent, quales sunt species rerum corruptibilium; debetur etiam

talis

talis custodia speciebus viventium imperfectorum; ita ut unus Angelus pro qualibet specie, & omnibus individuis deputetur: ad differentiam speciei humanæ, cui non solùm pro tota specie unus Angelus, sed pro singulis hominibus singuli Angeli deputantur, ut dicemus.

§. II.

Angelos præsidere Regnis, & Ecclesiæ.

VII. Singulis Regnis, ac Provinciis etiam Infidelium singulos Angelos esse præpositos docent SS. Patres ex c. 10. Danielis, ubi introducuntur quatuor Angeli, quorum unus erat Princeps Persarum, alter Græcorum, tertius Gabriel Princeps captivorum in Perside, quartus Michael Princeps populi Dei. Inter Principem Persarum, & Gabrielem erat dissensio, an Judæi essent liberandi ex Perside, nec ne. Negabat Princeps Persarum, affirmabat Gabriel; nimirùm uterque agebat causam pro gente sibi commissâ. Itaque Gabriel contendebat, Judæos liberandos esse; ne si diutiùs in Perside hærerent, paulatim imbiberent mores Persarum, & relicto vero Deo, ad cultum Idolorum se converterent. Alter contra urgebat, persistendum esse in Perside: tùm quòd Persæ discerent à Judæis cultum, ac religionem veri Dei: tùm etiam quòd Judæi meliores essent rebus adversis, quàm prosperis. & antiqua peccata novis afflictionibus expiarent.

VIII. Hinc apparet causa, quare singulis Regnis, ac Provinciis singuli Angeli sint assignati; nimirùm, ut populos sibi concreditos ad verum Dei cultum perducant, vel in eo confirment; ut ab infestis Dæmonum potestatibus tueantur; & quæ ad salutem necessaria sunt, in eis promoveant. Unde D. Dionysius *cap. 9. Cœlest. Hierarch.* apertè testatur, multos ex Gentibus Angelorum ministerio ad Deum verum agnoscendum, & colendum fuisse perductos. Cujus illustre habemus exemplum (ait 10.) de Cornelio Centurione, qui hortante Angelo missus fuit ad Petrum, ut fide imbueretur. Et multi graves Theologi cum D. Thoma sentiunt, etiam Gentiles post Christum natum, si legem naturæ observent, contingere posse, ut ministerio Angelorum ad latentem Christi fidem perducantur.

IX. Aliud quidpiam memorabile Origenes *in cap. 11. Numer.* de hac materia scribit. Putat enim in confusione linguarum, unumquemque Angelum ei genti, cujus curam gerebat, propriam linguam assignasse, & indidisse: *Ut verbi gratiâ unus aliquis Angelus fuerit, qui Babylonicam tunc uni earum gentium impresserit linguam; alius, qui alii Ægyptiam, & alius, qui Græcam. Et sic diversarum gentium ipsi illi fortasse Principes fuerunt, qui linguarum, & loquelæ videbantur auctores. Mansit autem lingua per Adam primitùs data, quam nos fuisse putamus Hebræam, in ea parte hominum, quæ non pars alicujus Angeli, vel Principis facta est, sed quæ Dei portio permansit.* Hæc Origenes, penes quem de hoc fides sit. Hoc certum est, Provincias, & Regna suum Angelum habere præsidem, ut docet D. Thom. 1. *p. q. 113. a. 3.* dicens, hanc pertinere ad ordinem Archangelorum, vel Principatuum, vel Virtutum, vel Potestatum &c. Ubi enim distinxit custodiam in particularem, & universalem, de hac ait: *Sic igitur custodia humanæ multitudinis pertinet ad ordinem Principatuum, vel fortè ad Archangelos, qui dicuntur Principes Angelorum. Unde & Michael, quem Archangelum dicimus, unus de Principibus dicitur Dan. 10. Ulteriùs autem super omnes naturas corporeas habent custodiam Virtutes. Et ulteriùs etiam super Dæmones habent custodiam Potestates; & ulteriùs super bonos Spiritus habent custodiam Principatus, vel Dominationes secundùm Gregorium* (Hom. 34. in Evang.)

X. Multò autem magis toti Ecclesiæ angelicum præsidium adesse credendum est. Ac primò certum est, Michaelem olim in veteri Testamento præfuisse Sinagogæ, seu Ecclesiæ Judæorum. Hoc enim supponit D. Tho. *in* 4. *dist.* 43. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. & Dionys. *cap.* 9. *de Cœlest. Hierarch.* & communiter sentiunt omnes; quia Dan. 10. v. 21. *Nemo est* (inquit) *adjutor meus... nisi Michael Princeps noster.* Deinde Scriptura quatuor locis meminit gestorum ipsius in favorem Judæorum. Primò. Nam apud Danielem *cap.* 10. dicitur, egisse causam Judæorum, ut possint liberari ex captivitate Persarum. Secundò. Apud eumdem *cap.* 12. *v.* 1. dicitur, quòd Die Judicii veniet pro populo suo pugnaturus. Tertiò. *In Epist. Canonica Judæ* dicitur, contendisse cum Diabolo de corpore, & sepultura Moysis. Diabolus enim volebat in apertum proferre, ut Judæos ad idololatriam provocaret, cui Michael se opposuit, ut Hebræis hanc occasionem eriperet. Quartò. *Apoc.* 12. describitur pugna ejus cum Lucifero à Daniele prædicta. Quæ omnia indicant, Michaelem curam, & protectionem habuisse Hebræorum. Vide Gregor. *lib.* 17. *Moral. cap.* 12. *olim* 8.

XI. Eundem etiam custodem, & defensorem esse Ecclesiæ Christianæ, affirmat D. Thomas citatus ex 4. *dist.* 43. *a.* 2. *quæstiunculâ* 3. *ad* 2. ubi loquens de ministerio Angelorum in resurrectione, ait: *Ministerium illud erit principaliter unius Archangeli, scilicet Michaelis, qui est Princeps Ecclesiæ, sicut fuit Sinagogæ.* Testantur hoc variæ apparitiones, partim in Occidentali, partim Orientali Ecclesiâ; quibus, additâ miraculorum virtute, fecit se conspicuum, ut omnibus eum esse patronum Ecclesiæ palam innotesceret. Celebris ejus apparitio in monte Gargano Apuliæ anno 493. sub Gelasio, ut notat Baron. *Annal. ad dictum annum nu.* 43. & *in Martyrolog. ad diem* 8. *Maii*; ubi refert Templum Deo in honorem S. Michaelis erectum, factum fuisse peregrinationum locum; adeò ut, referente Petro Damiani, Otho Imperator S. Romualdi monitu, ad expiandum crimen paulò ante commissum, nudis pedibus illuc perrexerit. Altera Romæ in Mole Hadriani, ubi, Bonifacio Papâ, visus fuit in signum luis cessantis exertum gladium in vaginam recondere. Alias prætereo, quæ legi possunt apud Baron. *in Martyrol. ad diem* 8. *Maii*, *&* 29. *Septembris.*

XII. Sed quare Michaelî potiùs, quàm alteri ex tot Angelorum millibus Ecclesiam à Deo commendatam piè credimus? Dicunt aliqui, id factum, quòd Michael debellavit Luciferum: unde in præmii loco protector omnium fidelium à Deo constitutus fuit. Sed verius crediderim, id solâ Dei voluntate factum nullo meriti intuitu, cui sicut placuit Michaeli in Ecclesiam veterem principatum tradere; ita eum continuare voluit in nova, velut omnium Angelorum ministrantium Principem.

§. III.

Resolutio Dubii.

XIII. Singulis hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus singulos Angelos in Custodiam deputari, constans est Doctorum opinio. Unus Calvinus audacissimus de more, ab hoc choro resilit. Etenim in Psal. 90. *Falsum* (inquit) *est illud commentum, suum cuique singularem Angelum esse.* Ad cap. 12. Actorum. *Quod vulgò hinc eliciunt, singulis hominibus singulos attribui Angelos, qui eorum curam gerunt, nimis infirmum est. Nam Scriptura testatur magno populo interdum unum dari Angelum: ergo figmentum, quod passim invaluit de binis cujusque geniis, prophanum est.* Et *lib.* 1. *Instit. c.* 14. §. 7. ait: *Caterùm an singulis fidelibus singuli Angeli sint attributi ad eorum defensionem, pro certo asserere non ausim.*

Certè

Certè quem Daniel Angelum Persarum, & Graecorum Angelum inducit, significat certos Angelos Regnis, ac Provinciis quasi praesides destinari. Christus etiam quùm dicit, Angelos puerorum semper videre faciem Patris, certos esse Angelos, quibus commendata sit eorum salus, innuit. Sed ex eo nescio, an colligi debeat, unicuique praeesse suum Angelum. Hoc quidem pro certo habendum, non tantùm uni Angelo unumquemque nostrum esse curae, sed omnes uno consensu vigilare pro salute nostra. Hæc Calvinus.

XIV. Verùm paucis verbis plura peccata committit. Primum impudentissimæ temeritatis; dùm solus toti antiquitati audet resistere, ut ostendam. Secundum inconstantiæ. Nam uno loco asserit, falsum esse commentum, suum cuique singularem Angelum esse. Alio autem loco non audet pro certo asserere, an ita res se habeat, nec ne. Tertium malæ consequentiæ; dùm ex quo unus Angelus præsit magno populo, infert, falsum esse singulis hominibus singulos præfici Angelos. Quartum peccatum est contradictio suis principiis; dum asserit certum esse, omnes Angelos uno consensu vigilare pro salute humanâ. Doctrina enim Calvini est, omnes homines ab æterno, nullo habito respectu bonorum, vel malorum operum, alios esse ad vitam prædestinatos, alios reprobatos ad mortem: hi secundùm Calvinum, quidquid agant, aut moliantur, certò certiùs ruunt ad interitum; illi verò, etiamsi velint, perire non possunt. Frustra ergo vigilant Angeli pro eorum salute. Et rectiùs in sua doctrina dixisset, Angelos in utramque partem dormire, nec ullam de humana salute curam gerere. Dimisso ergo hoc nebulone

XV. Dico primò. Unicuique Fidelium unus Angelus datur ad custodiam. Ita omnes penè Patres Græci, & Latini. Et hoc probant ex Scripturis. *Gen.* 48. *v.* 16. Jacob ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis*. Ubi loquitur de aliquo uno Angelo sibi in custodiam destinato. Judith 13. v. 20. *Custodivit me Angelus ejus*: ecce Angelum datum Judith in custodiam. *Matth.* 18. *v.* 10. Sermo est de Angelis puerorum custodibus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Actorum 12. *v.* 15. Fideles Petro Januam pulsante, nec putantes esse revera Petrum, dicebant: *Angelus ejus est*. Communis ergo tunc erat fidelium persuasio, saltem fideles habere suum Angelum.

His, aliisque moti Chrysostomus in cap. 18. Matth. *Hic manifestum est* (inquit) *quia omnes Sancti Angelos habeant*. Basilius in Psalm. 48. *Cuilibet fidelium est Angelus assistens*. Et lib. 3. contra Eunom. *Quòd singulis fidelium adsit Angelus, ut pedagogus quidam, & pastor ad vitam dirigendam, non contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis ... Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*.

XVI. Dico secundò. Non solùm fidelibus, sed omnibus omnino hominibus, ac singulis, singuli Angeli ad custodiam deputantur. Hinc S. Hieron. *in cap.* 18. *Matth.* ponderans verba Christi supra laudata, exclamat: *Magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum!* Et in cap. 5. Ecclesiastæ: *Non enim* (inquit) *in ventum dicta transeunt, sed à praesenti Angelo, qui unicuique adhaeret comes, statim perferuntur ad Dominum*.

XVII. Probatur ratione Divi Thomæ hâc *quaest.* 113. *art.* 2. quæ generalis est, hoc pacto. Angelorum custodia est divinæ Providentiæ executio, quæ principaliter est circa illa, quæ perpetuò manent: sed homines perpetuò manent non solùm quoad speciem, sed etiam quantùm ad proprias formas singulorum, quæ sunt animæ rationales; ergo deputatur Angelus non solùm ad custodiam speciei humanæ, sed ad custodiam cujuslibet individui suus Angelus destinatur.

XVIII.

XVIII. Secundò probatur. Deus vult omnes homines salvos fieri, & Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est, ut superiùs contra Calvinum, & Jansenium probatum est; ergo debet omnibus, & singulis providere de mediis, quibus possint ad salutem tendere, & fructum mortis suæ percipere: sed inter cætera media est angelica custodia; ergo hæc omnibus, & singulis adesse debet. Min. subsumta probatur. Qui est in via periculosa, in qua latent hostium insidiæ, non potest tutò transire, nisi habeat peritum, & fidum custodem, ac ducem: sed homo in hâc vitâ mortali est quasi in via, quæ tendit ad Cœlestem patriam, quæ est valdè periculosa, tùm ex parte hominis viatoris, qui ex se infirmus est, & labi facilè potest, aut errare: tùm ex parte hostium, qui plurimi in hâc viâ sunt, & occultas insidias parant; ergo &c.

XIX. Sed objicies primò. Custodes deputantur aliquibus, vel quia nesciunt, vel quia nequeunt custodire seipsos: sed homo per liberum arbitrium potest custodire seipsum, & per naturalem legis cognitionem etiam scit; ergo &c.

XX. Respondeo cum D. Thom. hâc qu. 113. art. 1. ad 1. *Quòd per liberum arbitrium potest homo aliqualiter malum vitare, sed non sufficienter: quia infirmatur circa affectum boni propter multiplices animæ passiones. Similiter etiam universalis cognitio naturalis legis, quæ homini naturaliter inest, aliqualiter dirigit hominem ad bonum, sed non sufficienter; quia in applicando universalia principia juris ad particularia opera contingit hominem multipliciter deficere. Unde dicitur Sap. 9* Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. *Et ideo necessaria fuit homini custodia Angeli.*

XXI. Dices. Hæc omnia abundè haberi per custodiam Dei: ubi autem adest fortior custodia, superfluit inferior. Homines autem à Deo custodiri, dicit David Psalm. 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*; ergo &c.

XXII. Respondeo cum eodem S. Th. ibi ad 2. *Quòd ad bonum operandum duo requiruntur. Primò, quòd affectus inclinetur in bonum... Secundò autem, quòd ratio inveniat congruas vias ad perficiendum bonum virtutis.... Quantùm ergo ad primum Deus immediatè custodit hominem infundendo ei gratiam, & virtutes. Quantùm autem ad secundum Deus custodit hominem sicut universalis instructor, cujus instructio ad hominem pervenit mediantibus Angelis.*

Addo, quòd si hæc instantia valeret, tollenda essent omnia media ad salutem: potest enim Deus salvare Christianos sine Sacramentis, sine prædicatione Evangelii, imò eum conservare sine cibo, & potu. Sicut ergo, etsi possit, vult tamen ut universalis Provisor hæc haberi per media præfata; ita vult, hominem in hac via angelicâ custodiâ regi, quamvis per seipsum posset.

XXIII. Objicies secundò. Perditio custoditi redundat in negligentiam custodis, si cum possit, non subveniat: sed multi homines quotidie pereunt, quibus Angeli subvenire possent, vel visibiliter apparendo, vel mirum aliquid faciendo; ergo Angelis imputaretur, si &c.

XXIV. Respondeo ex eodem ad 3. *Quod sicut homines à naturali instinctu boni discedunt propter passionem peccati: ita etiam discedunt ab instigatione bonorum Angelorum, quæ fit invisibiliter per hoc, quòd homines illuminant ad benè agendum. Unde quòd homines pereunt, non est imputandum negligentiæ Angelorum, sed malitiæ hominum. Quòd autem aliquando præter legem communem hominibus visibiliter appareant, ex speciali Dei gratia est, sicut etiam præter ordinem naturæ miracula fiunt.*

XXV. Objicies tertiò. Unus homo sufficit ad habendam curam plurium aliorum; ergo multò magis unus Angelus,

lus, qui fortioris virtutis est, & perspicacioris vigilantiæ

Respond. negando consequentiam. Quòd enim cuilibet homini unus Angelus deputetur, non est ex defectu virtutis angelicæ, sed ex variis titulis, quibus indiget homo angelorum custodiâ, ut docet S. Tho. hâc *quæst.* 113. *art.* 2. *ad* 1. ubi ait: *Quòd alicui homini adhibetur custos dupliciter. Uno modo inquantùm est homo singularis: & sic uni homini debetur unus custos, & interdum plures deputantur ad custodiam unius. Alio modo inquantùm est pars alicujus collegii: Et sic toti collegio unus homo* (al. unus Angelus) *ad custodiam præponitur; ad quem pertinet providere ea, quæ pertinent ad unum hominem in ordine ad totum collegium, sicut sunt ea, quæ exteriùs aguntur, de quibus alii ædificantur, vel scandalizantur. Angelorum autem custodia deputatur hominibus etiam quantùm ad invisibilia, & occulta, quæ pertinent ad singulorum salutem secundùm seipsos. Unde singulis hominibus singuli Angeli deputantur ad custodiam.* Potest igitur homo considerari, & secundùm se, & respectivè ad alios, seu ut est pars alicujus Communitatis. Si hoc modo consideretur, ille Angelus, qui præest toti Communitati, sufficit pro illius simul, & aliorum custodiâ: si autem sumatur absolutè, datur illi proprius, & specialis Angelus, qui eum custodiat

XXVI. At dicit Calvinus. Qui ad unum Angelum curam hominis restringit *magnam sibi, & omnibus Ecclesiæ membris injuriam facit: ac si de nihilo promissa essent illa auxiliares copiæ, quibus undique cincti, ac muniti animosiùs certemus.* Ita *lib.* 1. *Inst. cap.* 14. §. 7.

XXVII. Sed fallitur, aut fallere vult impostor iste. Quis enim unquam Catholicorum ad unum Angelum restrinxit illam, quam de unoquoque nostrum curam gerit? Imò præter specialem curam, quam in casibus ordinariis gerit de suo cliente Angelus deputatus, dicimus, in casibus extraordinariis innumeros alios Angelos præstò esse, ut contigit Elisæo 4. *Regum cap.* 6. *v.* 17. & aliis. Calvinus ergo est, qui restringit, & injuriam facit membris Christi, eripiens unicuique suum Angelum.

XXVIII. Objicies quartò contra secundam assertionem. Teste D. Paulo Hebr. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* ergo Angeli non mittuntur ad custodiam, nisi Fidelium, imò nisi Prædestinatorum, qui soli hæreditatem capiunt salutis

XXIX. Respondetur, negando conseq. Apostolus enim indicare voluit finem, ob quem Angeli mittuntur; non autem quòd omnes, ad quos mittuntur, illum consequi debeant quoad effectum. Nam, ut ait D. Tho. hic a. 4. ad 3. *Sicut Præsciti, & Infideles, & etiam Antichristus non privantur interiori auxilio naturalis rationis; ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs concesso, scilicet custodiâ Angelorum; per quam, etsi non juventur quantùm ad hoc, quòd vitam æternam bonis operibus mereantur; juvantur tamen quantùm ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & sibi ipsis, & aliis nocere possent. Nam & ipsi Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantùm vellent. Et similiter Antichristus non tantùm nocebit, quantùm vellet.* Hæc D. Tho. Quibus patet, Angelos Custodes Præscitorum aliquomodo cooperari ad bonum Electorum, impediendo in Præscitis multa mala, quæ Electis nocere possent.

§. IV.

§. IV.

Varia pro Appendice resolvuntur.

XXX. Quæres primò: Ad quem ordinem pertineant Angeli deputati ad custodiam?

Respondet D. Thom. *art.* 3. quòd ad custodiam singularis hominis deputatur Angelus Ordinis infimi; ad custodiam verò humanæ multitudinis delegatur Angelus superioris Ordinis, vel Archangelus, vel Principatus.

XXXI. Quæres secundò: A quo tempore incipiat angelica particularis hominis custodia?

Respondet D. Thom. *art.* 5. eam incipere à nativitate ex utero matris, quia tunc nascendo accipit naturam humanam separatim à matre: *Quamdiu enim est in materno utero, non totaliter est à matre separatus, sed per quandam colligationem est quodammodo adhuc aliquid ejus; sicut & fructus pendens in arbore est aliquid arboris. Et ideò probabiliter dici potest, quòd Angelus, qui est in custodia matris, custodiat prolem in matrie utero existentem.* Ita D. Tho. ibi *ad* 3.

XXXII. Quæres tertiò: An Angelus Custos quandoque deserat hominem?

Respondet D. Tho. *art.* 6. quòd sicut Deus nunquam totaliter subtrahit ab homine suam Providentiam; ita neque totaliter ab eo subtrahit custodiam angelicam, quæ divinæ providentiæ circa homines est executio. Sed sicut Deus intantùm dicitur derelinquere hominem, inquantùm permittit pati aliquem defectum, vel pœnæ, vel culpæ: sic Angelus *interdum eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundùm ordinem divinorum judiciorum. Et secundùm hoc Babylon, & domus Israel ab Angelis derelicta fuerunt; quia Angeli earum custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur.* Et *ad* 3. addit: *Quòd Angelus etsi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantùm ad effectum custodiæ: quia etiam cùm est in Cœlo, cognoscit, quid circa hominem agatur; nec indiget morâ temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

XXXIII. An autem Angeli doleant de malis eorum, quos custodiunt, sicut gaudent de eorum bonis, Lucæ 15. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente?*

Respondet D. Thom. *art.* 7. Quòd Angeli absolutè nec dolent, nec tristantur de peccatis, aut pœnis hominum. Tristatur enim aliquis, & dolet de eo, quod ejus voluntati contrariatur: nihil autem accidit in Mundo, quod sit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum Beatorum, quia voluntas eorum totaliter inhæret ordini divinæ justitiæ, sine cujus opera, aut permissu nihil accidit. Nollent quidem Angeli peccata, & pœnas hominum, quos custodiunt, voluntate universali; sicut nauta non vult projectionem mercium in mare: at sicut nauta, imminente periculo, simpliciter vult merces projicere; sic *Angeli peccata, & pœnas hominum universaliter, & absolutè loquendo non volunt; volunt tamen, quòd circa hoc ordo justitiæ servetur, secundùm quam quidam pœnis subduntur, & peccare permittuntur.* Et similiter ait ibi ad 3. *Tàm in pœnitentia, quàm in peccato manet una ratio gaudii in Angelis, scil. eet impletio ordinis divinæ Providentiæ.* Dicuntur tamen potiùs gaudere de pœnitentia, quia de hac gaudent utrâque voluntate tàm universali, quàm particulari.

XXXIV. Porrò quod dicitur Isaiæ 33. v. 7. *Angeli pacis amarè flebunt,* non obstat. Nam, ut ait D. Thom. ibi ad 1. *Verbum illud Isaiæ potest intelligi de Angelis, idest nuntiis Ezechiæ, qui fleverunt propter verba Rapsacis, de quibus habetur Isaiæ 37. & hoc secundùm litteralem sensum. Secundùm vero allegori-*

goricum, Angeli pacis sunt Apostoli, & Prædicatores, qui flebunt pro peccatis hominum. Si verò secundùm sensum anagogicum exponatur de Angelis bonis; tunc metaphorica erit locutio, ad designandum, quòd Angeli volunt in universali hominum salutem. Sic enim Deo, & Angelis hujusmodi passiones attribuuntur.

XXXV. Quæres quartò: An primis Parentibus in statu innocentiæ datus fuerit Angelus Custos?

Respondetur affirmativè cum D. Th. hâc qu. 113. art. 4. ad 2. *Nam homo in statu innocentia non patiebatur aliquod periculum ab interiori, quia interiùs erant omnia ordinata .... sed imminebat ei periculum ab exteriori propter insidias Dæmonum, ut rei probavit eventus.*

An verò si primi homines in justitia perstitissent, adhuc Angelum Custodem habuissent; probabilior videtur pars affirmativa. Tùm quia etsi non peccassent illo primo peccato; adhuc tamen non fuissent confirmati in gratia, ut supra vidimus cum D. Th. *qu.* 100. *art.* 2. Potuissent igitur à Dæmone tentari, & per liberum arbitrium ipsi, vel filii eorum peccare. Vel fortè illis dandus foret Angelus per divinam Providentiam, nedum ut à peccato conservarentur; sed ut eorum mens supernis illustrationibus magis roboraretur, & inflammaretur affectus.

XXXVI. Multò magis habuisset Angelos in sui custodiam, si homo fuisset conditus in statu puræ naturæ; quia, ut vidimus, eisdem, quibus modò defectibus tùm animæ, tùm corporis fuisset obnoxius. Tunc autem Angelorum custodia, estò ad vitæ æternæ hæreditatem (ad quam non esset ordinatus) percipiendam non deserviret; juvaret tamen, ut homo per legis observantiam moveretur ad finem sibi connaturalem, & incitaretur ad virtutum officia.

XXXVII. Quæres quintò: An B. Virgo Angelum Custodem habuerit?

Respondeo affirmativè. Hunc Divus Bernardus *Tract. de Baptismo cap.* 5. (aliàs Epist. 77.) existimat fuisse Archangelum Gabrielem, & ei soli antea revelatum fuisse, eam esse Matrem Dei: *Excepto* (inquit) *duntaxat Archangelo, cui & servanda ab initio tradita fuisse credenda est.* Si enim homini in statu innocentiæ perseveranti Angelus Custos non defuisset, ut diximus, nec B. Virgini deesse debuit: non ut eam à Dæmonum insidiis tueretur, quæ serpentis caput pede contriverat, nec ut ab eo edoceretur, quæ Deum habebat magistrum; sed ut ejus præsentiâ recrearetur, & juvaretur ministerio.

XXXVIII. Solum Christum non habuisse Angelum ad sui custodiam deputatum, docet D. Thomas hâc *qu.* 113. *art* 4. *ad primum*: Etenim *Christus, secundùm quòd homo, immediatè regulabatur à Verbo Dei; unde non indigebat custodiâ Angelorum. Et iterum secundùm animam erat comprehensor, sed ratione passibilitatis corporis erat viator. Et secundùm hoc non debebatur ei Angelus Custos tanquam superior. sed magis minister tanquam inferior. Unde dicitur Matth.* 4. *quòd accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* In quo sensu Angeli in ejus nativitate descenderunt, & in passione Angelus eum confortaturus accessit, eum reverendo, & fortitudinem ejus admirando, quâ liberâ suâ voluntate ponebat, & resumebat dolorem. Quo confunditur impia Calvini blasphemia dicentis, Christum non modò timuisse mortem, sed etiam in Cruce desperationis vocem emisisse; ideoque Deo, & Angelo confortatore eguisse.

XXXIX. Quæres sextò: An anima separata Angelum habeat Custodem?

Respondeo negativè cum D. Thoma citato *art.* 4. Custodia enim angelica ideo datur homini, ut per eam defendatur à periculis tùm interioribus, tùm exterioribus, quæ dum est in hac vita, quasi in via impedire eum possunt, ne perveniat ad suum finem,

finem, qui est vita æterna: sed hæc in termino hujus vitæ per mortem cessabunt; ergo cessabit quoque Angelorum custodia. Ut enim ait D. Thomas laudatus: *Cuilibet homini quamdiu viator est, Custos Angelus deputatur: quando autem jam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit Angelum Custodem, sed habebit in Regno Angelum conregnantem, in Inferno Dæmonem punientem.* Quòd si in Purgatorio detineatur, cùm tamen sit in termino hujus viæ, & exemtus à periculis, nec à fine possit deficere; cessat Angelus esse illius Custos. Non desunt tamen Angeli ad consolationem deputati, qui eas in tormentis spe vicinæ gloriæ roborant, suis intercessionibus apud Deum juvant, & tandem in Cœlum evehunt; ut de Lazaro mendico legitur Lucæ 16. v. 22. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ad locum etiam Purgatorii animas à bonis Angelis perduci, comitantibus eos etiam Dæmonibus, possibile censet D. Thomas *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 1. *art.* 1. *quæstiunculâ* 5.

XL. De Antichristo, an suum habiturus sit Custodem Angelum, negant aliqui, inter quos Suarez *in* 3. *par. qu.* 59. *disp.* 14.

Communiter, & veriùs affirmant cæteri cum D. Thom. ut supra diximus *art.* 4. *ad* 3. Nam Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, neminem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, nulli denegat media saltem remota, inter quæ angelica custodia recensetur, quibus ad salutem conari possit: & consequenter nec ea denegabit Antichristo, quamvis præscito, & filio perditionis: quæ si ipsi non proderunt, saltem proderunt aliis, & Sanctis, ne illis noceat quantum vellet.

XLI. Quæres ultimò: An Deus sinat, homines à Dæmonibus tentari, & impugnari?

Respondeo affirmativè cum D. Tho. *qu.* 114. *art.* 1. Invidia enim, quâ Diabolus primos Parentes prostravit, non cessat trahere, quantùm potest, in ruinam etiam Posteros, eos impugnando, & ad peccatum tentando. Notat tamen S. Thom. loco citato: *Quòd circa impugnationem Dæmonum duo est considerare, scilicet ipsam impugnationem, & impugnationis ordinem. Impugnatio quidem ipsa ex Dæmonum malitiâ procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur: & propter superbiam divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem: sicut & Angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem. Sed ordo impugnationis ipsius est à Deo, qui ordinatè novit malis uti, ad bona ea ordinando. Sed ex parte Angelorum tàm ipsa custodia, quàm ordo custodiæ reducitur in Deum, sicut ad primum auctorem.*

XLII. Tentare autem ex eodem S. Doctore *a.* 2. propriè est experimentum sumere de aliquo: unde finis proximus tentantis est scire, seù scientia; remotus autem id, quòd ex scientia quæritur, quòd aliquando est bonum, aliquando malum. Sic tentare diversis convenit. Homo enim tentare dicitur, quandoque solùm ut sciat, quo modo tentare Deum est peccatum. Deus verò tentare dicitur, ut sciat, eo modo loquendi, quo dicitur scire, quòd facit alios scire. Unde August. *q.* 58. *in Genes.* hæc Dei verba: *Nunc cognovi, quòd timeas Dominum*, exponit sic: *Nunc te feci cognoscere*. Diabolus verò semper tentat, ut noceat, in peccatum præcipitando; vel utendo homine, ut sui ministro, vel carne, & Mundo, seu tanquam instrumentis, sive tanquam materiâ; inquantùm motus concupiscentiæ, & prospera, vel adversa Mundi sunt materia, & objecta, quibus homo peccat, si succumbat.

XLIII. An autem omnia peccata hominum ex Diaboli tentatione procedant: D. Thomas *art.* 3. dicit, Diaboli tentationem esse quidem causam occasio-

occasionalem, indirectam, & remotam omnium peccatorum; quatenus ex tentatione primi hominis secuta est pronitas ad omnia peccata: non tamen esse causam directam, & proximam. Non enim omnia peccata committuntur Diabolo instigante, sed quædam ex libertate arbitrii, & carnis corruptione. Unde S. Jacobus in sua Epist. cap. 1. v. 14. *Unusquisque* (inquit) *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Et Origenes *lib.* 3. *Periarchon cap.* 2. ait: *Etiamsi Diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, circa quæ multa inordinatio contingit*.

XLIV. Diabolum demum ab aliquo superatum, docet D. Tho. *art.* 5. recedere quidem ab illo, sed ad tempus, habens animum redeundi, Sic Lucæ 4. recessit à Christo: dicitur enim v. 13. *Et consummatâ omni tentatione Diabolus recessit ab illo usque ad tempus*. Et *Matth.* 12. *v.* 44. inducitur Diabolus post egressum ab homine dicens: *Revertar in domum meam, unde exivi*. Porrò sicut Dæmones semper vigilant ad decipiendos; ita beati Angeli ad homines custodiendos, juxta illud Isaiæ 52. v. 6. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt*.

His integro Tractatui de Homine, & toti Primæ Parti S. Thomæ, ad majorem Dei gloriam, & Doctrinæ S. Præceptoris illustrationem, divinâ opitulante gratiâ finis imponitur.

LAUS DEO.



INDEX

Eorum, quæ in hoc Sexto Tomo I. Partis visa sunt notatu digna.

A

B

E

F

G

H

I

Mors

Q

R

S

F I N I S.